


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
16 — I
8
ROMA

PANIS EVANGELICI
FRAGMENTA QVADRAGESIMALIA TRIPARTITA,

Ex sanctissimo Dei Verbo copiosè & sedulò collecta, Sanctorum Patrum, variorumque Auctorum sententiis & conceptibus mirificè aucta;

ET OMNIBUS QUIDEM ANNI Dominicis; præcipuè tamen singulis Quadragesimæ *Dominicis & Feriis per binas ad minus, sæpius denas aut septenas Conciones fideli Populo distribuenda proponit*

R. P. CLAUDIUS de LINGENDES, è Societate IESU, quem ante paucos annos è sacro Suggestu dicentem Lutetia, totaque propemodùm Gallia suspexit.

TOMUS PRIMUS.

Cum Indice Materiarum in omnes Anni Dominicas locupletissimo.

Colligite, quæ superaverunt, Fragmenta. *Ioan. 6. in Dom. 4. Quadrages.*

Bella Scala



COLONIÆ AGRIPPINÆ

Apud WILHELMUM & FRANCISCUM METTERNICH, Bibliopp.
An der hohe Schmidt. ANNO M. DC. LXXXVIII.

Cum Superiorum Permissu & Privilegio.

TYPOGRAPHUS
LECTORI BENEVOLO.


EXHIBEO tibi (LECTOR BENEVOLE) diu expetitas R.P.C. DE LINGENDES è Societate IESU Conciones in Quadragesimam: Spectatior fuit ille apud universos, quam ut ad ejus commmendationem præfari quidquam necesse sit. Insidet adhuc vigetque in omnium mentibus memoria & species hominis, quem ambierunt templa, è sacro suggestu dicturum frequentarunt cœtus celeberrimi, honestissimique, Lutetia, totaque adeo propemodum Gallia suspexit. Requirendum ex ipso fuisse unum duntaxat mihi videtur, ut ante obitum voluisset fœtus suos per otium recognoscere, non conformandos quidem meliùs, cùm prout tùm erant, summam ab omnibus approbationem laudemque obtinuerint, at iis inspergendos facibus, quæ ab pronuntiantis ore ac zelo permirè in auditorum animos incendia vibrabant. Quod præstare illum seu religiosa meritis demissio, seu præmatura mors non sivit, id modo nos pro nostro in tuum commodum studio supplemus. Et quales manu suâ conscriptos Sermones seposuerat, edimus in lucem, iisdem plane verbis, quibus latinè illos expressit Ut indidem intelligas eum (ut plerisque usu-venit) non locutionis vernaculæ flosculos, non futiles acuminum argutias, non ratiunculæ perlevis fucum, non ostentationem ingenii, ac ambitionem va-

nitatis, non aurium lenocinia & oblectationem sectatum fuisse, sed id spectasse unum, ut Christianè diceret ac fructuosè, ut mentes informaret veritatis notitiâ, ut ingenia convinceret validis ratiocinationibus, ut vegetis motibus affectibusq; voluntates auditorum accenderet. Quo in genere dicendi, præeundique exemplo, quantùm ipse per Dei gratiam perfecerit, testificandum uniuscujusque, à quo nonnunquam auditus studiosè fuerit, fidei & conscientiæ relinquo. Te verò, MI LECTOR, ita æquum fore judicem arbitror, ut Concionatoris tam egregii meritum, non ab hisce tantùm Sermonibus, tametsi eximiis æstimes, ac definias; siquidem, deficiuntur vitâ & spiritu, quem ipsis animus authoris & ingenium, matura conformatio vultus & corporis, moderatio venusta gestuum, dicendi ardor ac zelus afflabant: fore nihilominus confido, ut legendis illis meditandisque, ub eremquam tibi expeto fructus segetem, & quantocunque pretio mercandum animæ tuæ lucrum colligas, VALE.



AP-

-❧(o)☙-




APPROBATIO

Visitatoris & Vice-Provincialis Societatis IESV per Provinciam Rheni Superiorem.

EGo infrascriptus Societatis Iesu per Provinciam Rheni superiorem Visitator & Vice-præpositus Provincialis, potestate mihi ad id factâ ab Adm Reverendo Patre IOANNE PAULO OLIVA, Vicario Generali, concedo *Wilhelmo & Francisco Metternich*, Bibli opolis coloniensibus facultatem, ut *Panis Evangelici Fragmenta Quadragesimalia R. P. Claudii de Lingendes*, Societatis nostræ Theologi, antehac à Patribus nostris lecta & approbata recudantur. In cujus rei fidem has literas manu propria subscriptas, & consueto officii sigillo munitas dedi.

JOANNES BERCHTOLDUS Soc. Jesu,
Visitator & Vice Provincialis per provinciam Rheni superioris.



SYNOPSIS CONCIONVM

Quæ in hoc Tomo continentur.

IN FERIAM QUARTAM CINERUM.


IN

IN FERIAM V. CINERUM.


IN FERIAM VI CINERUM.

IN DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ.

IN FERIAM SECUNDAM, TERTIAM & sequentes, (ad libitum Concionatoris,) post Dominicam primam Quadragesimæ.



FERIA



FERIA QVARTA CINERVM.

CONCIO I.

DE IEIVNIO

Cum Jejunatis nolite fieri sicut Hypocritæ tristes. Matth. 6.



UEMADMODUM Conscientia & Zelus Gloriæ Dei, conjunctus, cum suæ propriæ contemptu, exigit ab iis omnibus qui verbum Dei pertractant, ut eligant sermones potius utiles quã curiosos, ac fructuosos magis, quam jucundos: Ita tempus in quo versamur, luctus, lacrymarum, & pœnitentiæ, adigunt me ad sermonis formam, quæ huic tempestati conveniens, & similis sit. Quî enim consentaneum foret, videndo Ecclesiam universam in luctu, Christianos omnes in pœnitentiæ statu, atq; insolentissimos quosq; continere se intra modestiam, vobis à me induci curiositatem in sermonibus, meisque in verbis ornatum? an decorum esset locutionem illinere fuco & pigmentis orationemque studiosiùs elaboratam afferre? ad suadendum vobis obtegere capita vestra cineribus, capillos commiscere pulvere, saccoque vos & cilicio induere. Quid enim verò fieri solet hodie in Ecclesia? quænam in ea vox personat? quis apparatus videtur? Edicuntur jeiunia, lachrymæ, ac pœnitentia. Templum omne personat hisce verbis Ioelis Prophetæ cap. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jeiunio & fletu, & plãctu, & scindite corda vestra, & nõ vestimẽta vestra.* Ad quẽ porrò nõ pertinẽt verba quæ se-

sequuntur: *Canite tubâ in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos & sugentes ubera: Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo: inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes Ministri Domini.* Ecquis minimè vocatur ad pœnitentiam, quandoquidem non excipiuntur senes, parvuli, & qui ubera etiam exugunt, nec adolescentiores puellæ, nec matrimonio novissimè astricti, neque tota Sacerdotum sanctitas. Injicitur cinis in mortalium omnium capita, non parcendo coronæ Regum, Imperatorum diademati, & summorum pontificum tiaræ: vestitus omnes sunt lugubres; ornamentis suis parietes exuti; conteguntur imagines & statuæ; luctuosa templorum facies omni apparatu nudata, austerum nobis victum, dolorem ac pœnitentiam prædicat. Nimirum sancta quadragesimæ tempestas nihil aliud est nisi profunda meditatio vel potiùs repræsentatio passionis Domini Jesu Crucifixi: de qua sermo ille omnium optimus sit, qui minimè omniũ curiosus neque exquisitus est. Cõcedite igitur, ut ad tẽpus me accommodans, in hoc sermone nihil afferam curiositatis, at plurimùm voluntatis & studij ad usus vestros, sicut & ipse magnum salutis vestræ desiderium à vobis postulo. Quod ad efficientiam fructumq; attinet, ego attendens id Apostoli 1. Cor. 9. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus,* nihil aut industriæ meæ, labori aut bonæ affectioni vestræ confidens, integrum illum expecto ab misericordia Dei, ad quam Beatissimæ Virginis interpositu recurro.

AVE MARIA.

SEntio me in ipso dicendi principio cõactum anxiã animi mei fluctuationem vobis profiteri. Quod nempe dubitem, utrum hoc sanctæ Quadragesimæ ingressu gaudere ac oblectari debeam, aut affligi & dolere. Qua quidem dubitatione liberari nequeo, nisi apud vosmetipsos, qui alios huius controversiæ judices habere non possim nisi vos, cùm vestrum hîc negotium agatur, ad vosq; res tota spectet. Credet forsan aliquis, eum qui me solicitat, animi æstum proficisci ab argumentorum differentia, quæ nobis hodie Ecclesia proponit. Quis enim homo, ita præfidens & obfirmatus est, si quid paululum sensus habeat, ut non terreatur modò, sed percellatur animo, sic tanquam tonitrui fulminisque ictu, terrificis hisce verbis, prostratus? *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Aliud verò Servatoris nostri præceptum mihi lætitiam imperat, eamque vult me impressam fronti præferre, usque adeo, ut meipsum perfundam unguentis, si necessarium id fuerit, ad omnes mœstitiæ nubeculas è vultu meo delendas. *cum jeiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Tu autem cum jeiunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava,*

Ea tamen difficultas non mihi peculiaris est, sed cum cæteris omnibus communis, neque admodum difficile est illa me allevari, dicendo.

1. Minimè tristitiam absolutè prohiberi à Servatore, sed fictam vanamq; mœroris speciem, neque etiam dicitur, ne sitis tristes, at *nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* 2. Tum ab Ecclesia in ceremonia Cinerum, tum ab Servatore in Evangelio juberi nobis pœnitentiam ac proinde tristitiam: Non ideo quia pœnitentia nobis agenda est, sed ob pœnitentiæ causam, quæ peccata nostra sunt:

sunt: quamobrem, sicut usu pœnitentiæ lætari debemus, sic oportet nos mœrere ab causa, quæ nobis illius est; quandoquidem in culparum nostrarum dolore consistit, est quo sequitur, ut dolor lætitiam in nobis procreet, ac debeamus utrumque simul copulare, quemadmodum Servator mundi nobis præcipit, ut jejunando lavemus faciem, caputque ad gaudii signum & testificationem ungamus: Quo sensu usurpo Apostoli sancti Pauli verba. 2. ad Corinth. cap. 7. *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mœrorem operatur.* Verum difficultas in quam incurro, meique animi anxietas propria mihi & peculiaris est, me nequaquam ut privatum quem unum spectando, qui quidem instar cæterorum sustineam sensus aliis omnibus communes, at sicut hominem publicum propter munus officiumque mihi mandatum. Quia porro vos suppeditatis mihi causam utriusque sensus, ad tribunal vestrum me sisto, expectoque à vobis sententiam, quæ debeat me, aut lætitia complere, aut adigere ad sanctum hocce Quadragesimæ tempus, in mœstitia atque animi afflictione traducendum. Exordior ab causis gaudii & oblectationis, quam accepturum me spero, nisi invidetis mihi vobisque metipsis hoc fœlicitatis genus, atque ausim dicere, si quod æquum est, mihi præstatis.

1. Ecce finem vitæ licentioris, crapularum & helluationis. Atque ad id bene animo comprehendendum, ponite vobis ob oculos desormem mœstamque imaginem maximæ Christianismi partis, superioribus proxime diebus licentiæ, ac solutioris vitæ diebus reprobatis & execrabilibus, propterea quod consecrati sunt intemperantiæ, ebrietati, luxui, & sensuum lenociniis: modestissimi quique, & continentissimi verecundiam abjiciunt, ac moderationem: neque propemodum quisquam est, quin existimet libertatem dissoluti victus licitam diebus illis vel tolerabilem esse. Commodius eam vobis exhibere non possum quam figura Israëlitici populi ad Idololatriam ante vitulum aureum projecti, Exodi 32. *Surgentesque mane obtulerunt holocausta & hostias pacificas, & sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Itaque si præterita tempestas fuit vituli aurei excitatio, & idololatria, Nunc est vitulorum comminutio. *Arripiensque*, Moyses, *vitulum quem fecerant, combussit, & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis* Israel: Est etiam ultro facta à Levitis, qui ex Idololatris ad viginti tria millia interemerunt: quibus ait Moyses. *Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, & infra re suo, ut detur vobis benedictio*: Si fuit ingens gulæ tempestas, & quasi vitiorum jactatio, juxta illud Osee 4. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Certè his diebus ex tanta vitiorum jactatione, temperantiæ, atque omnis sanctitatis portum subimus: Unde Chrysost. homil. 1. in Genes. jejunium appellat animarum nostrarum portum post tempestatem, ac procellam ebrietatis. Denique si antea fuit imperium, atque tyrannis Dæmonis, nunc est libertas, & liberatio, & servitus justitiæ, ut loquitur Apostolus. Præterea enim finem accipiunt:

mutatio est vestis, & mensæ; mutatio morum, & consuetudinis, lachrimæ adhibentur pro risu, oratio pro ludo: solitudo pro congressu, concio pro chorea, abstinentia pro helluatione, jeiunium pro conviviis, modestia pro vestium lautitia, eleemosinæ pro insanis sumptibus, continentia pro libertate, humilitas pro superbia. 3. Reg. cap. 21. *Nonne vidisti humilitatem Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus:* Quia nimirum, ut ait Scriptura, *cum audisset Achab sermones istos* (Eliæ,) *scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite:* Ita facta mortis comminatione per illa verba: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris:* Christianus populus vestem mutat, cinerem vertici imponit, jejunat, & humiliatur; Deus præ gaudio id suis prophetis annuntiat, ut ipsos quoque eo spectaculo oblectet. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me?* Quod si vel unius peccatoris pœnitentia universos Angelos oblectat: quanto magis ex his diebus putatis nos ingentem lætitiam percipere, cum omnes peccatores videmus redigi ad pœnitentiam: Et hæc 1. est meæ letitiæ causa.

Sumo atque edifico alteram ab S. Joanne Chrysostomo in una ad Genesin homilia, ubi nominat Quadragesimam, Spiritale animarum ver, & fidissimam tranquillitatem animorum: Hoc est, Auditores sicut veris adventus exornat inauratque universi faciem, quæ infuscata fuerat & deformata hyemis asperitate, ita Christianismus reviviscit, plerumque recipit spendorem ineunte Quadragesima. Jucundum quidem (inquit magnus ille vir) nautis est ver, jucundum quoque est agricolis, sed neque nautis, neque agricolis ita jucundum est veris tempus, ut his qui philosophari volunt, jucundi sunt jejuniorum dies, spiritale animorum ver & fidissima tranquillitas animorum. Quod enim agricola in vere jucundum invenit, illud est, quod videat terram ornari vestirique floribus, frondescere arbores & totam pene naturam iterum quodammodo renasci: illud est quod naturas exhilarat, quod eo tempore Oceanus comprimit fluctus, tempestates sedat; navarchi leges admittit, & liberum navigio transitum præbet. Nobis autem (pergit Chrysost.) jucundum est jejuniorum ver: quod tunc non undarum sed cogitationum & concupiscentiarum carnis fluctus ac turbines mitigantur, & coronæ nobis non florum sed spiritualium gratiarum parantur. Sic enim scriptum est: *ut ornamentum gratiæ accipias coronam*, Eccli. 32. Quia igitur nobis quietum & tranquillitatis tempus advenit, etiam nos deducamus in mare doctrinæ navigium, & dicendi vela pandamus; si tamen tranquillus & tutus est aurium vestrarum portus, in quo verbi Dei navis absque metu naufragii collocetur. Ex quibus sancti illius viri plane aureis verbis, colligo luculentam gaudii occasionem esse mihi, videre vos advenisse ad spirituale animæ ver: Nam quemadmodum naturali & consueto tempestatum vere, universa orbis facies mutatur, exuiturque tanquam lugubri veste, ut hilaritatis toga mille distiucta floribus tegatur, cœlum amœnius apparet, sol luminosior, clarior luna, stellæ splendidiores, aër odoramentis perfusus, mare æquè cæruleum complanatumque ac cœlum, terra sexcentis picta coloribus, arbores animantesque denuo revocatæ ad vitam, natu-

natura omnis in bonum & integrum statum restituta; sic eo sanctæ Quadragesimæ tempore universa renovatur Ecclesia, merita reviviscunt, virtus reflorescit, ad homines revertitur sanctitas: Quid dicam? sicut ver pulcherrima est universi facies, ita Quadragesimam longe optimam esse anni tempestivitatem. Chrysost. homil. 1. in Genes. Hæ enim feriæ sunt, ubi animarum salus, ubi pax, & concordia est, ubi omnis hujus vitæ apparatus abigitur: ubi clamor & tumultus, & coquorum discursus, & pecudum mactationes è medio tolluntur, quies verò omnis & tranquillitas, & charitas, & gaudium, & pax, & unitas, & innumera bona pro illis in usu sunt. Et S. Basil. homil. 1. de jejunio. Nullum animal deplorat mortem; nusquam sanguis, nusquam sententia ab inexorabili ventre adversus animantia pronuntiata: cessat machæra coquorum, mensa contenta est sponte nascentibus: Sabbathum Judæis erat traditum, *ut quiescat* (inquit) *jumentum tuum, & famulus tuus.* Sit jejunium famulis requies à perpetuis laboribus, qui tibi per totum annum inserviunt: dato respirationem coquo tuo, da otium mensarum apparitori, quiescat manus procillatoris, sit aliquando respiratio variorum bellariorum ac cupediarum architecto, conquiescat tandem ipsa domus ab infinitis tumultibus, à fumo, à nidore, ab his qui sursum, & deorsum cursitant, ac ventri velut imperiosæ dominæ ministrant. Hinc Chrysost. homil. 2. in Gen. comparat Quadragesimam civitati bene moratæ, & compositæ matronæ.

3. Tempus advenit pœnitentiæ & satisfactionis, nam rectè, dixit Tertull. lib. de Jejuniis cap. 7. Semper inedia mœroris sequela est, sicut lætitia accessio saginæ. Basil. homil. 1. de Jejunio. Pœnitentia sine jejunio otiosa & infrugifera est. Itaque mihi venit in mentem dicere cum Apostolo 2. Cor 7. *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Nunc ego Angelorum tripudio gaudeo, non jam super uno peccatore pœnitentiam agente, sed super innumeris pœnitentibus: Quam enim mihi jucundum est videre superbum humiliatum, ebriosum sitire, gulosum esurire, luxuriosum continere, vagum quiescere, & in omnibus fere mutatos mores: sed hinc etiam existit communis omnibus lætitiæ seges, quod nunc sit pœnitentiæ tempus: Nam tantum abest ut hæc vox horrorem incutere debeat, ut nihil mitius, nihil blandius auribus nostris insonare possit. Vis videre? Cur Christi prædicatio vocata est Evangelium, nisi ab optimo nuncio? quis autem ille bonus nuncius nisi promissio reconciliationis, & prædicatio pœnitentiæ? cum enim audis adesse pœnitentiæ tempus, idem est ac si audires propitiationem adesse peccatorum, neque enim ulla sit remissio peccatorum sine pœnitentia: Ita scriptura, ut indicet Esau non esse receptum, ita loquitur. *Et non invenit pœnitentiæ locum, etiamsi cum lachrymis requisisset eam*: Veniat in mentem insignis illius lætitiæ qua Judæi olim derfundebantur adveniente anno Jupilæi: quo quisque damna præterita reparabat, & redibat ad suam possessionem, uti scribitur Lævitici 25. *Numerabis tibi septem, hebdomadas annorum,* id est, *septies septies, qui simul faciunt annos 49. & clanges buccina mense septimo, decima die mēsis, propitiationis tēpore in universa terra vestra, sanctificabisq; annū quinquagesimū, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus*

populus manducare, bibere, & surrexerunt ludere. Causa rebellionis in Deum & oblivionis ejusdem Deuteronom. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo:* Causa fuit reprobationis Esau. Chrysost. homil. 1. de Jejunio. Unum Esau jejunasset, & non vendidisset primogenita: sed cibo minor factus, naturæ privilegium pro lentibus vendidit. Gulam autem jejunium extinguit: propterea idem gulam appellat morbum, Quadragesimam autem, animarum nostrarum remedium: Et Tertull. c. 3. de Jejun. ita loquitur: Teneo igitur à primordiis homicidam gulam, tormentis atque suppliciis inediæ puniendam: etiamsi Deus nulla jejunia præcepisset, ostendens tamen unde sit occisus Adam, mihi reliquerat intelligenda remedia offensæ, qui offensam demonstrarat: quæ verba supra dictis omnibus applicare possunt.

Probatur 3. Ea est hujus sæculi corruptela, ut libido omnia teneat ac depopuletur, unde ferè qui libidinem extinxerit, communissimum malum sustulerit: Id vero maxime efficit abstinentia atque jejunium: nam ut ait Tertull. lib. de Jejun. cap. 1. Monstrum haberetur libido sine gulâ, spectacorpus, & una regio est; denique pro dispositione membrorum, ordo vitiorum; Nam appendices ejus, scilicet gulæ (*Cap. 17.*) lascivia atque luxuria. Basil. homil. 1. de Jejunio. An ignoras quod perinde atque in acie hinc atque hinc instructâ ad conflictum, qui alteri parti fert suppetias, facit ut altera vincatur, ita qui carni sese adjungit, expugnat spiritum, & qui stat à spiritu, carnem in servitutem redigit, hæc enim sibi invicem adversantur, proinde si cupis mentem reddere validam, fac carnem domes jejunio. Unde Apostolus: *Cum infirmor, tunc potens sum.* Rationem hujus successus indicat S. Chrysost. homil. 72. ad populum Antioch. Quia cibis lascivit caro, & fit petulans, propterea (inquit) ciborum jejunium susceptum est, ut carnis imperium coërceat, & equum nobis facilem reddat.

4. Probatur. Quia jejunium generale est bonorum omnium instrumentum, & opportunum ad omnia. Veteris legis radix (ait Chrysost. homil. 1. de Jejun.) à jejunio cæpit, nam Moyses post 40. Dierum jejunium legis tabulas accepit, quas deinde visâ populi intemperantiâ perfregit, absurdum esse censens, inquit idem Homil. 1. in Genes. ebrium, & prævaricatorem populum leges à Domino conditas accipere. Sed iterum jejunat Moyses, (inquit serm. 1. de Jejunio) qui non peccarat, & ignoscitur peccatoribus peccatum, aliæque dantur tabulæ: diceres jejunium esse totius legis observationem: per gulæ vero intemperantiam leges omnes perfringi: Audi Basil. homil. 1. de jejunio. In summo monte jejunium, legem impetravit: In imo vero montis luxus, & ingluvies ad idololatriam dementavit; sedit enim populus ut ederet ac biberet, & surrexit ad ludendum. Quod famulus 40. dies jejunus assidue versans cum Deo, deprecansque confecerat, id unica temulentia reddidit irritum infrugiferumque: Nam tabulas quas jejunium impetrarat, conscriptas digito Dei, ebrietas comminuit, dum propheta judicat indignum, si populus ebrius legem acciperet à Deo. Pergamus ulterius: Tot dierum jejunium, ait Chrysost. homil. 1. in Genes. & magnus Elias egit, & fugata mor-

tis

dæmonia jeiuniis prœliandum. Quid enim mirum si eâdem operatione, spiritus iniquus educitur, quâ sanctus inducitur. Ex quibus satis intelligis jeiunium esse idoneum in manu Dei instrumentum, quo nobis bona omnia conferat. Eodem quoque modo, & nos ad omnia uti possumus. Quid familiarius oratione? ad illam necessarius est alacris, & à terra subnexus animus; utrumque præstat jeiunium: Audi Chrysost. Homil. 1. in Genes. Ieiunium, animæ nostræ alimentum est, ut sicut corporalis iste cibus impinguat corpus, ita & jeiunium animam habiliorem efficit, & valentiorem, leves ei pennas producit, ut in sublime feratur, & quemadmodum leviores naves, maria velociùs transeunt, contrà multis oneribus gravatæ submerguntur, unde in tempestate exonerandæ sunt; Ita jeiunium quidem leviorem reddens mentem efficit, ut facilius huius vitæ pelagus transmittat. Eodem sensu dixit Tertull. cap. 6. aptiorem esse animum divinis rebus tractandis in Virgine adhuc salivâ: rationem subdit. Quotusquisque enim meminerit religionis, occupatis memoriæ locis, impeditis sapientiæ membris: nemo ita ut decet, ita ut par est, ita ut utile est, recordabitur Dei in eo tempore quo ipsum sibi hominem excidere solemne est. Omnem disciplinam, victus aut occidit, aut vulnerat: è contra jeiunium ex Chrys. homil. 1. de Ieiun. Angelorum imitatio est, contemptus præsentium, schola precum, alimonia animæ, frænum oris. Et mitigat concupiscentias, sciût qui jeiunât; & mitigat voluptates, sciunt qui tentantur; mollit furorem, compescit iram, sedat fluctus naturæ; excitat rationem, claram facit animam, allevat carnem, fugat fœdas intemperantias nocturnas, liberat ab ebrietate, &c. Quæ omnia orationem plurimum juvant.

Jam quid difficilius, quid excelsius Martyrio? illud autem leve efficit jeiunium, & nos ad illud præparat, 1. enim discimus ferre inediam. 2. materiam subducimus tormentis: Audi Tertull. cap. 12. carcer ediscendus, fames ac sitis exercendæ, & tam inediæ, quam anxii victus tolerantia usurpanda, ut in carcerem talis introëat Christianus, qualis inde prodisset, non pœnam illic passurus, sed disciplinam, nec sæculi tormenta, sed sua officia, eóque fidentior processurus ad certamen è custodiâ, abusus nihil habens carnis, sic ut nec habeant tormenta materiam, cùm solâ & aridâ sit cute loricatus, & contra ungulas corneus, præmissio iam sanguinis succo, tanquam animæ impedimentis, properante iam & ipsâ quæ iam sæpè jeiunans mortem de proximo norit. Denique tum ad præterita, tum ad præsentia, tum ad futura sese extendit jeiunii utilitas. Unde Chrysost. serm. 1. de ieiunio ita hortatur. Jeiuna quia peccasti: ieiuna ut non pecces: ieiuna ut accipias, ieiuna ut & permaneant quæ accepisti. Atque ut intelligas hæc bona omnibus esse communia, ita loquitur Homil. 2. in Genes. Jeiunium est animarum nostratum tranquillitas, senum decor, adolescentum pædagogus, continentium Magister: quod omnem ætatem & senium, quasi diademate quodam ornat. Nusquam hodie tumultus, vel clamor, vel carnium coctiones, vel coquorum discursus, sed omnia illa abierunt: & imitatur hæc civitas honestam quandam continentem, & sobriam matrē familias. An non igitur mihi magna lætitiæ occasio oborta est, cum ieiunii tempus adesse

esse sciam, ex quo in nos quasi è fonte, tot bona proficiscuntur.

5. Causa est. Quod sit bonorum operum tempestivitas, omnium virtutum exercendarum, pietatis, orationis, modestiæ, temperantiæ, mansuetudinis, mortificationis & aliarum. Num. 1. ut dixit S. Chrysost homil. 71. ad pop. Antioch. Jeiunantem decet esse correptum, mitem, humilem, præsentis vitæ gloriam despicientem; sicut cibos aspernatus est, sic & inanem gloriam floccipendat, oportet: alioquin ut ait Nyssen. orat. 1. de pauper. aman. Quid confert ieiunium corporis, nisi mens pura mundáque sit? Nihil enim prosit currum validum, ac strenuis quadrigis instructum esse, si auriga insaniat. Nulla erit benè fabricatæ navis utilitas, si ebrius sit ipse gubernator. Jeiunium virtutis fundamentum est; quemadmodum autem navium carinæ, & fundamenta domus, licet ingentia subiicias, inutilia vanáque sunt, nisi reliquas item partes peritè & scienter exædificaveris, sic istius abstinentiæ nullum erit emolumentum, nisi aliæ iustitiæ partes accesserint.

2. Quia tempus ast actionum misericordiæ, consolari afflictos, ægrotos, detentos in carcere, largius eleemosynas distribuere. Hinc enim ex parte jeiunamus, ut plus habeamus quod tribuamus: Nō enim ait Chrysost. serm. 1. de Jeiunio: negotiatio jeiunium est, ut lucrum faciamus non edendo, sed ut quod manducaturus eras, pauper pro te comedat, fiatque tibi duplex bonum, tùm quod jeiunas, tùm quod alius non esurit. Idem eleganter expressit Gregor. Nyss. orat. 1. de Paup. amanda. Quod ventri subtrahis, tribue esurienti, exæquet omnia justus Dei timor, duas inter se contrarias affectiones, tuam videlicet, satietatem, & fratris famem, modestâ continentiâ tempera atque moderare, sic enim faciunt & medici: alios exinaniunt, alios replent ut accessione, decessionéque uniuscuiusque sanitas conservetur.

3. Quia id ita fieri nemo insolitum putat, quoniam tempus id exigit: immò contrarium in admiratione est, & in aliquo scandalo: quæ res non levis est momenti: sublatum enim est benè agendi maximum atque difficillimum impedimentum; quid vulgus dicet, quid ab hominibus dicetur, quod plurimos solet retinere.

6. Causa est. Quòd sit tempus concionum, verbique divini, quod quidem efficit, ut Quadragesimam pluris æstimem eo ipso, quàm ratione jeiunii: hoc enim unicum ferè remedium iam nobis relictum est, in tam corruptis, & profligatis moribus, quo si Deus nos privaret, nobiscum peius ageretur quam si pane corporeo nos privaret, juxta illud Prophetæ Amos cap. 8. *Et ecce dies veniunt dicit Dominus, & emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbi Domini. Et commovebuntur à mari usque ad mare, & ab Aquilone usque ad orientem, circumibunt quærentes verbum Domini, & non invenient. In illa die deficient Virgines pulchræ, & adolescentes in siti:* Quia ex B. Hieronymo, quando doctrina non fuerit in Ecclesiis, necesse est, perire pudicitiam, castitatem mori, omnes obire virtutes quia non comederunt Verbum Domini: unde ferè in Quadragesimâ omnia instaurantur in melius, verbo Dei peccatores percellente: Quàm multi auditis concionibus, à peccatis discesserunt, illisq; inveteratis? quàm multi iniurias condonarunt, vanitatem sæculi agnoverūt, alii vero diver-

diversis motibus à Deo perculsi sunt? unde illi graviter sese opponunt gratiæ Dei, qui Conciones deserunt, aut non adeunt, cum Deus ordinario illo utatur instrumento, ut multa nobis persuadeat.

7. Causa est. Quia hoc unico tempore Christiani esse Christiani videntur; cum parùm admodum alio tempore Christianum inter atque Ethnicum quoad mores intersit. Per Quadragesimam ille præ se fert rerum omnium contemptionem, modestiam, temperantiam, mansuetudinem, misericordiam, condonationem injuriarum, abstinentiam à pravis operibus, cinerem in capite, in humeris cilicium, austeriorem victum, jeiunium, orationem, eleemosynam, crebritatem cõfessionis meliùs quàm aliàs peractæ, sacram communionem cum apparatu multo, continentiam in matrimonio, temperationem à vitiis: amotionem ludi, risus, choreæ, comessationis & convivii, mortificationem, absolutissimam cum Crucifixo similitudinem in demissione animi, humilitate, mansuetudine, abdicatione, patientiâ, toleratione, cruciatibus, flagellis: in siti, aceto, felle, in cruciatione manuum, ad licentiam actionum arcendam, pedum, ad abstinendum cursitatione, seu evagatione per plateas & domos, in offensis patienter ferendis, in taciturnitate ad contemptum, atq; in illustriorum & heroïcarum virtutũ exercitatione.

Ecce, Auditores, præcipuas lætitiæ meæ causis & gaudii, quo afficior in hocce Quadragesimæ adventu. In aliud tempus reservo dicenda quæ in eodem mihi tristitiæ argumenta occurrunt. Satis est mihi nunc indicasse vobis causas, quæ vos incitent ad hoc jeiunii curriculum non ægrè ineundum, quandoquidem tantum emolumenti vobis importat, quod scilicet arduum vobis & laboriosum videtur.

Cogitate 1. quàm multi pauperes ubivis gentium adacti sint necessitate conditionis suæ ad jeiunium longè arctius per totum vitæ tempus tenendum. Obedientiâ & submissione animi, præstate partem eorum quæ ipsi coacti faciunt, sed quo ij pignore, quonam præmio? Vos autem pro cœlo æternâque gloriâ.

2. Attendite, ad recuperandam corporis valetudinem vos ultrò toleraturos esse inediam ab medici præscriptione, si vos diætæ operosiori astringeret, ubi laboratis febre, vobis vino interdici, cibisque gustui jucundissimis privari patimini. Quàm multi sunt, qui ad curandam hydropisin à potione omni plerosque dies abstinent, rebusq; siccis tantummodò vescũtur, quamvis intolerandâ siti vexentur? Et jeiunium vobis etiamnum intolerabile videbitur, tametsi animæ vestræ sanitatem continet, vobisque thesaurus meritorum existit. An non igitur est corpus animo præferre, mẽti carnem, tempus æternitati?

Putatote tertiò, quod ait Tertullianus lib de Jeiu. cap. 16. sed nec apud inferos ieiunii admonitio cessavit, ubi in divite quidem convivia cruciantur, in paupere vero jeiunia recreantur, habentia præceptores Moysen & Prophetas. Basil. homil. 1. de Ieiun. Terreat te divitis exemplũ, quem vita in deliciis acta tradidit incendio: non enim ob crimen injustitiæ, sed ob vitæ mollitiem exustus est in camino ardente; proinde ut hoc incẽdiũ extinguamus aquâ opus est: & vide ne qui nũc aquã respuis, in posterũ exemplo divitis illius, stillã aquæ cõcupiscas. Exinde vos judicatote, an expediat magis eximere vos à ieiun. in hacce vita cũ divite hel-

helluone, ac in alterâ famè æternâ sustinere, sitimq; rabiosam in flammis, & inferorũ ardoribus; aut abstinere vos cum modico labore per dies aliquot, & convivari cum Abrahamo, in sinu gloriæ molliter recubantes, quandiu æternitas durabit. Præsertim cum sancta omnis Scriptura, Lex, Prophetæ, Evangelium & Apostoli ieiunium commendent, damnentque convivia quæ superflua sunt.

Ad postremum assumite cogitationem S. Chrysost. homil. 1. de Ieiun labor quidem nobis est in ieiunando: at nondum pro Iesu crucifixi sumus. Quare ieiunium pro cruce est: Maiora ipse tulit: parva nos reddimus. Crucifixus est propter te, & sitit & bibit acetum cum felle. In fame educatio magnum ieiunium est. Si ieiunium nobis acerbum est atque instar crucis, agnoscamus quàm graviora pro nobis pertulerit Christus, in cruce, ubi potio quæ ipsi porrecta est aceti & fellis, cruciatum illius adauxit. Enutriit se ad famem, quodnam maius ieiunium velis? At nondum tu quantum id fecisti? quid egisti unquam ieiunando, quod æquivaleret felli quod pro te gustavit. Et stas in labore, id incommodi laboriosè sustines, Dei sermonem audis non sine incommodo: nondum pependisti in Cruce: longissimè abes ab eo, quod tibi faciendum restaret, nempe ut penderes in cruce, distentus esses in ea, clavisque transfixus. Ne sis ingratus erga Iesum.

Reticere volo mille causas, quas habes ieiunandi: urgeo vos acrius, & convincere pervelim solo grati animi incitamento. Fierine potest, ut intuentes Regem vestrum, Servatorem vestrum, Deumque vestrum, acerbitate tanta se pro vestra salute tractantem, vos ipsi molliter tractare possitis, & delicias, mensarũque lautitiam sectari, ut cùm audieritis ieiunasse illum pro vobis, recusetis id pro ipso efficere? Ne plora, quòd ieiunas, sed plora quòd non semper ieiunas. Qui non compatitur Iesu, ignorat Iesum. Qui repellit ieiunium, ignorat crucem. Quæ ut non est mala, ita tu eam malam non suspiceris. Nolite illam respuere, quandoquidem semper eam sequitur glorificatio, quam in altera vita expectare debetis in cœlo, quò nos perducat Pater, Filius, & Spiritus Sanctus Amen.



FERIA

FERIA QVARTA, CINERUM, CONCIO SECUNDA, DE IEIVNIO.

Cum jeiunatis nolite fieri sicut Hypocritæ tristes: Matth. 6.



UM Sermonem alterum de Jeiunio apud vos habiturus sim, id facere melius non possum quàm utendo verbis quibus utitur Sanctus Basilius Magnus, inchoans secundam de Jeiunio Homiliam, quæ sumpsit ex capite 40. Isaiæ, iuxta versionem Septuaginta. *Exhortamini Sacerdotes populum, loquimini ad aures Ierusalem.* In quibus verbis rectè Sanctus Doctor advertit, eam esse vim orationis, ut studiosis possit impetum intendere, & ignavis ac segnibus excitare promptitudinem: hanc ob causam (inquit) Duces, cum milites in acie statuunt, exhortatoriis orationibus ante conflictum uti solent, tantamque vim habet ea exhortatio, ut compluribus, etiam mortis contemptum frequenter afferat. Similiter qui athletis exercendis, puerisque ad eiusmodi certamina instituendis præfecti sunt; si quando in stadiis certaturos producunt, hortandi gratia, multa disserunt de tolerandis necessariò laboribus, déque coronis, adeóque multis persuadent, ut dum victoriæ gloriam ambiunt, corpora sua contemnant. Proinde mihi quoque, qui Christi milites ad prælium cum invisibilibus hostibus gerendum in aciem digero, athletasque pietatis, ad iustitiæ coronas, per temperantiam instruo, opus est oratione exhortatoria. Quid verò dicam? Militibus atque athletis copiosior cibus necessarius est, ut firmiores atque obesiores habeant lacertos: contra verò quibus non est colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus spirituales nequitias, hos oportet per sobrietatem, atque ieiunium ad certamen exerceri. Nam ut ait Sanctus Basilius, quemadmodum oleum oblinit athletam, ita ieiunium robur addit

ei, qui se ad pietatem exercet. Itaque quantùm subtraxeris carni, tanto reddes animam habitudine spiritali nitidioré. Quid quod ut idem asserit, nihil audent Dæmones contra ieiunium: unde Tentator non accessit ad Christum, nisi cùm esuriit, & soluturus ieiunium videretur. Et Angeli custodes diligentius adsunt iis qui ieiunio purgatam habent animam: immò (inquit) in singulis Ecclesiis Angeli describunt, ac recensent ieiunantium capita. Quid quod in tanto ieiunantium numero turpe est nõ jeiunare. Neque enim, ut ait S. Basil ulla terra est ubi non sit auditum jeiunii edictum. Sed quoniam quæ in eam rem à nobis heri dicta sunt, integra adhuc, ut spero, in animis vestris perseverant, plura dicere supersedeo, ut communi omnium voto cœleste auxilium per Virginem deposcamus. AVE MARIA.

VIDEOR mihi vos intueri planè aliter affectos ac heri, ad audiendum Dei verbum, adeò initium ieiunii mitigavit animos vestros, præparavitque ad excipiendam Evangelii sementem, ita ut alteram hanc Concionem exordiri possim iisdem verbis, quibus Sanctus Chrysostomus usus est inchoans secundam Homiliam in Genesim, quam ingressu in Quadragesimam, explicandam suscepit; Vestros ego hodie amabiles intuens vultus, ingenti voluptate impleor, quia video vestram spiritualem hanc Congregationem, tam compositis ornatisq; moribus hîc adesse, & immodico audiendi eloquia divina desiderio flagrare, contemptisque carnalibus epulis, ad spirituale convivium contendere, & reipsa probare dictum Domini, quod dicit: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, vidistis dilecti ex ipsis præludiis, jeiunii virtutem propriam & potentiam, idcircò & ipse maiori hodie alacritate quàm anteà sermonem aggredior.

Verumtamen convenienter iis, quæ vobis hesternâ die dicebam, incertus dubito, an hoc Quadragesimæ adventu lætandum mihi sit, aut dolendum, debeamque totum mœrori me dedere. Heri vobis loquendo explicui præcipuas quæ inerant mihi gaudendi causas ineunte Quadragesima, quarum recens adhuc recordatio animis vestris inhæret, ita ut minimè necesse sit easdem refricare dicendo Reliquum est; ut vobis edisseram causas doloris, & tristitiæ quas mihi subiicit idem Quadragesimæ ingressus.

1. Ratio est. Quia cum in Quadragesima multa spectari possint, præcipuè tamen ieiunium quadraginta dierum, quod Christiani observant ad Christi Domini imitationem qui 40. dies integros ieiunavit, atque ideò ut offerant Deo dierum omnium decimas: est enim uti observavit S. Greg. Quadragesima, decima pars anni. Atqui assero illud maxima ex parte à Christianis non observari. Ut autem id ostendatur ac probetur.

Nota 1. Quid per tale ieiunium præcipiatur, nimirum quorumdam ciborum abstinentia, tam secundùm qualitatem quam secundum quantitatem: Item modus ieiunii, quoad unam comestionem, eamque secundùm certam horam, idque spatio 40. dierum: ita tamen, u singulis diebus Dominicis solvatur ieiunium, ratione plurium comestionum, non verò in ciborum qualitate.

Dixi 1. Præcipi quorumdam ciborum abstinentiam, hoc est privationem supra com-

communem temperantiæ rationem. Addidi ciborum, ut excluderem potum, & medicamenta, circa quæ nulla peculiaris præcipitur abstinentia, quia non ordinantur ad nutritionem: licet enim vinum nutriat, quia tamen potius ordinatur ad sedandam sitim & ad digestionem, propterea non prohibetur potus: manet tamen obligatio ad servandam sobrietatem, quæ etiam hoc tēpore turpius violatur. Certè in Ecclesia Orientali etiam vini usus interdicebatur: sed cum in Ecclesia Occidentali permittatur, regula potius ex temperantia peti potest: unde qui extra prandium potat jejunium servat, quia ad ciborum digestionem potius ordinatur potus, quam ad nutritionem: Iuscula verò quæ ad nutritionem sumuntur, omninò prohibentur.

Dixi 2. Præcipi abstinentiam ciborum, & secundum qualitatem, & secundum quantitatem: Quia enim Ecclesia intendit per ieiunium corpus castigare & concupiscentiam coërcere, non tamen notabiliter lædere, ideò quasdam statuit leges ieiunii. Igitur quoad qualitatem attinet. 1. Prohibetur esus carnium. 2. Usus ovorum. 3. Usus lacticiniorum: illud tamen tertium, secundum usum, & commoditatem locorum: nam vulgò hîc solus caseus; prohibetur, lac autem, & butyrum permittuntur, & aliquando permissus caseus alibi verò omnia lacticinia prohibentur: sed ubique locorum consuetudo saltem annorum decem spatio confirmata, observanda est. Atque hæc abstinentia spectans qualitatem ciborum, ita est de essentia ieiunii, ut qui non potest eam servare, vel circa eam dispensationem habet, intelligo de carnibus, dispensationem etiam habere intelligatur circa cætera quæ ad ieiunium pertinent. Sublata enim in unaquaque re, essentia, aut parte essentiali, tolluntur cætera quæ ad essentiam pertinent, & ita in ieiunio contingit.

Quoad quantitatem attinet, nolo quidem certam mensuram definire, nam pertinet ad temperantiam, sed significo unam tantum comestionem esse permissam, ac ieiunium requirere abstinentiam à pluribus comestionibus, ita enim passim omnes intelligunt ieiunii Ecclesiastici essentiam. Unde die Dominico nemo creditur ieiunare ob duas comestiones: Itaque in die ieiunii qui secundam adhibet comestionem, in ea peccat mortaliter, quia tunc primò violat ieiunium: Si verò alias post secundam adhibeat, non peccat quidem mortaliter, quia iam violatum est ieiunium, probabiliter tamen peccat venialiter: quia magis ac magis recedit à fine ieiunii, nimirum à corporis maceratione.

Non tamen prohibetur refectiuncula vespertina, quam primò necessitas ob somnum, atque ne potus noceret, deinde verò consuetudo, etiamsi necessitas abesset, licitam fecit: In ea porrò soli cibi adhibendi sunt qui passim in cœnulis apponi solent, quales solent esse fructus, herbæ, bellaria, & cibi leviores. Non verò qui rationem habent ferculorum, atque adhibentur ad magis alendam & sustentandam naturam: In iis tamen omnibus præcipuè habenda est ratio consuetudinis, quæ certè invaluit, ut alia ad prandium, alia ad cœnulam, de quâ loquimur, adhibeantur.

Quoad eius quantitatem attinet, difficile est eam definire, Aliqui enim eam de-

definiunt quatuor, alii quinque, alii sex unciis ad summum: sed personarum diversitas hanc regulam perversam efficit. Illud in universum probabilius dici potest, unumquemque sumere posse quartam aut quintam suæ refectionis ordinariæ partem. Ratio est, quia talis pars in aliis rebus, pro modica haberi solet, ut in omissione Missæ, vel horarum canonicarum plerique censent. Licet tamen pro ratione temporis aliquando maiorem sumere, quando favet consuetudo, ut in Vigilia Nativitatis Domini, & similium.

Dixi 3. Illam unicam comestionem certa hora fieri debere. Ratio est, quia ieiunium requirit certam inediæ prorogationem, quæ nulla esset nisi certa hora notaretur principalis comestionis, idque patet ex consuetudine recepta, atque interpretatione Ecclesiæ. Certè apud Iudæos ieiunium usque ad vesperam protrahebatur, & initio mos ille in Ecclesia observabatur, uti discimus ex scriptis Sanctorum Patrum. Posteà tamen in horam nonam, quæ est tertia hora post meridiem reiecta est maior comestio, isque mos vigebat tempore Sancti Thomæ Aquinatis, uti ipse docet: Posteà vero ad horam sextam delapsum est, hoc est ad meridiem, quæ nunc est Ecclesiæ consuetudo, quæ à nobis observanda est, ita ut meridies sit hora comestionis, non positivè, ita ut non possit differri usque ad vesperam, aut ad horam tertiam, sed negativè ita ut saltem meridies notabiliter non præveniatur.

Porrò hæc hora non sumi debet Astrologicè aut præcisè aut præcisè, sed morali modo, ac sufficit si finis prandii sit circa meridiem: Non tamen notabiliter antevertere oportet, nisi legitima de causa, vel cum dispensatione Superioris. Hinc patet non licere mane sumere refectiunculam, ac deinde sub vesperam cœnare: nam violaretur intentio ieiunii: si quis tamen non cogitato id fecisset, aut si in aliquo esset dispensatum: si posset vesperam expectare, id facere teneretur, atque hoc modo ieiunare: alioqui in meridie potest aliquis refectiunculam sumere, & cœnam differre in vesperam, si certam habeat causam, ut si dormire aliter non posset, vel id poscerent negotia. Quod si dubia esset causa, id posset habita dispensatione: quòd si id faceret nulla causa, peccaret tantùm venialiter, quia ieiunium quoad essentialia observat. Non autem quoad certas circumstantias, ad essentiam non necessarias.

Dixi 4. Totos quadraginta dies, incipiendo nimirùm à Feria quarta Cinerum, usque ad Sabbathum ante diem Paschæ inclusivè, qui omnes dies sunt 46. ex quibus sunt quadraginta ieiunii pleni: sex autẽ dies Dominici, sunt ieiunii non pleni, quia scilicet in illis tantùm seruatur abstinentia à cibis secundùm qualitatem, quod Tertullianus appellat portionale ieiunium. Id verò probatur ex consuetudine Eccesiæ Romanæ, quæ legem fecit. Olim ante tempora Gregorii Magni incipiebat Quadragesima à Dominica prima Quadragesimæ, ac desinebat in Cœnam Domini, quæ est Feria quinta maioris hebdomadæ. In Ecclesia Mediolanensi incipit tantum à Dominica prima: è contrario verò in Ecclesia Greca, à Dominica Sexagesimæ. Ubique verò servanda est locorum consuetudo, quæ vim habet legis. Cur autem non ieiunetur Dominicis diebus, præter honorem diei Resurrectioni sacrum, præclaram causam affert Sanctus Chysostomus

mus Homil. 11. in Genes. Nam uti in viis publicis (inquit) sunt stationes, & diverticula, in quibus fessi viatores & respirant, & quiescunt, ut alacriùs posteà iter suum conficiant, & sicut in mari littora sunt, & portus, ut in eos è jactatione navigantes se recipiant, & expectent donec ventorum impetus conquiescant, & inde iterum navigare incipiant: ita & nunc his, qui in hac Quadragesimâ, ieiunij cursum suscepere, quasi stationes, & diverticula, & littora, & portus, per duos hebdomadæ dies, Dominus quietem largitus est, ut corpori aliquantulum ieiunij labores remittantur, & animum refocillent jeiunantes, & exactis duobus illis diebus, in pulchro cœpto itinere pergant.

Nota 2. Quibus jejunium Quadragesimale impositum est, nempe omnibus Christianis ratione utentibus, cuiuscunque sint dignitatis, & perfectionis, nisi rationabili causa excusentur. Omnes dixi ex Canone 88. Apostolorum, omnes includente. Itaque Sanctus Basilius oratione secunda de jeiunio, ait per totum terrarum orbem undique denuntiari jeiunii præconium. Nec ulla est (ait) insula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non sit auditum jeiunii Edictum: Quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores, omnes pariter audiunt Edictum, & summo gaudio excipiunt. Ne quis igitur semet excludat à numero jeiunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ censentur. Unde consequenter singulos adhortatur ad jeiunium, quasi omnibus conveniens. Dives es? ne jeiunium affeceris contumelia: afficies autem si gravetis illud ad mensæ tuæ consortium admittere: Et contra qui pauper est, ne subsannatione ac simulatione utatur erga jeiunium, cùm illud iam olim habeat, & domus & vitæ socium. Porrò mulieribus quàm est naturale respirare, est conveniens jeiunium: Pueri veluti plantæ lætiores, aqua jeiunii irrigantur: Senibus levem reddit laborem iam olim contracta cum jeiunio familiaritas: si quidem labores quibus diutino usu assueveris, minùs offendunt, si inciderint in exercitatum: iam viatoribus expeditus itineris comes est ieiunium.

Dixi autem 1. Ratione utentes teneri ad jeiunium. Nam neque amentes, neque pueri tenentur ad ieiunium, aut totale aut partiale, quoniam præcepti sunt incapaces, itaq; eiusmodi vesci possunt carnibus.

Dixi 2. Omnes teneri, nisi rationabili ex causa excusentur. Porrò omnes causæ ad quatuor capita revocantur, ad impotentiam, necessitatem, pietatem, dispensationem. Impotentiam verò, vel ratione ætatis, vel ratione aliarum conditionum: Ratione ætatis, minores tertio septenario completo excusantur, & maiores nono septenario, vel circiter, quales sunt sexagenarii, & septuagenarii. Primi quidem quia sunt in statu augmenti, atque indigent frequenti cibo, secundi autem, propter senectutem, quæ tunc incipit, est autem senectus morbus quidam incurabilis, & opus habet modica, & crebra refectione: nisi certò & evidenter constaret, aliquem ita esse robustũ, ut probabilius sit eum non lędendũ ieiunia: Cum auté robur est dubiũ & ætas certa, non est expectandũ ut robur deficiat, tũc enim irreparabilis est defectus vel saltem periculosus: Quia vero mulieres citius senescunt propterea à 55 anno excu-

ſari poſſe videntur. Alias conditiones revoco: 1. Ad infirmos ac debiles, quod indigeant, crebriori, & modica refectione: immo etiam qualitate ciborum, ut ovis, ac carne; & ſi neceſſitas ſit certa, non opus eſt diſpenſatione, melius tamen foret, eam petere: ſi ſit incerta, adhibendum Medici iudicium: ſi certam dixerit, nulla erit neceſſaria diſpenſatio: ſi verò adhuc ſit incertum, opus erit diſpenſatione. 2. Ad mulieres prægnantes, ac nutrientes parvulos lacte ſuo, indigent enim cibo pleniore, atque appetunt quædam vehementer, quibus non ſine damno aut periculo privantur. 3. Ad pauperes & mendicos, quia non poſſunt habere prandium completum, nec ſuo tempore.

Secunda cauſa eſt neceſſitas, vel propria in anima & corpore, vel familiæ, vel decentiæ ſtatus, vel functionis officii: vel ad vitandum magnum damnum, & acquirendum magnum lucrum: quia non eſt intentio Eccleſiæ, ut per jeiunium homo amittat aliquod bonum præſtantius, aut inde grave quis damnum patiatur: & ita artifices qui operibus ſuis defatigantur, non tenentur ad ieiunium: ac propterea eos excuſavit Eugenius IV. in quadam ſua declaratione: itaque hoc titulo multi excuſantur, etiam illis diebus qub⁹ nō laborant propter laborem præcedentem, aut futurum. Idem dico de labore animi, ſi defatigationem afferat; quia dummodò non patiatur ſecum ieiunii uſum, parum refert qualis ſit labor animi, vel corporis. Non tamen hoc titulo excuſantur qui difficulter ieiunant, niſi etiam id noceat ſanitati. Qui verò dubitant, tenentur ad experientiam: ſi experientia diſcant ieiunium nocere ſanitati, ad ieiunium non obligantur. Quòd ſi adhuc dubitent, petant diſpenſationem: Quòd ſi aliqui non poſſunt totam Quadrageſimam ieiunare, ſed partem poſſunt, verbi gratia, bis aut ter in hebdomada, ſic ieiunare tenentur.

Tertia cauſa eſt pietas. Quicumque enim melioribus operibus vacare non poſſunt cum ieiuno, ab illo excuſantur, quia non eſt intentio Eccleſiæ per ieiunium maiora bona impedire; ſed potiùs ad bonum promovere. Itaque excuſantur vacantes operibus miſericordiæ, tam ſpiritualibus quam corporalibus ſi ieiunio impediantur. Item uxor ut vitet rixam mariti: Item peregrinantes pedibus, niſi id fiat in fraudem ieiunii.

Quarta cauſa eſt diſpenſatio. Nam ordinarii Prælati, & Parochi excuſare poſſunt à jeiunio, immò etiam à ciborum abſtinentia, ſi cauſa iuſta adfuerit: quod ſi ea cauſa iuſta, fuerit certa, nulla opus erit diſpenſatione: ſi autem dubia fuerit, adeundi ſunt viri docti; ſi dicant, cauſam eſſe ſufficientem, nulla opus erit diſpenſatione: ſi dubia remaneat, aut talis judicetur, adeundus eſt Superior qui poterit diſpenſare. Hinc fit ut Superiores non debeant hoc totum remittere petentium conſcientiæ, ſed abſolutè diſpenſare debent, nam diſpenſando cauſam dubiam faciunt iuſtam. Nec eſt neceſſe commutare ieiunium in alia opera pia, cùm cauſa eſt legitima. Qui tamen mentiretur, & falſam cauſam obtenderet, non eſſet cum eo diſpenſatum, quia Prælatus non intendit ita diſpenſare; Immò neque poteſt niſi ſit aliqua cauſa: Excipio Summum Pontificem, qui poſſet etiam abſque ulla cauſa ſufficienter diſpenſare à jeiunio, quia eius authoritas eſt ſupra hoc præceptum.

Ca-

Cæterum uti in ieiunio Ecclesiastico tria reperiuntur, est enim ens morale ex pluribus rebus conflatum; nempe ex differentia ciborum, ex unica comestione, & ex inedia, hoc est ex reiectione illius comestionis in horam certam: Hinc fit ut cum aliquo in uno fuerit dispensatum, non sequatur ut in reliquis fuerit dispensatum, nisi cum sequenti ordine. Nimirum, ut cum quo dispensatur ut carnes manducet, à toto ieiunio dispensetur: Si tantum ut ova, & lacticinia, non præcisè à reliquis dispensetur: Cum quo verò de hora dispensatur, non sequatur ut de reliquis: Cum quo verò de unica comestione, dispensetur etiam circa horam comestionis, nam tantum obligabitur ad portionale jeiunium.

Ex dictis apparet paucos admodum esse qui jeiunium Quadragesimale observent. Etenim quàm multi sunt qui per summam impudentiam circa ciborum qualitatem peccant, & qui carnibus vescuntur: quod factum isto sæculo, quam aliis, gravius est: Nam licet alio tempore id fuerit peccare adversus temperantiam, atque obedientiam, iam ea res facta est materia religionis, ex quo Hæretici nostri hanc Ecclesiæ ceremoniam insectati sunt; unde professio fidei Catholicæ id iam deposcit. Mitto dicere scandalum quod inferunt, propter quod tamen evitandum dixerat Apost. 1. Cor. 8. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Unde non parum commoveor adversus multos Catholicos qui in ea re multum favent Hæreticis: Quare quibus ex dispensatione licet, ob causam legitimam carnibus vesci, id occultè facere debent, ut vitent scandalum: Quod si necessitas cogat, ut id palàm faciant, dicere tenentur eam se habere facultatem ex dispensatione ob causam legitimam. 2. Quàm multi sunt qui non jeiunant, licet jeiunare teneantur nec ullâ re impediantur. Nam aut pluries in die comedunt, aut in refectiuncula excedunt, ac verè cœnant. Nec eos satis excusat dispensatio, quam fraude, & mendacio sæpissime extorquent. Quid dicam sæpe causam excusantem cessare, ut & paucos admodùm vim obligationis jeiunii æstimare?

Unde verò hic observantiæ defectus proveniat, accipe, 1. Quidem, Quia non satis scitur, quâ authoritate jeiunium Quadragesimale præceptum sit, nimirum partim divino, partim Canonico, atque Ecclesiastico iure: Dixi partim divino, tum quia in Scriptura sæpe fit mentio jeiunii in genere, licet non horum, vel illorum dierum: quæ res relicta est Apostolis, & Ecclesiæ definienda: Unde S. Augustinus epistola 86 ad Casulanum. Ego in Evangelicis, & Apostolicis litteris, totoque Instrumento, quod appellatur Testamentum Novum, animo id revolvens video præceptum esse jeiunium: quibus autem diebus non oporteat jeiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum, non invenio definitum. Tùm quia numerus 40. dierum Christi Domini exemplo sacratus est: Unde S. Hieronymus Comment in Isaiam cap. 58. quadraginta diebus Dominus jeiunavit, ut nobis solemnes ieiuniorum dies relinqueret. Et Petrus Chrysologus serm. 11. Quod 40. diebus ieiunamus, non humana inventio; sed authoritas divina est, quod passim SS. Patres affirmant. Dixi etiam partim Canonico, & Apostolico iure. Nam Apostolicam Cõstitutionem refert Clemens Romanus

lib. 5. quæ hodie per omnes Ecclesias Catholicas custoditur, quam iisdem verbis refert S. Joannes Damasc. in lib. de Jeiuniis. Recitat quoque S. Anastasius Patriarcha Antiochenus ante mille annos in libro, cui titulus ὁδηγὸς. Et S. Chrysost. in homilia de Jeiunio primi Paschæ, ut omnes intelligant non esse novum inventum. Unde Basil. in homil. 1. de Jeiun. (ut iam diximus Superiori concione,) ait; Jeiunium non recens inventum est, sed pretiosus thesaurus à maioribus repositus, ac traditus: quidquid vetustate præcellit, idem venerabile est. Reverere igitur ieiunii canitiem. Confirmatur hoc totum ex doctrina S. Thomæ 2, 2. quæst. 147. artic. 3. ubi docet ieiunium esse sub præcepto naturali, non ut pœnale est, sed ut utile est ad aliquem finem. Et quia hominum multitudo hoc remedio, ut plurimum indiget, ideò oportuit ut Ecclesia tempus, & modum determinaret, quæ ab omnibus observarentur: non ponens sub præcepto, id quod simpliciter est supererogationis, sed quasi in speciali determinans, id quod est necessarium in communi: uti Principes sæculares determinant præcepta legalia, iuris naturalis determinativa, quæ pertinent ad communem utilitatem in rebus temporalibus. Pergit verò in articulo 4. Et quoniam statuta communia ita proponuntur, ut multitudini conveniant, ideò omnes obligant, quia Legislator id tantum attendit quod communiter est, & in pluribus contingit: Si quid tamen in aliquo ex speciali causa fit, quod observantiæ præcepti repugnet, non censetur Legislator obligare velle in eo casu. In quo tamen adhibenda est discretio, nam si causa fit evidens, potest homo non observare, præsertim consuetudine interveniente, etsi non sit facilis recursus ad Superiorem: si autem causa fuerit dubia, oportet ad Superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi: quo facto, exemptio est à lege ieiunii.

2. Hæc inobservantia provenit ex libertate nimia, & ex contemptu Ecclesiasticorum præceptorum, qui ferè oritur ex nimia consuetudine cum hæreticis: uti enim hæc libertas hæresim peperit, ita vicissim hæresis hanc libertatem & contemptum; unde fit ut passim multi Catholici Hæreticorum voces usurpent: Heretici autem tria maximè carpunt in Quadragesima. Primò distinctionem ciborum quasi quidam cibi naturâ essent mali, quod apertè Apostolus condemnat: Secundò, certũ ieiunii tempus, quod aiunt esse Judæorum proprium. Tertiò, quòd eiusmodi ieiunia indicantur sub præcepto, in quo dicunt esse animarum laqueum, & iugum, atque servitutem veteris legis. Sed quoad primum attinet, rectè ostendunt, se dum carnis usum tutantur, homines esse carnales, neque doctrinam Catholicam intelligere: neque enim dicimus immundas esse carnes, & alium quemcumque cibum, ex sua natura, uti Manichæi dixerunt, neque ab eis abstinemus per superstitionem, seu, uti loquitur Apostolus, in religione Angelorum: quem locum interpretans Tertullianus libro 5. contra Marcionem, aliquos (inquit) taxat, qui ex visionibus Angelorum dicebant à cibis abstinendum esse: unde Clemens Alexandrinus libro 3. Stromatum. Curæ est magis à vino, & esu carnis, & Venere abstinere colentibus Angelos, & Dæmones: Sed dicimus illicitum esse carnes comedere in Quadragesima, quia

quia prohibitum. Non igitur per se sunt immundæ carnes, alioquin nunquam liceret comedere, sed dicimus esum carnis fieri illicitum prohibitione; porrò ex legitima causa prohiberi, uti initio prohibuit Deus, ac posteà Noëmo concessit: & à Tertulliano appellatur portionale ieiunium. Potuit Joannes Baptista non tantum esum carnis sibi permittere, sed etiam panis, & aliorum ciborum; quod tamen non fecit, sed tantùm sibi permisit mel sylvestre, & locustas, quæ genus herbæ erant, si Magno Athanasio credimus, quod probat authoritate Scripturæ, cum ait David: *Excussus sum sicut locustæ.* Et Ecclesiastes: *Florebit amygdalus & pinguescet locausta, & dissipabitur capparis.* Ut enim amygdalus (ait Athanasius) non est caro, & capparis herba est; ita locusta quæ crescit in campo, & prato: Joannes enim (inquit) si panem non comedebat, multò minus carnem: mel autem (ait) ἀσκητικὸν βρῶμα erat, id est, cibus Monachorum. Potuit & Daniel ciborum qualitatem sibi distinguere: unde ait: *Et panem desiderabilem non comedi.* Potuit etiam Apostolus vinum modicum permittere Timotheo, propter stomachi debilitatem. Cur igitur non poterit Ecclesia cibos aliquos ad tempus interdicere? Quo posito, non licebit eos comedere, non propter ipsas carnes, quasi malæ sint, sed propter inobedientiam legis: sicut Clemēs Romanus ait in lib. 3. Const. Apostolorum, Viduas nubere post promissionem castitatis, sceleratum esse, non propter coniugium (inquit) sed propter mendacium: falsum autem est Apostolum id condemnare, ut patet ex capite tertio Epistolę ad Collossenses, & ex prima ad Timotheam cap. 4. ubi tantum damnat abstinentiam ciborum, quasi mali essent naturâ, vel quæ fiat ad superstitionem, seu cultum Angelorum; alioqui enim ipse apertè docet, non omnia quæ licent, expedire, nec ædificare: unde negat se carnes in æternum manducaturum, si inde frater infirmus scandalizetur: Hinc graviter hæredicos percellimus, quòd carnes manducent, cùm nos scandalizent. Quòd si scientiam suam venditent, illis opponam quod ait Apostolus 1. Corinth. 8. *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Audiant quid dicat idem Apostolus ad Rom. 14. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est, &c. Non est enim regnum Dei esca & potus, &c. Noli propter escam destruere opus Dei: omnia quidem sunt munda, sed malum est homini qui per offendiculum manducat: Bonum est non manducare carnem & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.* Quid enim ad hæc dicturi sunt hæretici; & cùm reformationem essent allaturi, an aliam prorsus religionem afferre intenderunt, an abusus reformare? Si primum, cur multa nobiscum communia retinent: si reformare, ostendant quis in ea re abusus fuerit: Nam quod nobis obiiciunt de superstitione, aut de distinctione ciborum, quasi mali sint, hoc falsum est.

Verùm cur minimè secuti sunt authorem suum Calvinum, qui libro 4. Institutionis suæ cap. 10. §. 22. postquam dixit, lege divinâ scandalum vetari, addit quæ sequuntur. Quemadmodum si qui Ecclesiis nondum bene constitutis præsunt fideles Pastores, omnibus suis edicant, donec imbecilles quibuscum vivunt, adolescant, ne palam die Veneris carnibus vescantur, aut feriis in publico laborent: Hæc enim



tametsi, sepositâ superstitione, ind fferentia per se fiat: ubi tamen accedit fratrum offensio, sine delicto admitti nequeunt. Sic autem sunt tempora, ut spectaculum hoc infirmis fratribus proponere non possint fideles, quin eorum conscientias gravissimè vulnerent.

Quod 2. verò attinet: Non eadem tempora observamus quæ Judæi, sed propria Christianis, quorum rationem dedimus ex Sanctis Patribus; repeto quæ diximus ex Basilio, hoc jeiunium ita esse solemne, ut nemo ubivis gentium ignorare illud possit.

Ad 3. Respondeo rectè Apostolorum monuisse ad Galat. 5. *Vos in libertatem vocati estis, fratres, tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis.* Nam etiamsi liberi simus eâ libertate quâ Christus nos donavit, quis tamen dubitet Ecclesiam potuisse jeiunium indicere, præsertim cum totum Evangelium, uti dixi, jeiunium præcipiat: Ecclesia verò tantum definierit tempus ac modum, potestate sibi à Christo data, quæ tanta est, ut *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus ac Publicanus.* Certè Saül potuit toti populo jeiunium indicere, ac filium Jonathan, legis ignoratæ violatorem ad mortem deposcere. Potuit Esther & Mardochæus jeiunium certum in annos consequentes Judæis imponere, quód mortis periculum evasissent: Cur ergò Apostoli & Ecclesia jeiunium præcipere non potuerint, quorum fuit ordinare super testamentum eius?

3. Hæc inobservantia provenit ex prudentia carnis, quam Apostolus dixit esse mortem, & inimicam Deo, qua usus Dæmon jeiunii vim atque rigorem, quantùm potuit, debilitavit. Initio enim vix panis concedebatur: posteà verò solus panis & aqua: tum adhibita legumina, & fructus, tandem unum, tùm pisces: denique tantum prohibita caro, & lacticinia, nunc autem apud nos sola ova & caseus, idque tantum in Quadragesima. Quid autem prudentia carnis prætendit, audiamus.

1. Vires debilitari. Ita sanè; sed illud intendit Ecclesia, non ut necessariæ affligantur, sed ut corpus maceretur, ut inde animus convalescat: nam ut præclarè docet Basilius Homil. 2. de jeiunio: Scis quòd caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Itaque cùm hæc sibi invicem adversentur, subtrahamus carni voluptatem, augeamus animæ robur, ut per jeiunium collectis viribus, ad superandas concupiscentias coronis abstinentiæ repositis cingamur, quod certè verissimum est, & patet experientiam.

2. Bonum vegetumque corporis habitum imminui Sed audi Tertullianum libro de jeiunio cap. 17. Macies non displicet nobis, neque enim ad pondus nobis carnem tribuit, sicut nec spiritum ad mensuram: facilius, si fortè, per angustam salutis januam, introibit caro exilior, citius resuscitabitur caro levior, diutius in sepultura durabit caro aridior.

3. Jeiunio sanitatem corrumpi, ac vitam decurtari. Melius diceretur voluptatem ac vitia; nam quoad sanitatem attinet, nihil illam magis affert, nihil tutius conservat, jeiunio: immò maxima morborum pars à cibis: audi Basilium Homil. 2. de ieiunio, Excipite malè valentes, sanitatis matrem: qui bona estis habitudine, excipite bonæ habitudinis custodem. Interroga Medicos, ac dicent tibi, nihil esse periculosius ha-

habitudine corporis extremè bona: itaque qui artis sunt peritissimi, per ieiunium detrahunt redundantia, ne vis naturæ, pondere corpulentiæ fracta succumbat; studiosè quidam per inediam detractis supervacuis, locum faciunt virtuti nutritivæ, ad novam alteram alituram, ac de integro faciendum corporis incrementum. Idem hom. 1. docet neminem ob ieiunium, aut vini abstinentiam ægrotasse. Nemo (inquit) per aquæ potum in crapulam incidit, nulli caput unquam doluit aqua gravatum: Nullus eguit alienis pedibus cum aquæ potu familiaritatem habens, nullum sui pedes destituerunt: nullæ manus factæ sunt inutiles quæ aquâ rigantur, Nam concoctionis vitium, quod viventes in deliciis necessariò comitatur, acres morbos gignit in hominum corporibus. Quid dicam, quòd optima habitudo periculosa est, nisi succurrat ieiunium; si quidem, ait ibid. Basil. habitudo corporis extremè bona, sensim mutatur, & in diversum recedit, nimirum succumbente nostra, nec valente corpulentiæ pondus sustinere.

At vires (inquis) desunt ad ieiunium? at non desunt ad epulas. Tu quotidie epulari potes, & vires tibi deesse dicis ad ieiunium. Primò vide ne mentiaris dum vires excusas: Neque enim (ait Basil.) mihi istas excusationes profers, sed iuxta proverbium, scienti loqueris, nimirum Deo, quem nihil fugit: Deinde, ut te verbis eiusdem Basilii perstringam. Age, dic mihi, ieiunare non potes, & potes expleri eduliis; potes conficere corpus escarum pondere? atqui infirmis non variam ciborum copiam, sed inediam, & abstinentiam à Medicis solere præscribi scio: quî fit igitur, ut cum ista possis, illa te non posse causeris? utrùm ventri faciliùs est tenui victu transmittere noctem an copia ciborum gravatum iacere? immò ne iacere quidem, sed crebrò huc verti distentum ac gementem? nisi fortè simul dicturus es illud, quod naucleri facilius servant navim sarcinis onustam, quàm eam quæ ad cursum expedita est ac levis: Nam oneris magnitudine gravatam: quamvis exiguus fluctus adoriens demergit, contrà quæ modicis sarcinis temperata est, facilè suffert undarum impetum, eò quod nulla res impediat eam quo minus fluctû in altum surgentem superet, eundem ad modum & hominum corpora, assiduâ expletione degravata facile à morbis demerguntur: cæterum quæ facili levique utuntur alimoniâ, non modò malum quod à morbo imminente expectabatur, veluti tempestatis assultum effugiunt, verùm etiam præsentem iam ægritudinem veluti turbinem quendam exorientem discutiunt. Videlicet, iuxta tuam sententiam laboriosius erit quiescere, quàm currere: & otiosum esse, quam luctari; si quidem indicas congruentius esse infirmos delitiis expleri, quam parvo tenuique uti victu: Nam naturæ vis quæ dispensat alimoniam animantium corporibus, temperatum, ac parcum victum facile concoquit, & in corporis quod alitur substantiam vertit. At eadem ubi sumptuosos variosque cibos complexa est, nec deinde ad conficiendam eduliorum portionem, pares vires habet, diversa gignit morborum genera.

Quod vero neque vitam imminuat ieiunium, probant exempla veterum anachoretarum, qui ieiunio utentes ad extremam senectutem pervenere, & perpetuâ usi sunt, sanitate. Itaque Ecclesiastici 37. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem ab-*

abstinens est, adiiciet vitam. Noli itaque, ait B. fil. imitari Evæ inobedientiam: Noli iustus serpentem adhibere in consilium, qui tuendæ carnis prætextu, ut cibum capias, suadet: Sed nimirum hæc dicuntur ad excusandas excusationes in peccatis: Certè si sanitatis causa Medicus tibi ieiunium præciperet, tu obedires, & difficiliora patereris: Hæc tibi à Deo & ab Ecclesiâ præcipiuntur, & tamen non servantur: *Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum*: Sed minus tibi est in æternum salvari, quam paucorum dierum sanitas; & bona temporis tibi potiora sunt bonis æternitatis: ubi mens, ubi animus, ubi sensus, ubi prudentia? clamat Christus. *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima suâ?* Vide quàm tuum iudicium contrarium sit iudicio Christi: sed audi quid subiiciat Matth. 16 *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui, cum angelis suis & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Nos revocat ad iudicium extremum ubi futura est vera rerum æstimatio, nam uti dicitur *Ecclesi. 3. Tempus omnis rei tunc erit.* Quàm diversos sensus tunc habebis, quàm vilis caro tibi videbitur, quam ieiunia tibi videbuntur facilia: quàm te pudebit ut prophanum Esaü vili escâ vendidisse primogenita tua: sed sicut ille *non invenit pœnitentia locum, quamquàm cum lachrymis inquisisset eam Hebr.* 12. ita inutiles tunc erūt lachrymæ tuæ, inutilis pœnitentia: *Et tunc reddet unicuique secundum opera eius*: Nam si ieiunaveris, epulaberis cum Abrahamo in sinu gloriæ, si non ieiunaveris quæres cum epulone divite aquæ guttam quæ tibi denegabitur sicut aiebam in superiori sermone. Utrumque compara, famem Lazari, & famem ac sitim divitis, illa in tempore est, hæc in æternitate: item epulas Lazari, & epulas divitis, huius in hâc vita, illius in alterâ, ubi est æterna felicitas, ad quam nos deducat, qui est benedictus Deus in sæcula Amen.



FERIA

FERIA QVARTA CINERVM,
CONCIO TERTIA, DE IEIVNIO.

Cum jeiunatis nolite fieri sicut Hypocritæ tristes. Matth. 6.



DIximus in primâ Concione ex Chrysost. ieiunium Quadragesimale esse spiritale animarum ver, & fidissimam tranquillitatem animorum; hodie cum eodem illud possum adiicere, quod dixit homil 2. in Genesin: quia igitur nobis quietum, & tranquillitatis tempus advenit, etiam nos deducamus in mare doctrinæ navigium, & dicendi vela solvamus, si tamen tranquillus & tutus est aurium vestrarum portus, in quo verbi Dei navis, absque metu naufragii collocetur: aderit ut spero stella maris, Virgo beata, ad quam recurro, & nobis flatum Spiritus sancti impetrabit.

AVE MARIA.

MEMINERITIS, Auditores, disceptationis & causæ, quam subieci iudiciis vestris in sanctæ Quadragesimæ ingressu, nempe utrum hoc tempore lætandum mihi esse aut dolendum. Eximendum-ne me à luctu & lacrymis, aut me addicendum tristitiæ, animique afflictioni. Priori die vobis attuli præcipuas gaudii mei causas ineunte Quadragesimâ, die posteriori cœpi exponere causas doloris mei. Ac primò, quòd, cum in Quadragesimâ res multæ sint, præcipuáque in iis ieiunium existat, experientiâ videmus illud non observari ob magnâ Christianorum parte.

Secunda itaque doloris mei, ratione Quadragesimæ, causa est, quod non tantum pauci sint qui Quadragesimam observent quia ieiunium non servatur, sed quod ex iis qui ieiunant, pauci admodùm sint, qui ex Quadragesimâ, & ex suo ieiunio multum proficiant, quod ex multis causis contingit, ut clarè ostendam si mihi audientiam præbeatis.

Et primò quidem, ut ab optimis incipiam; Nonne illud planè miserum est quod optimi quique hoc tempus solum sibi deli-

bi definiant pœnitentiæ, existimantes hoc quidem tempore sibi abstinendum esse, ac temperandum: reliquo verò tempore omnia sibi esse permissa: non valentibus (inquit S. Chrysost. homil. 62. ad popul. Antiochen. Quadraginta diebus, in omni tempore patrata, abluere; nam si gehenna non sufficit, cum sit sempiterna; multò minus hoc breve tempus: nec enim validam exhibemus pœnitentiam sed infirmam: Et certè cum pœna sit productior quàm culpa; ne ut ait S. Augustinus, si cum culpâ finiretur & pœna, levis culpa esse putaretur, longè maiorem pœnam de nobis sumere oporteret. Quid sunt igitur 40. dies pœnitentiæ, ad reliquos totius anni, quos ferme in Dei offensâ consumimus? etiamsi verò pœnam culpæ æquaremus, quàm exigua esset nostra pœnitentia? iis præsertim hominibus, quibus non satis esset tota vita ad eluenda præterita.

Secundò, Quia cum Christiani illud tantummodò tempus sibi reservent ad agendam pœnitentiam; illud tamen tempus planè illis est indifferens, unde nulla in moribus mutatio nulla in vestibus, nulla in temperantiâ, nulla in conversatione, nulla in negotiis, nulla in precibus, nulla in operibus. Gaudebat olim S. Chrysost. homil. 2. in Genes. quod illo tempore omnia videret pacata, ac mensam Imperatoris non differre à mensâ pauperis. Nusquam, aiebat, hodie tumultus, vel clamor, vel carnium coctiones, vel coquorum discursus, omnia illa abierunt, & imitatur hæc Civitas honestam quandam, continentem, & sobriam matremfamilias. & Basil. homil. 2. de Jeiunio. Observa mihi vultuum discrimen, tùm eorum qui hodie sub vesperam conspicientur, tùm eorum qui cras apparebunt. Hodie tument rubore suffusi, sudore tenui rorantes, oculi humentes, præcipites, atque ob nebulam intus è stomacho exhalatam, exactè cernendi facultate privati: crastino verò die videbis eosdem vultus compositos, graves, colore naturali recepto, toto habitu præsentem animum præ se ferentes omnibus sensibus integris, ut pote quorum naturalibus actionibus nulla intus causa tenebras offundit. Certè olim apud maiores nostros, cultus vestium deponebatur: Non tulit S. Ludovicus, ne in liberis quidem suis, ut totam Quadragesimam flores gestarent: ac ipse multos annos toto illo tempore cilicium non deposuit. Sed uti nunc vivimus, nulla plane mutatio nec in lexu, nec in expensis, &c. Exodi 33. *Iam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi: deposuerunt ergo filii Israël ornatum suum à monte Horeb.*

3. Quia ante jeiunium, ea perpetrantur peccata, quibus eluendis totum Quadragesimale tempus non sufficiat: vide quid supersit reliquæ vitæ eluendæ? Et verò maxima planè insania est, ea committere, quæ deinde lugeas. Rom. 6. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.* Nonne melius esset non jeiunare si per intemperantiam itur ad jeiunium? an non sufficiunt præteritæ vitæ excessus, atque delicta, quæ vix totam plangas Quadragesimam, ut nova peccata committas? præsertim cùm tanta perpetrentur peccata, & tam debilis sit pœnitentia. Quæ vero ista est per intemperantiam, ad temperantiam via? per ebrietatem ad sobrietatem? Audi Basil. homil. 1. de Ieiun. Noli per largiorem vini potionem te ad aquæ potum præparare? ne te ad jeiunii mysteria introducat ebrietas, non

est

est per temulentiam aditus ad jeiunium; quemadmodum nec ad justitiam iter est per fraudationem: nec ad sobrietatem per lasciviam, nec ut summatim dicam per malitiam ad virtutem. Aliud ostium est ad jeiunium: ebrietas ad lasciviam inducit, ad jeiunium frugalitas. Athleta ante certamen exercetur. Jeiunator ad jeiunandum temperantiâ præparatur: Ne velut ulciscens jeiunii dies, nec veluti fucum facturus legis authori, in hos quinque dies, crapulæ thesaurum reponito: stultè si quidem facis, si corpus conficis, nec tamen solatium esuritioni admoves. Ista infida penus est cella, in pertusum dolium infundis, fit enim ut vinum perfluat ad suam recurrens viam, peccatum verò maneat in dolio. Hæc Basilius. Sed acriùs etiam homil. 2. Improbum istud consilium est, prava cogitatio ita dicentium, quoniam nobis quinque dierum jeiunium indictum est, hodie nos ipsos tumulentiâ obruamus. Nemo pudicam uxorem legitimè ducturus, ante scorta, & concubinas inducit in ædes, neque enim coniux legitima patitur convictum contuberniumque domesticum stupro corruptarum: proinde ne cum expectatur jeiunium, priùs introducas ebrietatem, quæ est scortum publicum, quæ est impudentiæ mater, quæ risu gaudet, quæ insanit, quæ sordibus squallet temulentiæ: Neque enim jeiunium, & precatio introibunt in animam temulentiâ marcidam. Etenim si cras venias vinum redolens, idque cruditate corruptum, ad putrefactum, quomodò tibi crapulam pro jeiunio sim imputaturus? neque enim illud cogita, quod merum tibi recens infusum non est, sed quod á vi[n]o [p]urus non es, hoc reputa: In utro ordi[n]e collocabo? inter ebrios, an inter jeiunantes? præterita vinolentia te sibi asseritis præsens inedia jeiunium testificatur: anceps es, & velut controversum tumulentiæ mancipium, nec illa abs te abstinebit manuum iniectionem, idque optimo iure, quippe quæ manifesta servitutis argumenta proferat, odorem vini velut in lagenâ residentem. Hic protinus primus ieiunii dies tibi reprobus fuerit, ob temulentiæ reliquias in te repositas: quorum autem primitiæ reiiciuntur, haud dubium quin in his quoque quod reliquum est sit reiiciendum. Ebrii regnum Dei non possidebunt. Si temulentus accedis ad jeiunium quid utilitatis aufers? nam si te ebrietas excludit à regno cœlorum, quis deinceps è jeiunio fructus? an non vides, quod qui in edomandis equis qui ad certamina aluntur, peritissimi sunt, cum instat certaminis dies, eos inediâ præparant. Tu contra studio temetipsum deprimis saturitate, adeò ventris studio, bruta etiam animalia præcurris. Itaque rectè advertit Chrysost. homil. 1. in Genes. Per temperantiam, & tenuitatem victus fieri ad jeiunium præparationem, non vero perculæ dissolutionem. Nam si Medici (inquit) pharmaca dant, si volentes ut putridum & corruptum humorem expurgent, à corporali hâc voluptate abstinere præcipiunt, ut ita pharmaci efficaciæ desit obstaculum, & operari, suamque illa vim declarare possit: multò magis spirituale hoc remedium, hoc est utilitatem quę ex ieiunio est, suscepturis, tenuitate victus, nostram mentem expurgare, & leviorem reddere convenit, ne ebrietate demersa, infrugiferam, & inutilem utilitatem, quæ ex illo est, efficiat. Quin etiam id apud multos fuit in usu, ut, ante Quadragesimam, inciperent ieiunare, exercitatio-

nis causâ: Ac refert S. Doroth in lib. Ieiunnis, multos ad septem hebdomadas ieiunii, aliam adidisse, ut se ad ieiunium Quadragesimæ præpararent, & velut ad labores ieiuniorum exercerent. Hinc iudicare debemus de more illo diabolico Bacchanaliorum, ex quo fit ut omnis Quadragesimæ fructus pereat, in quem ita præclarè invehitur idem qui supra Basil. homil. 2. de Jeiunio sub finem. Quemadmodum (inquit) qui longinquam profectionem adornant, componunt sarcinas, & commeatum parant, ita nonnulli væcordes hodie adversus quinque dierum ieiunium vino indulgent: Quis est usque adeò vesanus, ut priusquam bibere incipiat, ebriorum more delinet? an nescitis, quod venter depositum non servat: Venter conciliator est pessimæ fidei, penu incustoditum, in quod cum multa reposueris, noxam quidem retinet, at non servat deposita. Vide ne tibi quoque si cras veneris cum ebrietate dicta sint ea, quæ sunt ex Isaia recitata. *Non istud ieiunium elegi; dicit Dominus.* Quid misces ea quæ misceri non possunt? quod consortium temulentiæ cum ieiunio, quæ societas vinolentiæ cum abstinentiâ? quis consensus templo Dei cum Idolis? templum enim Dei sunt, in quibus habitat Spiritus Dei: contrà, templum Idolorum sunt, qui per ebrietatem, vilem ac plebeiam admittunt intemperantiam Hodiernus dies vestibulum est ieiunii, quò profecto qui in vestibulo prophanatur, indignus est qui ad sancta introeat. Nullus servus cupiens hero suo reconciliari, hostem illius patronum, ac reconciliatorem adhibet. Ebrietas inimica est Deo, ieiunium pœnitentiæ initium est: Itaque si cupis per confessionem reverti ad Deum, fugito temulentiam, ne magis abs te Deum alienet.

4. Quia priusquam veniat Quadragesima à multis timetur, perinde quasi supplicium esset, unde male ab illis excipitur, contra quàm fieri oportuisset; quoniam enim legem habet ieiunii, propterea fere in odio esse solet: sed audi Chrysost. homil. 1. in Genes. Quemadmodum castam quãdam & ingenuam sponsam ducturi, thalamis undique tapetibus ornatis, domòque tota purgatâ, & ingressu omnibus inhonestis ancillis interdicto, in cubiculum illam introducunt: pari modo vellem etiam vos purificata vestra mente, valeque delitiis, & voracitati dicto, matrem bonorum omnium, & pudicitiæ, aliarumque virtutum omnium magistram, ieiunium, inquã, explicitis vestræ mentis finibus suscipere, ut & vos maiori fruamini voluptate, & illud congruam vobis suam medicinam conferat.

5. Quòd cum venerit, observetur cum tristitiâ, quod est contra legem ieiunii. Tertull. lib. de Ieiun. cap. 8. Præstituit exinde ieiuniis legem, sine tristitia ieiunandis: Cur enim triste, quod salutare? alluditur ad Evangelicum præceptum Matth. 6. Quod pro themate accepimus. *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Tu autem cum jeiunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava*: Quæ verba sic exponit Basil. homil. 1. de Jeiun. Sic igitur animis affecti simus, quemadmodum sumus edocti, ac dies instantes haud quaquam tristi animo, sed alacri affectu illos excipiamus, sicut decet sanctos. Nemo deiectæ mentis coronatur, nemo mœrens trophæum statuit. Noli tristis esse dùm curaris, absurdum fuerit si ob cibos subtractos contristemur, ac non potius super animæ salute lætemur, sicque videamur plus tribuere voluptati ventris, quàm curæ mentis, &c. Unge caput tuum, & fa-

& faciem tuam lava; ad mysteria te vocat sermo Dei: qui alios ungebat, unctus est: qui lavabat, ablutus est: Verba præcepti fac ad interna membra accommodes: animam à peccatis ablue; unge caput unguento sancto, ut consortium habeas cum Christo, qui nomen habet ab unctione, atque ita demum accedito ad ieiunium. Et certè qui ieiunium cum tristitiâ excipit, nihil illi ieiunium proficit, itaque duplex damnum incurrit, & corporis, & spiritus: ac prætereà sicut cibus non libenter sumptus, nauseam parit, ac non proficit, ita quoque ieiunium: quod animę alimentum vocat Chrysost. Unge itaque caput tuum, lava ieiunaturus, non tantum ut dissimules ieiunium, sed multò etiam magis ut gaudium ostendas de ieiunio. Ad hæc ut intelligas ieiunium esse animæ prandium, atque convivium, ad quod te præpares unctione, & ablutione. Denique ut scias non minores esse in ieiunio, quàm in epulo delitias: ut enim ait Chrysost. homil. 1. in Genes. Quantò externus homo noster corrumpitur, tantò internus innovatur: Jeiunium enim animæ nostræ alimentum est, & sicut corporalis iste cipus impinguat corpus, ita & ieiunium animam efficit habiliorem, & valentiorem.

6. Quia cum ieiunium sit actus virtutis, & consequenter ad finem aliquem honestum ordinari debeat, non tamen ita fiat; unde nullus planè fructus existit. Certè quidem si ieiunium in universum spectemus, S. Anastasius Antiochenus in libro quem appellat, in quæst. 64. duplicem ait esse eius scopum: unus est dura corporis tractatio & mortificatio: ut non fruentes præsentibus voluptatibus, fruamur æternis. Alter ut humiliato corpore simul anima humilietur: humiliata autem Deum oret, & veniam impetret. Tertull. lib. de cultu Mulierum Quidam (inquit) ipsam Dei creaturam sibi interdicunt abstinentes à vino, & animalibus, exulantes (id est abstinentes) ab esu carnis, quorum fructus (inquit) nulli periculo, aut sollicitudini adiacent, sed humilitatem animæ suæ in victus quoque castigatione Deo immolant. Quoad humiliationem attinet, hic fuit etiam sensus Davidis, *humiliabam in jeiunio animam meam*: At passim in scriptura dicitur de ieiunio, *Affligatisque animas vestras.* Uti Levitici 16. & 23. cap. Apostolus Paulus duplicem illum finem con iungit cap. 2. Epist. ad Coloss. humilitatem, & carnis afflictionem, cùm ait; *In humilitate, & non ad parcendum corpori, & ad saturitatem carnis.* S. Thomas 2. 2. q. 147. art 1. docet ad tria maximè ieiunium ordinari. Primò ad concupiscentias carnis reprimendas: Unde Apostolus, *in ieiuniis & Castitate.* Qua ex Hieronymo, sine Cerere, & Baccho friget Venus Tertull lib. de Jeiuniis. Monstrum haberetur libido sine gula. Specta corpus, una regio est: Denique pro dispositione membrorum, ordo vitiorum: Et Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 78. ait ad libidinem compescendam præstantissimum remedium situm esse in ieiunio. Secundò. Ut mens facilius elevetur ad sublimia contemplanda. Tertiò. Ad satisfaciendum pro peccatis. Unde Propheta Joël *Convertimini ad me, in toto corde vestro, in jeiunio, & fletu, & planctu.* Ac Ninivitæ cum Prædicationem Pœnitentiæ audissent, statim intellexerunt sibi ieiunandum; itaque Ecclesia canit in præfatione Missæ in Quadragesima. Qui corporali ieiunio, vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præ-

mia. Quod si spectemus jeiunium Quadragesimæ, præter communes illas rationes supradictas, quæ hoc tempore aliquid habent præcipui; hanc rationem assignat S. Chrysost, in homil. de Jeiunio primi Paschæ. Multi (inquit accedebant olim ad mysteria ἀπλῶς, ἢ ὡς ἔτυχε. Idest non præparati, eo præsertim tempore quo Christus tradidit semetipsum: Quare cum Patres (intelligit Apostolos) intelligerent, secumque reputarent incommodum, & & detrimentum ex negligenti illo accessu, congregati sanxerunt quadraginta dies jeiunii: precationum, auditionis verbi Dei, conventus ad Ecclesiam, ut his diebus purgati omnes diligenter, per preces, per eleemosynas, per jeiunium, per vigilias nocturnas, per lacrymas, & confessionem, & per cætera alia, sic pro viribus nostris, cum purâ conscientiâ accedamus.

Sed quam pauci sunt, qui fines jeiunii attendant, quàm pauci qui ex virtute jeiunent; cùm tamen omnis actus virtutis requirat finem honestum, ac debitam illius intentionem, & certas circumstantias, secundùm quas observetur: Jeiunant quidem plerique negativè, quia non violant jeiunium, sed non jeiunant positivè, ex motivo virtutis. Unde etiam nihil merentur jeiunio suo, neque per illud suis peccatis satisfaciunt: Itaque dicere possunt, quod scribitur Isaïe 58. *Quare jeiunavimus, & non aspexisti? Humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Quibus ita respondit Dominus, Zachar. 7. *Cum jeiunaretis, & plangeretis in quinto, & septimo, numquid jeiunium jeiunastis mihi?*

7. Quod cum in Quadragesimâ non tantum contineatur jeiunii obligatio, sed etiam virtutum omnium, atque bonorum operum opportunitas, hæc pars omninò à plerisque omittatur, qui putant se suæ obligationi plenè satisfecisse, si jeiunarint, cum hæc sit pars fere minima: ut hoc bene intelligatur: Adverte hæc tria coniungi fere solita esse, Jeiunium, Orationem, atque Eleemosynam, secundum illud Tobiæ 12. *Bona est Oratio, cum Ieiunio, & Eleemosynâ.* Nomine Jeiunii comprehenduntur omnes corporis afflictiones, cilicia, disciplinæ, humicubationes, vigiliæ, & similia, quæ olim in usu, tempore Quadragesimali: Ita pœnitentiæ publicę eo tempore, magis usurpatæ; & in aditu quarumdam Ecclesiarum virgæ proponuntur. S. Ludovicus totam Quadragesimam cilicium non deponebat nisi ad verberationem quam sæpius adhibebat. Nomine autem Orationis comprehenduntur actiones internæ, & devotio, & preces prolixiores, maiorque diligentia in divino cultu. Nomine autem Eleemosynæ omnia opera misericordiæ. Ita Sancti Patres dicunt, Quod ventri subtrahitur dandum esse pauperi. Jeiunium itaque Orationem adiuvat, atque Eleemosynam, quia mentem sublevat, & facultatem dat pauperes nutriendi: Oratio vero utrumque adiuvat, Jeiunium, & Eleemosynam, quia dirigit intentionem, & gratiam ad utrumque impetrat: Eleemosyna vero jeiunium facit utile, & orationem adiuvat. Quia *beati Misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*: Quoniam vero hæc in Quadragesima usurpari debent, propterea initio nobis illud Evangelium proponitur, in quo dantur præcepta faciendi bona opera, ne scilicet jactantia, & vanitas opera bona corrumpant; atque ut intelligas, quod initio proposui, Quadragesimam à paucis observari: Hæc fere omnia

ssa ab hominum moribus sunt oblitterata : quis enim jam usus pœnitentiarum, cùm ne instrumenta quidem appellare sciant, omnemque usum earum ad Religiosos rejiciant, perinde quasi sæculares pœnitentia non egerent, neque ad omnes Quadragesimale institutum pertineret? Quid dicam de usu orationis? quàm pauci faciunt, quid de eleemosynis? quæ aut parciùs fiunt, aut ad malos fines diriguntur, ad animas perdendas, aut ad vanitatem.

8. Quod pauci intelligant, illud in Quadragesimæ observatione præcipuè esse spectandum, ac requiri, ut à vitiis abstineatur: Nam, ut ait Basilius homil. 2. de Jejunio Verum jejunium est à vitiis immunem esse, continentia linguæ, iræ cohibitio, concupiscentiarum amputatio, obtrectationis, mendacii, perjurii, ab his abstinere verum est jejunium. Et fusius homil. 1. Cave ne jejunii utilitatem, sola escarum abstinentia metiaris : verum enim jejunium est ab omnibus vitiis esse alienum. Solve omne vinculum iniquitatis, condona proximo, si quid dolet animo, remitte illi debita. Nolite *ad contentiones ac lites jejunare*: Carnes non edis, sed comedis fratrem tuum: à vino abstines, sed ab injuriis tibi non temperas? Expectas vesperam, ut cibum capias, sed diem totum absumis apud tribunalia. Væ iis qui ebrii sunt non à vino. Ira mentis, est temulentia, eamque à sobrietate excutit, haud aliter quam vinum. Quin & dolor, temulentia, metus est, quoties ad ea fertur, ad quæ non oportet : In summâ quivis effectus dimovens animum à statu suo, meritò dicitur ebrietas. Idem judicavit Chrysost. homil. 73. ad popul. Antioch. Non secundùm multos, temerè censeamus, in hoc contineri jejunium, si sine cibis ad vesperam usque permaneamus: Non est hoc quod quæritur hîc, sed ut cum ciborum abstinentia, à noxiis, quoque continentiam exhibeamus, & circa spiritualium exercitationem, multum impendamus studium: Jejunantem decet esse correptum, mitem humilem, præsentis vitæ despicientem gloriam, sicut cibos aspernatus est, sic & inanem gloriam floccipendat oportet, & ad illum respiciat solum, qui corda scrutatur, & renes. Sed supra omnes Jsaïas cap. 58. *Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Numquid contorquere quasi circulum, caput suum, & saccum, & cinerem sternere? Numquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis jejunium quod elegi: dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes: dimitte eos qui confracti sunt, liberos, & omne onus disrumpe: Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Sed si in sæculi nostri mores oculos conjiciamus, quis hoc tempore modestior, quis temperantior, quis melior? Longè enim satius fuisset, mores, quàm cibos, aut mensam mutare: meliùs jejunare à vitiis quàm à cibis : neque enim tantùm lingua peccavit edendo, sed etiam loquendo: peccarunt oculi, peccarunt manus, & pedes: itaque illis, (ut ait Bernardus) tàm jejunandum est, quam ore, atque linguâ. Quoniam igitur hæc passim negliguntur, hinc meritò dixi, Quadragesimam ab illis vix observari; itáque Quadragesimæ adventum maximè me anxium habere atque sollicitum, cùm nihil ex ipsa homines proficiant, & id minùs attendant quod præcipuum est.

Hinc sequitur tertia causa doloris mei, quod

quod hâc ratione, hominum salus ferè desparata sit quòd iam non meliores existant optimis institutis. Quid enim est melius, quid sanctius hoc tempore? in quo primò non licet nisi cum pudore, & difficultate esse improbum: secundò; in quo facultas præbetur atque opportunitas bonis operibus, & tollitur difficultas, quæ oritur ex earum rerum insolentiâ: uti enim florere arbores verno tempore, atque gemmas trudere, nemo miratur: ita nemo novum esse ducet Quadragesimæ tempore, quod quis bonis operibus indulgeat. Item compescitur concupiscentia, & modestia imperatur, in habitu, in mensâ, in risu, & iocis. Non sinebat S. Ludovicus filios suos, nec filias, diebus veneris flores gestare, quòd eo die Christus passus fuisset: sicut nec totâ Quadragesima. Ita unusquisque sibi imperare debet modestiam hoc tempore. 3. Uberior est atque liberior divini verbi prædicatio. 4. Maxima Sacramenta celebrantur, & summa, atque divinissima fidei nostræ mysteria. 5. Ipsius Ecclesiæ habitus lugubris nos monet, & apparatus pœnitentiæ: ipsa altaria, ipsi parietes, cantus, verba Scripturæ, Sacerdotum vestes, & ceremoniæ. 6. Vel sola Evangeliorum coordinatio ad perfectionis viam optimè accommodata Ex quibus omnibus si quispiam melior non fiat, nescio quid tandem sperandum supersit. Quando enim eris castus, quando temperans, quando modestus, quando misericors, quando humilis, quando iniurias condonabis, nisi hoc tempore id facias? quando res terrenas despicies, quando præteritorum te pœnitebit, quando te ad pœnitentiam damnabis, nisi isto tempore? *Obstupescite cœli super hoc, & portæ cœli desolamini.* Quò sit dilectissimi, ut vos etiam, atque etiam rogem; ut hoc sacro tempore vetera eluantur, præsentia disponatis, futura nobis promissa, aut nobis proposita, certa faciamus.

Vos itaque primum alloquor, ô Sacerdotes ut sedulò impleatis, quod de vobis initio ieiunii canit Ecclesia, post Joëlem Prophetam cap. 2. *Inter vestibulum, & altare plorabunt Sacerdotes, ministri Domini, & dicent, parce Domine, parce populo tuo.*

2. Te, popule Christiane, ut intelligas, te nunc singulariter esse Christianum, idque moribus ostendere debere: Chrysost. homil. 1. in Genes. Confundantur Gentiles, erubescant Judæi, videntes vestram charitatem, hilari promptitudine ieiunii adventum salutantem, atque excipientem, discantque per experientiam, quantum inter nos sit, & ipsos intervallum. Et illi quidem ferias, nominent ebrietatem, omnemque aliam intemperantiam, ac turpitudines, quas verisimile est inde ipsos attrahere: at Ecclesia Dei ea quæ illis adversa sunt, nempe ieiunium, ventris despectum, & omnes alias Virtutes illius comites, ferias appellet. Hæc Chrysostomus.

3. Vos Catholici atque Hæretici: illos quidem ut, sciant Quadragesimæ observantiam partem esse Religionis: hos vero ut discant qua tandem in Religione versentur, quæ omnia præclara instituta pessumdedit. Itáne verò hæc est Ecclesiæ reformatio, tot sæculis confirmatam abstinentiam tollere, ac ventris patrocinium suscipere? legant sanctos omnes Patres, quorum nullus de solemni ieiunio tacuit. Dicere non possunt novum esse institutum, cùm ob eius antiquitatem dicat S. Basilius eius canitiem esse venerandam: Ad hæc, conqueri non possunt esse Romanæ

manæ Ecclesiæ tyrannidem, cùm apud Græcos austeriùs ac rigidiùs observetur: Immò cùm ab omnibus ut idem ait Basilius, & insulis, & terris, & nationibus, & ætatibus accipiatur. Cur isti soli ab ea lege se exemerunt? Sed placet illis ciborum *adiaphora.* ut nimirum eandem indifferentiam servent in cibis quam in rebus reliquis, tanquam, Simonis, Adiaphoristarum principis imitatores.

4. Vos pauperes, & divites, illos quidem, ut orent, ac patienter ferant divitum immanitatem, hos autem, ut misericordiæ operibus vacent: De jejunio vero audite quomodò vos ambos admoneat Basilius homil. 2. de Ieiunio. Excipite hoc pauperes, contubernale vobis, ac mensæ socium: Excipite divites, quod noxæ è luxu contractæ medeatur: quodque vicissitudine & novitate vobis jucundiora reddat ea, quæ nunc assiduitate fastidiuntur.

5 Iejunantes, & non jejunantes: illos ut se humilient, quia hic est habitus jejunantis: hos vero quoniam ieiunij non sunt capaces: Illos, ne ob vanam gloriam jejunent, ne ut ait Chrysost. homil. 71. ad pop. Antioch. & impensam patiantur, & mercede priventur. Hos verò quia non jejunant, jejunij defectum, aliis operibus compensent: Illos ut intelligant, non sibi tantùm jejunandum à cibis, sed potissimùm à vitiis. Hos verò, ut pluris faciant voluntatem jejunandi, quàm necessitatem.

6 Infirmos, & sanos: illos ut pro ejujnij labore modestè ferant infirmitates, & si corpore non possunt, saltem mente jejunent: audiant Chrysost. homil. 2. in Genes. Si tibi corpus infirmum ad continuè jejunandum, non tamen est infirmum ad orandum, nec ad ventris despectum imbecille: nam si jejunare non potes, potes tamen abstinere delitiis: hoc autem nō minimum est, nec à jejunio multùm distans, sed ipsum quoque Diaboli furorum prosternere idoneum. Hos verò, ut sanitate utantur, ut Deo obsequantur. Gaudeant se sanos esse, non propter sanitatem, sed propter commoditatem obediendi legi: Ambo verò audiant Basilium homil. 2. de jejunio. Excipite malè valentes, sanitatis matrem: Qui bonâ estis valetudine, excipite bonæ habitudinis custodem.

7. Qui Conciones frequentant, & qui non frequentant: Illos quidem ut alios doceant: hos verò ut ab alijs discant, atque interrogent. Illos ut audiant Chrysost. homil. 73. ad pop. Antioch. ubi docet Quadragesimæ tempore non tantùm ad Ecclesiam conveniendum ut instruamur, sed plane desiderari ut emendemur: Nam (inquit) si continuæ vacantes auditioni, tantamque consequentes doctrinam, & à jejunio subsidium habentes, si ijdem permaneamus, nec iracundus mitis efficiatur; nec animosus mutetur in mansuetum; nec in benignitatem invidus se reducat, neque pecuniarum captus insaniâ, à vitio desistens, ad misericordiam, & pauperum se transferat sustentationē; nec impudicus continens euadat: nec

E inanis

inanis gloriæ stupidus amore, discat eam contemnere, verámque perquirere gloriam; neque circa proximi charitatem segnis exurgere seipsum doceat, ut non solùm Publicanis non sit inferior, sed etiam inimicos benignè conspicari, & multam eis charitatem exhibere: Nisi hos superemus morbos, & alios in nobis nascentes, quæ nobis erit venia? Quæ autem excusatio? Dic enim quæso, si tuum videas filium quotidie scholam petentem, & tempore progresso, nihil amplius inde lucrantem, nunquid patienter feres? Nonne & flagella puero infliges, & præceptorem accusabis? posteà si didiceris, quod à præceptore quidem omnia facta sunt, & prætermissum est nihil, sed omnium causa fuit pueri negligentia, nonne culpa liberans præceptorem, omnem in puerum transferes indignationem? Idem & hic fieri justum est: Nos enim quodammodo à divinâ gratiâ sumus constituti, quasi spiritales filios ad hanc scholam quotidie vocantes, salutarem vobis doctrinam apponimus: itaque si nobis omne studium, & sedulitatem exhibentibus, & quotidie vos ad virtutis ducentibus semitatem, vos in iisdem permantis, & quantus nobis erit dolor, & vobis, ne quid amplius dicam, quanta damnatio, cogitate. Hos verò, ut quoniã concionibus interesse non possunt, se saltem, aut libris instruant, aut exemplis, ac Deum intus loquentem audiant. *Hodie* enim *si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*, &c.

8 Peccatores, & Iustos: Illos ut eleemosynis peccata sua redimant, ac tempus pœnitentiæ elabi non sinant. *Tempore enim accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis:* Ioëlis 2. *Nunc ergo dicit Dominus. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu; & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est: patiens, & multæ misericordiæ & præstabilis super malitiâ. Quis scit si convertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem?* Hos verò ut quoniam hoc tempore; etiam perditissimi, bonis operibus vacant, ipsi multò magis virtuti sese addicant; itá ut, si alio tempore sese ab illicitis abstinent, certè hoc tempore, etiam à licitis abstineant: neque sint contenti ordinarijs, & communibus virtutum officijs: sed majora faciant, & sese tempori accommodent.


9 Ad Pœnitentes, ad Proficientes, ad Perfectos, mea sese convertit Oratio. Ad primos quia tempus pœnitentiæ est. Ad secundos, quia hæc est opportunitas virtutum, & bonorum operum. Ad ultimos, ut sese in Christum patientem, summarum virtutum exemplar transforment.

10 Ad Conjugatos, ad Viduas, & Virgines: ad primos, ut si partes consenserint, sæpiùs contineant. Certe Nicolaus Pontifex præceperat Bulgaris ut totam Quadragesimam continerent. Id facere solitus erat S. Ludovicus: Et quia præcepit Apostolus id aliquandò fieri, ut vacent orationi, cùm hoc tempus sit omnium optimum ad ortionem, nullo tempore utilius id esse potest. Viduæ autem habeant pro

pro conjuge, luctum; atque imitentur Ecclesiæ solitudinem & secessum. Et quia hoc tempore, Nuptiarum solemnitas prohibetur, cogitent quomodo Christi mortem lachrymis prosequi debeant: Virgines autem sese supra consuetudinem custodiant, atque Christo suo sponso configurentur, spinas habeant pro floribus, & rosis: fel pro melle, acetum pro delitiis, cineres pro pane, crucē pro lecto, &c.

Atque ut neminem prætercam, Cogitet impius, liber, ac effrænis homo usquequò perveniat suæ impietatis opus, ut si his diebus non resipiscat, necesse sit, ut contra totius naturæ sensum depugnet: audiat superbus, humiliato Deo, fastum esse abiiciendum. *Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi.* Cogitet gulæ deditus, quod ait Basilius homiliâ de jejunio. Vide ne qui nunc aquam respuis, in posterum exemplo divitis illius stillam aquæ concupiscas. Norit avarus non debere se, ad parcitatem jejunare, sed ad liberalitatem, & ad pauperum sublevamen: parum prodesse si esuriat, nisi ejus esuries pauperem reficiat.

Quid verò ad te, homo turpis, & lascive, num tandem finem impones turpitudini tuæ? Vide quot te remedia sanent, aut sanare debeant: abstinentia, corporis afflictationes, mulierũ modestia, risus immoderati compressio, quotidiana concio, silentium, solitudo, Confessio frequentior, tot in Evangeliis exempla, Meditatio Passionis Christi, sanguinis ipsius pretium, exemplum divitis epulonis, Magdalenæ conversio. Quis jam tot rebus resistere impunè potest? quis tã perditus animus, quod tam ferreum pectus obniti in contrarium potest? Ionas in urbe Ninive pœnitentiam prædicavit: Quid verò suâ prædicatione non perfecit? Sed quot hominũ millia convertit, quot peccatores? crimine ab uno, disce omnes. Cogita unum Sardanapalum, delitiis corruptum, sola concionis relatione commotum, & conversum: at, bone Deus: ad quam pœnitentiam, ad quod jejunium? quo non tantùm viri, sed & mulieres, & pueri, parum est, sed & jumenta jejunarunt. Non quod Deus id requireret, (ait Beatus Cyrillus in Jonam) aut quòd necesse erat ut fieret; sed quia (inquit) sic demonstrata est hyperbole, ut ita dicam, pœnitentiæ illorum, id est exuberantia: facta est autem mentio animalium, non propter animantes: nam, ut ait Sanctus Paulus: Numquid de bobus cura est Deo? sed docuit Scriptura, stolidiores esse pecudibus, qui jejunium reiicerent; cùm licuerit etiam animalibus jejunium indicere: sive quia erant ad hominum usum comparata, ait Theodorus Antiochenus, Commentario in Jonam: sive, ut mugitu eorum & balatu, uti advertit Theodoretus, commoti homines, magis, ac magis dolerent. Quid igitur nos, post tantas admonitiones facere convenit, nisi ut pœnitentiam amplectamur, ornatum omnem deponamus, delicias, & jocos abiiciamus, jejunium assumamus, ac vitia nostra relinquamus: quod præstare nobis dignetur gratiâ suâ Iesus Christus Dominus noster. Amen.



FERIA QUARTA CINERUM,

CONCIO PRIMA,

DE RECTA INTENTIONE,

Cùm jejunatis, nolite fieri sicut Hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Matth. 6.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo. Matth. 5.

CUM Quadragesima sit omnium bonorum operum tempus opportunissimum, unde Sanctus Chrysostomus homil. 1. in Genes. vocat spiritale ver animarum; quoniam uti ver est totius naturæ renovatio, & omnia vere parturiunt; ita hoc sacro tempore, non tantùm est jejunij tempus, & pœnitentiæ, sed etiam omnium bonorum operum, orationis, Eleemosynarum, & omnium virtutum: & cùm pleraq; bona opera perdantur, eò quòd malè fiant, unde Seneca Epistolâ 95. non in facto laus est, sed in eo, quemadmodum fiat; idcircò Ecclesia nos in aditu Quadragesimæ admonet quomodo nos gerere debeamus: *Cùm jejunatis, nolite fieri sicut Hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes: Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.* Quibus verbis docemur, jejunium, si solum sit, parùm esse: quod ex aliis etiam bonis operibus sentiendum est; quòd autem parùm sit, hinc patet; quia ejus merces datur in præsenti vita; unde subdit: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ.* vide enim successum: *ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur*: Vult autem nos altiùs aliquid cogitare, & laborare æternitati; nam ait: *Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur*: causam autem utriusque subdit; *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*: Nempe quod quisque appetit, id colligit: Quid itaque faciendum sit, ne & jejunium, & bona

& bona opera nobis pereant, hoc docet Christus, ut nimirùm rectâ fiant intentione, eam autem rectam explicat intentionem, ut non fiant causâ placendi hominibus, sed Deo: ne videlicet mercedem accipiamus ab hominibus, sed à Deo, secundum illud: *Ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito, Et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi:* certe quis reddet? is qui videt: quis autem videt, nisi is cujus oculos respexisti? *Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis.* Ps. 122. *Unde veniet auxilium mihi? auxilium meum à Domino?* Psal. 120. Illud autem spero per Virginis Matris intercessionem. AVE MARIA.

MIRABILIS illa civitas, quæ sancto Joanni Apocalypsis visionibus ostensa est, quam ibidem appellat *Jerusalem novam, descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo* (cui testimonium ab ipso Dei throno datum est, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitavit cum eis*) Ecclesia est. Illius ornatus & magnificentia, hujus sanctitatem & præclaras virtutes significat. Angelus autem qui visus est Joanni, habere in manu arundinem auream, ut metiretur civitatem, portas ejus, & murum, non alius est quàm magni consilij Angelus, uti Christum appellat Scriptura, qui singulorum virtutes, atque actiones metitur mensurâ, seu arundine aureâ, quam aliam non esse existimo, quàm rectam intentionem, de qua loquitur hodiernum Evangelium, & nos hodierna concione dicturi sumus, tanquam de re omninò necessaria, uti fatebitur qui me patienter audierit.

I. Veritas. Sicut in rebus moralibus id quod est præcipuum, & quasi essentiale, & aliarum rerum origo, est finis: quia finis est id, cujus gratia sunt omnia; etenim ut ait Apostolus, omnia bonum appetunt; finis autem & bonum, idem sunt; nam omne bonum vel est tale, per se, vel propter aliud, si est per se tale, finis est, in fine enim terminatur, alioqui non esset finis, igitur in aliud non ordinatur, omnia autem, uti diximus, in bonum tendunt; omnia enim perfici volunt: perficiuntur autem, cùm finem obtinent; si autem bonum est propter aliud, habet rationem medij, media autem non sunt per se amabilia, sed propter finem ad quē referuntur, Ita quod est præcipuum in actionibus moralibus, & unde cætera oriuntur, est intētio, quę est primus affectus circa bonum propositum, ut obtinendum per media, juxta illud Dionis Chrysostomi oratione 38. Ego sanè pro omnibus quæ aguntur, nō puto homines frustra sudare, neque temerè; sed semper esse certamen pro re aliqua: qui enim bellum gerit, aut de libertate certat, aliis eum servituti subiicere volentibus: aut de principatu, alios in servitutem volens redigere: Qui autem mare navigat, aut viæ gratiâ periclitatur, aut negotiationis: Ne verò omnia afferā exempla, omnia nos homines facimus propter bonum finem, fugimusque contrarias actiones, propter malum finem: porrò absq; causa rem seriò agere, aut laborare, hoc est quod stultis tantùm

tantùm convenit. Hæc ille. Ut autem ſcias quod dixi, omnium actuum moralium circa finem, primam eſſe intentionem, hinc cognoſcere potes, quia intentionem alij actus conſequuntur; etenim intentionem ſequitu, deliberatio de mediis ad aſſecutionē idoneis; deliberationem ſequitur electio; tum ceſſante ordine intentionis, inchoatur ordo executionis, per uſum mediorũ, qui concluditur aſſecutione finis, cui ſubjunguntur actus circa finem jam adeptum, nempe fruitio & delectatio, & ſi qui alij actus verſantur circa finē jam adeptum: ex quibus omnib⁹ patet quod à nobis dictum eſt, in actibus moralibus, id quod eſt primum, & præcipuum, & origo cæterorum eſſe intentionem.

Hinc ſequitur 1. Ut ubi nulla eſt intentio, ibi quoque nihil ſit morale, ubi nihil morale, ibi etiam non ſit actio humana; & hinc damnatur actio otioſa, verbum otioſum & cogitatio otioſa, quam definio, omni fine carentem, in quo eſt ejus deformitas, quia tenetur homo operari conformiter ſuæ naturæ; itaque moraliter; quod ſi moraliter debet operari, certè ex intentione, cùm omnis moralitatis principium, ſit intentio.

Primus itaque defectus circa intentionem eſt nullam habere, nullumque finem ſibi proponere, quod ſtultorum proprium dixit eſſe Dio Chryſoſt. ſeu irrationabiliter agentium, neque enim actio humana eſt, ſi nulla ſit intentio: Richardus de ſtatu interiori homil. 17 Quod eſt corpus ſine vitâ, hoc eſt opus ſine intentione bona: itaque Seneca epiſtola 95. Proponamus oportet finem ſummi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum noſtrum, dictùmque reſpiciat: veluti navigantibus, ad aliquod ſidus dirigendus eſt curſus; vita ſine propoſito vaga eſt.

Porrò nullam habent intentionem, qui vel impetu agunt, aut ex paſſione, aut ex aſſuetudine, vel incogitantiâ, nec ſibi finem aliquem, aut ſcopũ proponunt; ſed agunt temerè, ut ſe ſe res offert, vel abripit cogitatio, rectiùs dixerim imaginatio: de quâ re Seneca epiſt. 71. Neceſſe eſt multùm in vita noſtra caſus poſſit, quia vivimus caſu; quoties quid fugiendum ſit, aut quid petendum, voles ſcire, ad ſummũ bonum, & propoſitum totius vitæ reſpice: illi enim conſentire debet quidquid agimus: Non diſponet ſingula, niſi cui jam vitæ ſuæ ſumma propoſita eſt: nemo quamvis paratos habeat colores, ſimilitudinem reddet, niſi jam conſtet, quid velit pingere: ideò peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus; de totâ nemo deliberat: ſcire debet, quid petat ille qui ſagittam vult mittere, & tunc dirigere, & moderari manu telum: Errant conſilia noſtra, quía non habent, quò dirigantur: ignoranti, quem portum petat, nullus ſuus ventus eſt.

Certè præcipua cauſa hujus defect⁹ eſt incogitantia: cùm enim voluntas ſit cæca facultas, in actum exire non poteſt, niſi prælucente ei cognitione: propterea omnes voluntatis actus, præcedunt aliqui actus intellectus, qui volitiones illas dirigant; & intentionem quidem præcedit judicium de poſſibilitate, & bonitate finis, ſicut electionem præcedit conſultatio: uſũ

vero

verò mediorum, præcedit actus imperij: sed judicium præcedens intentionem, est judicium de finis bonitate, ob quam dignus sit terminare voluntatem intendētem, quod iudicium fieri non potest, nisi præcedat cogitatio: unde ille Asceta, de quo in vitis Patrum, qui aliquid operis facturus aliquantulùm sudsistebat, cogitanti similis, cuius, rei causam sciscitantibus respondit, omnia opera nostra nullo sunt loco, nisi sincero fine fiant, sicut trabs informis, antequam formetur ab artifice: & sicut missurus telum, collimat ad scopum, ita ego aliquid facturus, cogito in quem finem opus meum dirigam: Mitto dicere qui nullo fine proposito agit, aberrare perpetuò, ac licet aliquando bene agere videatur ex aliâ causâ, ut ex consuetudine, aut ex alterius directione, cùm tamen id non faciat ex proposito, casu id facere, itaque & raro & non constanter: sicut sagittarius, qui in scopū non intendit, neque collimat, potest tamen casu illum tangere, sed cùm ex arte non faciat, id non faciet constanter, immò sæpius non faciet: audi Senecam Epistola 95. Putamus aliquem facere quod oportet, non faciet assiduè, non faciet æqualiter; nescit enim quare faciat: aliqua vel casu, vel exercitatione exibunt recta, sed non erit in manu regula, ad quam exigantur, cui credat recta esse quæ fecit: Non promittet se talem in perpetuum, qui casu bonus est: deinde præstabunt tibi fortasse præcepta, ut quod oportet, facias: Non præstabunt, ut quemadmodum oportet, facias: si hoc non præstant, ad virtutem non perducunt: faciet quod oportet monitus; concedo: sed id parum est; quoniam quidē non in facto laus est, sed in eo quemadmodum fiat.

Illud satis sit nobis, sine intentione nihil illos agere moraliter, sed perpetuò, aut aberrare, aut vagari.

Sequitur 2. Mensuram actionis, maxima ex parte, peti debere ex intentione, ut in unoquoq; genere major aut minor sit actio, secundum qualitatem intentionis: unde Ambrosius dicere solebat. Quantùm intendis, tantùm facis: Gregor. in Moralibus Job, exponens illud cap: 38. *super quo bases illius solidatæ sunt:* Bases uniuscuiusque animæ, sunt intentiones suæ: Nam sicut fabrica columnis, columnæ autē basib' innituntur, ita vita nostra in virtutib', virtutes verò in intimâ intētione subsistunt, &c. Tales omninò sumus, qualis est nostra intentio: De Nabuchodonsore dictum est Daniel 4. *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei,* quod ubi factum est, ex hominibus abjectus est, & fœnum, ut bos comedit: sed ubi sensus humanus redditus est ei, stetit super pedes suos, & oculos suos levavit in cœlum: idem cogita de intentione, secundùm cujus diversitatem, aliter, aut aliter agit homo. Moyses mittens suam manum in sinū, eam leprâ infectam eduxit, iterùm reposuit in sinum, & omnino sanam inde extraxit, nulla mutatio nisi ab intentione: Eodem modo virga ipsius missa in terram, versa est in colubrum, sumpta in manum, rediit in virgam: vide ejusdem actionis mutationem secundùm

cundùm diverſitatem intentionis: itaque rectè monet Auguſtinus in Pſal. 31. Non valde attendas, quid homo faciat, ſed quid cum fecit, aſpiciat. Rectè itaque concludit Seneca epiſtola 95. Non in facto laus eſt; ſed in eo quemadmodum fiat: eadem res ſi gulæ datur, turpis eſt; ſi honori, reprehenſionem effugit: amico ægroto aliquis aſſidet, probamus: at hoc ſi hæreditatis causâ facit, vultur eſt, cadaver expectat: Eadem, & turpia ſunt, & honeſta; refert quare, & quemadmodum fiant: inde naſcitur difficultas judicandi, & de qualitate actionis, & de uniuſcujuſq; vitâ, quia quod præcipuum eſt in actione, illud latet, nempe intentio: unde monitum Apoſtoli 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo:* Hinc conſtat neminem alterius poſſe eſſe juſtum judicem quia totam rem noſſe non poteſt, hoc patet in judiciis innumeris mortalium: quàm multa homines improbant, quæ aliquando habebunt laudatorem Deum, & è contrario, quàm multa laudantur ab hominibus quæ à Deo rejicientur, ſolâ tantùm differentiâ intentionis, quæ ſignificatur ab Apoſtolo per conſilia cordium, quorum cognitio ad ſolum Deum pertinet, unde ſæpe Chriſtus ad Judæos: *Juſtum judicium judicate.* Sed illud nemini dubium eſt quod diximus menſuram actionis maximâ ex parte peti debere ab intentione. Ambroſ. Quantùm intendis, tantùm facis: quantùm autem intendas uni Deo notum eſt, vix tibi.

Secunda veritas. Omnis intentio in triplicem dividitur, in bonam, malam, & indifferentem. Probatur ex triplici genere objectorum; alia enim bona ſunt, alia ſunt mala, alia ſunt indifferentia; quia nec bona ſunt, neque mala ex ſeſe, quia nec bonitatem, nec malitiam moralẽ continent, qualia ſunt omnia opera merè naturalia: De bonâ intentione Bernardus. Pura erit intentio, ſi in omni actiõ noſtrâ, aut honorem Dei, aut utilitatem proximi, aut bonam conſcientiam quæramus. Seneca libro 3. de Ira cap. 41. Nihil opinionis causâ, omnia conſcientiæ faciam. De malâ intentione David Pſal. 100. *Non proponebam ante oculos meos rem injuſtam.* De indifferente Hieronymus Epiſt. 89. Bonum eſt continentia, malum luxuria: inter utrumque indifferens ambulare, &c. Hoc nec bonum, nec malum eſt: ſive enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habebis, nec injuſtitiam. Porrò unaquæque illarum intentionum ſuum colorem donat actioni, cujus cauſa eſt ordine ſequenti.

Dico 1. Mala intentio omne opus inquinat & inficit qualecunque ſit ex ſua natura, hoc eſt ratione objecti materialis & formalis, ſecundùm illud Apoſtoli 1. Cor. 5. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Nabuchodonoſoris ſtatua tota ex metallis cõpacta, ſed quia pedes habuit luteos *Daniel 2.* propterea ubi à modico lapide percuſſa eſt, concidit, *& tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum. & aurum, & redacta quaſi in favillam æſtivæ areæ, quæ rapta ſunt vento, nulluſque locus inventus eſt eis:*

Itaque

Itaque non curat Diabolus an aliquid boni vel mali facias; modo bonum mala intentione facias, nam ut ait S. Greg. Totam arborem sibi fructus afferre conspicit quam veneni dente in radice vitiavit: in quo multi, & seipsos, & alios decipiunt, dum attendunt ad opus quod faciunt, non autem ad intentionem quâ faciunt: Bernard. tractatu de Gradibus Humil. gradu 5. Opera probant quæ cernunt, sed unde prodéant, non discernunt: Ita Deus improbavit sacrificium Caïni, cui dixit Genes. 4. ex interpretatione 70. *Nonne si rectè offeras, non autem recte dividas, peccasti?* Ille male dividit, qui in bonam actionem, malam intentionem inducit: ita Christum prædicare, & animas convertere bonum est, sed id factum fuisse à multis malâ intentione docet Apostolus ad Philippenses capite primo: *Quidam quidem & propter invidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant: Quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelij positus sum: Quidam autem ex contentione Christum annuntiant, non sincerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? dum omni modò, sive per occasionem, sive per veritatem. Christus annuncietur; & in hoc gaudeo, sed & gaudebo: scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem*: vide eandem actionem, nempe Christi prædicationem diverso modo factam, ab aliquibus ex charitate, ab aliis ex invidia, dùm illis doleret, quod Paulus Romæ multos convertisset: ab aliis ex contentione, nempe ut certarent cum Paulo, & ostéderent se non pauciores Paulo convertisse; existimantes id Paulo grave futurum, illius mentem ex suo sensu metientes: sed Paulus omnia convertens in bonum, gavisus est de infidelium conversione, quomodocunque factâ, *& in hoc gaudeo, sed & gaudebo, scio enim quia id mihi proveniet ad salutem.* An non orare bonum est? sed Euchitarum oratio, quia ex malo principio, fuit abominabilis: & de quodam dicit Psalmista Psal. 108. *Oratio eius fiat in peccatum:* An non jejunium laudatur in scriptura? *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & in fletu & in planctu:* audi tamen quid de quodam jejun. dicat Isa. cap. 58. *Quare jejunavimus, & non aspexisti: humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die jejunij vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite jejunare, sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum, & cinerem sternere? Nunquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino?* Quis nesciat quadragesimale jejunium innumeris Patrum præconiis affici? S. Franciscus quinque Quadragesimas in anno jejunare solitus erat, magna cum laude, majore cum merito: Tertullianus ex errore plures induxit in Ecclesiam ex Montano Quadragesimas, tres scilicet, quasi tres salvatores passi essent: Tale jejunium abominabile fuit ex mala intentione: jejunij Sabbathi in Ecclesia Occidentali observatio commendatur: in Orientali, damnata ex

F per-

perversa hæreticorum intentione, quod Christum resurrexisse negarent. Quid in religione sanctius est sacrificio? audi tamen quid de sacrificiis externis sentiat Deus, si absit vera religio: Isaiæ 66. *Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in viis suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est.* Quid in scripturis magis commendatum eleemosyna? quoniam uti dicitur apud Tobiam cap. 12. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam:* Verùm quæ fit ex errore in fide, & ex falso principio, qualia nunc vulgò jactantur, coram Deo abominanda est, & fortasse maius peccatum quàm rapina, adeò homines in rerum judicio decipiuntur: adeò omne opus præsertim externum separatum ab intentione, æquivocum est in genere moris, si aliunde materiale non est prohibitum, & omne opus alioqui ex suo materiali bonum, à malo fine corrumpitur, & à malâ intentione vitiatur etiamsi internum sit, & ratione sui obiecti bonum.

Ex quibus omnibus patet quod diximus malam intentionem omne opus etiam bonum corrumpere: id verò magis de indifferenti intelligendum est; in quo cùm nihil sit boni, & aliunde mala sit intentio, certè jam non manet in ratione indifferentis, cùm malitia intentionis illud omne corruperit: Nam si Gregorio, de aliquibus dicere licuit, est qui bonum malè faciat, certè qui rei non bonæ malitiam addiderit, nihil habebit quod in opere suo excuset, in quo nihil boni reperiat: Quod si mala intentio, malo operi addatur, illud pejus efficit: nam ut ait S. Isidorus lib. 3. sentent. cap. 63. Bonis malè uti, malum: sic malis, malè uti, pessimum est: itaque mala intentio, cuilibet operi, suam malitiam communicat: hoc voluit Christus cum dixit Matth. 6. *Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex; totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit: si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* sensus est quod oculus est in corpore, id in homine esse cor, seu intentionem: dixerat autem priùs, *ubi thesaurus tuus ibi & cor tuum erit*, uti igitur oculus, dum est purus sic totum corpus illuminat, ut omnia membra videantur esse oculus, quia singula membra sufficienter illuminantur ab exiguo oculo ad suas functiones; quod si oculus, fuerit humore aliquo suffusus, hinc cetera membra obtenebrescunt: Idem fit in opere, &c. Quod si mala intentio damnatur, quantò magis actio mala juncta malæ intentioni? si ergo lumen quod in te est tenebræ sit, si id quod actionem dirigere debebat, & rectam facere, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt, certè duplex erit in actione malitia, & ab obiecto, & à fine. Nam ut ait S. Gregor. 28. Moral. cap. 6. Quid per oculum exprimitur, nisi opus suum præveniens cordis intentio, quæ priusquàm in actione se exerceat, hoc quod jam appetit contemplatur? Porrò illa infectio actionis

à malâ

à malâ intentione, maior, aut minor est, prout intentio, magis, aut minùs mala fuerit, quia totam se infundit actioni: hinc fit ut multa opera quæ ex suo obiecto sunt exigua, ex pessima intentione fiant maxima. Ita Bernardus lib. de Præcepto, & Dispensatione. Elatio contemnentis, & obstinatio impœnitentis in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam.

Dico 2. Intentionem indifferentem, si malo operi accedat, non emendare; si operi bono, aut non facere melius, aut inquinare; si indifferenti, aut malum facere, & æquale otioso, aut saltem nullius meriti efficere. Voco indifferentem intentionem, quæ nec honestatem habet, neque malitiam. Dixi 1. si operi malo accedat, non emendare. Ratio est, quia si bona non emendat, ut posteà dicemus, multo minùs indifferens intentio id poterit; quia quod est indifferens, medium est inter bonum & malum, igitur malo non adversatur, igitur malum non emendat. Dixi 2. Si accedat bono operi, aut non facere melius, aut inquinare: Quod non faciat melius, hinc patet; quia non potest addere aliam bonitatem, quàm eam quam habet: Quod fortasse inquinet hinc probatur; quia in eo est deordinatio, ut quod melius est, deteriori subordinetur: omnis autem deordinatio peccatum est; at bonum respectu indifferentis melius est: & indifferens est deterius. Sed quod ordinatur ad aliud, eo ipso illi subordinatur, & ordinatur ut ad finem: igitur si bonum referatur ad indifferens peccatum est. Favet Sanctus Augustinus libro de utilitate credendi capite 12. Omne factum, si rectè factum non est, peccatum est: Nec rectè factum ullum esse potest, quod non à recta ratione proficiscitur: Et libro 2. de peccatorum meritis c. 18. Voluntatem mirum est in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit: aut enim justitiam diligimus, & bona est; aut si omninò non diligimus, non bona est. Dixi 3. Si indifferenti accedat, aut malum facere, & æquale otioso, aut saltem nullius meriti efficere. Hoc à me dictum est sub disiunctione; quia multi censuerunt cum Sancto Thoma omnem actionem indifferẽtem factam ex fine indifferenti malam esse, neque alia de causa verbum otiosum malum esse, nisi quia caret honesto fine: illud enim est otiosum ex Origene in Psal. 38. quod neque aliquid boni, neque mali habet, aut ex se, aut extrinsecus, & vocatur otiosum, quia caret justa necessitate, & pia utilitate: In eo autem est peccatum; quia cùm idem esse debeat finis actionis hominis, qui est finis naturæ hominis; eò quòd actio referatur ad suum principium, sicut fructus ad arborem: atqui finis naturæ hominis ultimus sit ipse Deus, certè finis actionis humanæ ultimus debet esse Deus: actus autem indifferens factus ex fine indifferenti non haberet Deum pro fine; alioqui non esset indifferens, sed bonus: igitur careret aliquo quod habere deberet, nempe illa relatione ad finem ultimum naturæ humanæ, ac proinde esset malus moraliter, & non indifferens: nam licet ratione obiecti esset indifferens, si tamen intentio esset indifferens, malus

esset: eo ipso enim quòd non tenderet in finem increatum, saltem virtualiter, oporteret ut ultimò se sisteret in bono creato, essetque eius fruitio; est autem perversum frui utendis: cùm igitur actus indifferentes, facti ex fine indifferenti, careant bono fine intrinseco, & extrinseco; eo ipso sunt depravati, carentque aliquo quod habere deberent: omnis enim actio humana in finem naturæ humanæ tendere debet, qui non est nisi Deus, quæ autem non tendit actu, vel virtute, vitiosa est: indifferens autem non tendit, igitur mala est & vitiosa, quia fruitio est utendorum, seu boni creati. Sed quidquid sit de earum rationum robore, illud negari non potest, intentionem indifferentem junctam operi indifferenti nihil mereri apud Deum: Ratio est, quia omne opus meritorium vitæ æternæ, debet habere aliquid supernaturale, quod non acquirit actus ex suo objecto indifferens, nisi per rectam ad Deum intentionem, qualis non est intentio indifferens.

Hinc facilè colligere possumus maximam vitæ hominum partem, illis fluere sine merito, & homines servos esse inutiles. Nam ut mitissimè agam cum illis, quæ tandem sunt actiones eorum, ut de malis non loquar, nisi indifferentes? tales sunt omnes naturales, comedere, ambulare, loqui, videre, cogitare, scribere, laborare, & aliæ similes, quales sunt domesticæ, civiles, privatæ, publicæ: immò eò trahi possunt omnes actiones morales, etiam virtutum, quæ benè, vel malè fieri possunt; sed ut actiones virtutum seponamus, omnes aliæ omnem ferè vitam nostram implent, ac illæ omnes, nisi extrinsecùs addita aliqua intentione ad Deum dirigantur, intra actiones indifferentes includuntur, & sine merito fiunt. Quid tu inde laudis expectas? quid mercedis speras à Deo? At, inquies, hæ actiones malæ non sunt: Quàm multi id negant? sed id tibi concedo, malæ non sunt, sed nec etiam bonæ, igitur nec ad alteram vitam pertinent: nullam merentur pœnam, se neque mercedem: nihil inde perdidisti, sed neque etiam lucratus es: non malus fuisti servus, sed fuisti inutilis: audi autem quid dicat Scriptura, Matth. 25. *Et inutilem servum eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium:* Quàm de multis in fine dici poterit, quod scribit Jobus cap. 10. *Fuissem, quasi non essem; de utero translatus ad tumulum.*

Dico 3. Bona intentio, licet malum opus, non efficiat bonum, sæpe tamen levius facit, & minus malum, præsertim ex ignoratione: bonum autem opus, melius facit, & sæpe magnum ex parvo: immò sæpe nullum, aliquod facit: indifferens autem, bonum facit, ac meritorium, ut jam veritatem habeat jactatus ille versus. Quidquid agant homines, intentio judicat omnes: sigillatim singula examinemus.

Dixi itaque primò bonam intentionem malum opus ex sese; ratione obiecti materialis, & formalis, non efficere bonum. Ratio est; quia bonum est ex integra causa, itaque si substantia operis mala est, nihil proficit, quod finis extrinsecus sit bonus. Nam semper manet id quod malum est ex fine intrin-

intrinſeco : unde præclarè Seneca epiſtola 82. nihil honeſtè fit, niſi cui totus animus incubuit, atque affuit, cui nulla parte ſui repugnavit : Et Bernardus lib. de Præcepto, & diſpenſatione. Ut oculus verè ſit ſimplex, requiritur charitas in intentione, & veritas in electione. Ratio fundamentalis eſt; quia debet eſſe proportio aliqua inter finem, & media, igitur ſi intentio ſit bona, & opus malum, cùm intentio finem reſpiciat, opus autem habeat rationem medij, aſſumitur malum medium, ut eatur ad bonum finem, in quo deeſt apta proportio : itaque Auguſtinus libro contra mendacium cap. 7. multis probat, numquam licitum eſſe mendacium, ob bonum ullum finem, licet agnoſcat bonitatem operis maximè peti ex fine, conſequenter ex intentione, cùm præcipuus actus qui finem reſpicit, ſit intentio: verba eius ſunt. Intereſt plurimùm quâ causâ, quo fine, quâ intentione quid fiat : ſed ea, quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nullâ vel ut bonâ intentione facienda ſunt. Et quia quædam ſunt opera, quæ nec bona ſunt, neque mala, de illis ſic loquitur componendo ea cum malis. Ea quippe opera hominum, ſicut cauſas habuerunt bonas, ſeu malas, nunc ſunt bona, nunc mala : quæ non ſunt per ſe ipſa peccata : cùm verò jam opera ipſa peccata ſunt, ſicut furta, ſtupra, blaſphemiæ, vel cætera talia, quis eſt qui dicat cauſis bonis eſſe facienda, ut vel peccata non ſint, vel quod eſt abſurdius, juſta peccata ſint. Unde multorum error, qui à nonnullis primis Chriſtianis, & Apoſtolis falsò tributus eſt, de quo Apoſtolus Roman. 3. *Sicut aiunt quidam nos dicere, faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio juſta eſt:* id eſt juſtè enim punientur eiuſmodi mala quocunque prætextu facta ſint : vel ad perſonas refert Apoſtolus, quaſi diceret juſtè damnata eſſe eiuſmodi effata, tanquam & peſſimæ conſequentiæ; nam ſemel hoc principio admiſſo, ſceleribus omnibus janua aperiretur. Ita multi domeſtici furantur dominis ſuis, ut faciant eleemoſynas, vel ut aliquid donent Eccleſiis : Multi non ſolvunt debita ut donent Eccleſiis: filii qui Patribus dicebant: *munus quodcumque eſt ex me tibi proderit*, Matt. 15. & interim famelicos dimittebant parentes : Ita aliquis miſericordiâ motus erga viduam, judicat iniuſtè, Deo dicente in Scriptura Levitici 19. *Non conſideres perſonam pauperis: nec honores vultum potentis. Juſte judica proximo tuo.* Ita Saül deceptus eſt, dum contra præceptum pepercit optimis ſpoliis ad ſacrificium. Maneat itaque illud tanquam certum non licere minimum peccatum admittere, ſpe cujuſcunque boni quàm libet magni: ſicque non eſſe licitum minimum mendacium ut hominis vita ſervetur, & ita de cæteris; adeò verum eſt bonam intentionem non facere bonum opus, quod ex ſuo obiecto formali intrinſecè malum eſt.

Dixi tamen 2. Bonam intentionem malum opus ſæpe levius facere, & minus malum, præſertim ex ignoratione. Quis enim neget levius eſſe aliquid accipere ad miſericordiam, quàm ad cupiditatem? officioſè mentiri quàm mali-

malignè? præsertim si accedat bona fides, & erronea conscientia, quæ si fuerit invincibilis, excusat à peccato: ita obstetrices Ægyptiacæ mentitæ sunt Pharaoni, ne pueros Hebræos interficerent: & ait Scriptura Exodi 1. eas accepisse mercedem à Deo, non quidem ob mendacium, sed ob præstitam misericordiam, cùm præsertim se peccare, hoc modo mentiendo, non putarent: *Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.* Sed quod diximus raro contingit, itaque semper id cavendum, ne fiant mala ut veniant bona: duplici malo: unum est, quod malum fiat, alterum est error, quo credatur malum fieri posse, ut veniat bonum: unde Bernardus de præcepto & dispensatione. Ut oculus verè sit simplex, requiritur charitas in intentione, & veritas in electione: tunc autem neque est charitas, neque veritas, sed malitia & error.

Dixi 3. Bonam intentionem, bonum opus melius facere; nam duplex est bonum, unum ratione obiecti, & finis intrinseci, quia opus bonum est, aliud ratione finis extrinseci, quod aliud est bonum; duo autem bona, unicum superant: Et sæpe parvum magnum efficit; sæpe enim plus attenditur intentio, quàm ipsum opus. Salvianus. Oblata Deo non pretio, sed affectu placent. Publius Mimus: Non aspicias, quàm plenas quisque manus Deo, sed quàm puras admoveat: ita Christus Marci 12. plus fecit duo minuta, quæ mulier vidua & pauper misit in gazophylacium, quàm magna divitum munera. *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt: hæc verò de penuria sua omnia quæ habuit, misit totum victum suum.* Hinc ferè Christus omnia ex intentione æstimavit, Matth. 10. *Qui recipit Prophetã in nomine Prophetæ, mercedē Prophetæ accipiet: & qui recipit justum in nomine justi, mercedē justi accipiet. Et quicunq; potũ dederit uni ex minimis istis calicē aquæ frigidæ, tantũ in nomine discipuli, non perdet mercedē suam.* Ut scias opus non tam crescere ex objecto suo, quam ex fine, & consequenter ex intentione: Quotidie experimur aquam è sublimi defluentem, licet variè derivatam, in ascensu suam originem æquare: idem fit in omnibus actionibus, quæ omnes ab intentione dimanant, secundùm cuius altitudinem mensuram suam accipiunt: hinc factum ut minimæ actiones Sanctorum, summas nostras superarint: ita si eleemosyna fiat ex motivo misericordiæ magna quidem virtus est, & meritoria: si ex charitate proximi, jam incipit esse melior, si ex Dei charitate, longè melior, sed quò purior erit charitas, eò etiam magis crescit meritum; & in hoc fuit mirabile Apost. consilium 1. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite:* sed & quantus fuit S. Ignat. cuius in rebus omnibus propositum fuit ad majorem Dei gloriam semper agere, quod exactissimè servavit?

Immò tantum posset bona intentio, ut ubi nullum est bonum opus, ibi aliquod esse efficiat: Bernardus. Sola interdum bona voluntas sufficit: cætera non prosunt, si sola defuerit: Idem Epistola 77. Deus indubitanter tribuit bonæ

bonæ voluntati, quod defuit facultati. Eodem sensu Augustinus in Psalm. 105. Deus coronat bonam voluntatem, quando non invenit facultatem: Hinc fit ut quilibet liberalis esse possit erga pauperem, etiamsi non habuerit nummum. Nam ut ait S. Chrysost. homil. 7. de Pœnit. Da indigenti, si minus habueris, vel suspirium si profers, omne tribuisti: nam insomnis ille oculus videt, te dedisse quod habueras: Itaque Gregor. homil. 5. in Evang. Ante Dei oculos, nunquam est vacua manus à munere; si fuerit arca cordis, plena bonâ voluntate: Deus siquidem non habet rationem potentiæ, sed voluntatis: quod maximè est optabile: nam potestas angusta est, sed voluntas nullos habet terminos. passim homines non tam curant bonam voluntatem, quam beneficium: unde ut ait Apost. 2. Cor 3. *Si voluntas prompta est, secundùm id quod habet accepta est, non secundùm id quod non habet:* neque enim plus exigitur ab ullo, quam quod potest: sed coram Deo, prompta voluntas accepta est non tantùm secundùm id quod habet, sed etiam secundùm id quod non habet, quia Deo sola etiam voluntas satis est. Sed nulla est voluntas, si potestati desit actio, neque enim velle ille dicendus est, qui cum posset, non fecit: secundùm illud Apostoli, loco citato, *ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi, ex eo quod habetis.*

Dixi 4. Bonam intentionem, opus indifferens, bonum facere, & meritorium: Quia honestatem quam ex se non habet actio indifferens, ratione sui objecti, accipit à fine extrinseco: Richardus de statu interiori homil. 17. Quod est corpus sine vitâ, hoc est opus sine intentione bonâ: sicut itaque in corpus inanime immissa anima, facit illud vivere, ita intentio bona adjuncta operi indifferenti illud facit honestum, quoniam illi honestatem suam communicat: Ratio petitur ex subordinatione actus imperati, ad actum imperantem, in ordine ad finem actui imperato extrinsecum: unde fit ut actus imperatus, non censeatur imperanti extraneus, sed censeatur esse aliquid eius, ut pote non respecturus finem illum actui imperanti propositum, nisi interveniret ordinatio ad finem illum, facta per actum imperantem: quin immo, si actus imperatus esset imperanti extraneus, cessarent denominationes imperantis, & imperati: Cùm igitur actus imperans, sit principium & causa actus imperati, mirum non est, quod suam cum eo honestatem ex fine ductam communicet: quoniam finis ille extrinsecus qui est objectum proprium actus imperantis, est circumstantia propriè dicta, & extrinseca actus imperati, quatenus imperati, & ad externum illum finem directi per actum imperantem: confirmatur. Quia distingui potest duplex esse in actu, unum phisicum, alterum morale: quoad esse physicum nullo modo pendet actus imperatus ab actu imperante, sed tantum à suâ potentiâ, & à fine suo intrinseco: sed quoad esse morale adventitium, sive quoad esse relatum, & ordinatum ad extrinsecum illum finẽ, pendet actus imperatus ab imperante,

nam

nam ſine illo non ordinaretur, ex illâ autem ordinatione bonitatem accipit quam non habebat: Hanc veritatem rectè explicat Seneca Epiſtola 82. Indifferentia eſſe dico, nec bona, nec mala, tanquam morbum, dolorem, paupertatem, exitium, mortem: Nihil horum per ſe glorioſum eſt, nihil tamen ſine his: laudatur enim non paupertas, ſed is quem non ſubmittit, nec incurvat: laudatur non exilium, ſed qui hoc non doluit: & omnia iſta non ſunt per ſe honeſta, nec glorioſa: ſed quidquid virtus ex illis adiit, tractavitque, honeſtum, & glorioſum facit: Illa in medio poſita ſunt: Intereſt utrum malitia illis, an virtus manum admoverit. Omnis res, quod non habuit decus, virtute additá ſumit: cubiculum lucidum dicimus: hoc idem obriſſimum eſt nocte: dies illi lucem infundit, nox eripit: ſic iſtis quæ à nobis indifferentia ac media dicuntur, divitiis, viribus, formæ, honoribus, regno: & contrà, morti, exilio, malæ valetudini, doloribus, &c. aut malitia, aut virtus, dat boni, vel mali nomen: Quod ſi bona intentio opus indifferens facit bonum, facit etiam meritorium, unde Chriſtus mercedem ei pollicetur, qui dederit potum aquæ frigidæ in nomine diſcipuli: Hinc patet nullum à nobis fieri actionem quæ non poſſit eſſe honeſta, & meritoria, ſi ne ape ad bonum finem & honeſtum referatur prout referri poteſt: Hoc addidi, Quia uti rectè docet Suares tom. 2. de Religione lib. 2. de Voto, cap. 4. num. 7. ut aliquis actus indifferens fiat honeſtus ex fine honeſto extrinſeco, non ſatis eſt quòd ex libertate, aut falſâ apprehenſione operantis, in eum finem referatur: ſed oportet ut talis relatio prudenter fiat, & cum proportione, ac fundamento alicuius convenientiæ, inter tale medium, & talem finem, id eſt quòd ſit utile ad illum, vel proximè, vel interventu aliorum mediorum: quia aliàs imprudens eſt relatio talis medij ad talem finem, & potius videtur, in verbis, aut falsâ apprehenſione, quam in re ipſâ exiſtere: Exemplo rei declaratur. Nam ſi quis dicat ſe ire in agrum propter Dei amorem, & honorem, profectò ſi nihil aliud adjungat, & immediatè fiat hujuſmodi relatio, vana eſt & nullius momenti, quia ire in agrum, per ſe nihil confert, ad Dei amorem, vel honorem, ſed interponere oportet alia media, quibus mediantibus poſſit ille actus conferre ad talem finem: ut ſi ſtudium conferat ad Dei honorem, & vires corporis ad ſtudium ſint neceſſariæ, & ad vires comparandas, vel conſervandas, conveniens judicetur ire in agrum, tunc optimè refertur actus ille ad bonum honeſtum, & ideò eius bonitatem participat: Nihilominus tamen cùm nullus ſit actus humanus, qui immediatè vel mediatè, ſi non intrinſecè, ſaltem extrinſecè ad Deum refer, rì non poſſit, nullus eſt qui non aliquâ ratione honeſtus fieri poſſit, & conſequenter nullus eſt qui in Deum referri non poſſit, & conſequenter nullus eſt qui fieri non poſſit meritorius: Audi enim quid dicat Apoſtolus, immò quid præcipiat 1. Corinth. 10. *Sive ergo manducatis, ſieve bibitis, ſive aliquid*

liquid aliud facitis, omina in gloriam Dei facite: & ad Coloss. cap. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi:* Vide si aliquid excipiat Apostolus, cùm nominet etiam actiones animales, cùm minima quæque non excipiat: Nec mirum cùm nos ipsi adDeum attineamus Ephes. 1. *Ut simus in laudem gloriæ ejus nos:* ut nostra etiam omnia ad ejus tandem, & gloriam referamus, quod non potest fieri nisi per intentionem nostram, quæ est præcipuus actus in finem, & directio rerum omnium in finem: unde fit ut rectæ intentionis homo nunquam frustra laboret, sive legat scribat, seu loquatur, sive agat, honorem Dei sibi proponendo, unde quæstus faciat honestissimos. Hæc est ars omnium quæstuosissima, quâ fit ut rebus omnibns cœlum lucremur; hac arte omnes actiones naturales, fiunt morales, & studiosæ; nam licet multæ sint necessariæ, ut respiratio, motus cordis, & similes, itáq; illis desit fundamentum moralitatis, nempe libertas, quia tamen ordinari possunt liberè ad aliquem finem, licet quoad substantiam liberæ non sint, possunt quoad ordinationem ad finem, liberam accipere destinationem, & inde moralitatem: quæ autem morales sunt, possunt fieri supernaturales ex motivo supernaturali, ut fiant sicut dicit Apostolus *in nomine Domini nostri Iesu Christi:* si ex motivo supernaturali, potes omnium perfectissimum assumere, nempe Dei gloriam. Si posses omnia quæ tangis aurea facere, lignũ, ferrum, lapides, & cætera, quam brevi tempore ditesceres? Tu potes omnia quæ loqueris, & quæ agis facere pretiosissima, & digna mercede cœlesti, cur ista negligis? Tãti tibi esset aurum; cur non etiam cœlum?

Porró nihil bonâ intentione facilius est, & vnusquisque illam habere potest. De qua illud Deuteron. 30. dici potest: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum: ut causeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, & facere quod præceptum est? Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum:* Quis enim non potest dicere quod ait Apostolus. *Propter te mortificamur totâ die.*

Sit igitur in omnibus hæc tua oratio, *Propter te Domine*, assuesce initio actionum tua offerre Deo & ad eius honorem dirigere, ut nihil excidat, quod in Deum vel imediaté vel mediatè non dirigatur: Certè quã excusationẽ potes obtendere in re tam facili, & tam obviâ? Non potes aggredi res magnas, & arduas: sed potes rem exiguam, magnam facere: Non opus hic viribns, nõ industriâ, sed solâ voluntate. Chrys. hom. 24. in Ep. ad Hebr. Non parantur hæc sumptu, non labore, non sudore: sufficit velle, & confecta sunt omnia. Eheu! quot salutis vias nobis Deus aperuit, ut quotidianis actionibus possimus cœlum acquirere? Et quibus digni non erimus suppliciis, si non utamur tantâ gratiâ? vide itaque ut nihil tibi

casu excidat, nihil facias cupiditate, nihil impetu, nihil ex occasione, nihil ex assuetudine, sed omnia in Deum dirige. Singulis annorum initiis, tua omnia Deo consecra: Id facito & in mensium, & in hebdomadarum initiis, & singulorum dierum: immò singulis horis, ut saltem virtute dirigantur ad Deum: sed præcipua saltem, & longiora opera Deo consecra: *Omnia in gloriam Dei facite: Omnia in nomine Domini Jesu Christi.* Chrysost. homil. 9. in Epist. ad Colossi. Fac omnia in nomine Domini, & omnia rectè succedent: ubicũque positum fuerit hoc nomen, omnia sunt fausta & felicia: si Dæmones expellit, si morbos propulsat, multo magis rebus affert facilitatem, &c. Per hoc nomen orbis terræ fuit conversus fracta est tyrannis, conculcatus fuit Diabolus, aperti sunt cœli: Nos per hoc nomen fuimus regenerati: si hoc habeamus resplendemus: Hoc & Martyres facit, & Confessores: Hoc pro magno dono teneamus, ut in gloria vivamus, & Deo placeamus, & digni habeamur bonis, promissis iis qui diligunt illum gratiâ & benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre, & Filio sit gloria in sempiternum, Amen.



FERIA



FERIA QUARTA CINERUM,

SECUNDA CONCIO

DE RECTA INTENTIONE, contra Vanam gloriam

Cum jejunatis, nolite fieri sicut Hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus, jejunates. Matth. 6.

CUM in omnibus Scripturis jejunium coniungatur cum lachrymis, & luctu, cum humiliatione, & afflictione, & aliis signis doloris, & pœnitentiæ; Numer. 30. *Si voverit: & juramento se constrinxerit, ut per jeiunium, vel cæterarum rerum abstinentiam, affligat animam suam, &c.* Judith. 4. *Humiliaverunt animas suas in jejuniis:* Esther. 14. *Fletibus & luctui apta indumenta suscepit, &c. & corpus suum humiliavit jeiuniis:* Joëlis 2. *In jeiunio, & in fletu, & in planctu.* 2. Machab. cap. 13. *Testantibus à Deo misericordiam cum fletibus, & jeiuniis.* Baruch. 1. *Plorabant, & jeiunabant:* cùm, inquàm, hîc & alibi passim cum luctu conjungatur jejunium, cur Christus in hodierno Evangelio, vetat id fieri? *Cum jeiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Tu autem cum jeiunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jeiunans:* An propria loca Scripturæ intelligenda sunt de jeiunio publico, non de privato? An verò non vetat Christus cum jeiunio privato, luctum etiam privatum, sed fictionem luctus? unde non dicit, cum jejunatis nolite esse tristes: sed *nolite fieri sicut hypocritæ tristes*, quibus verbis non veram tristitiam damnat, sed affectatam: An 3. id tantùm Christus docere voluit ut quæ privatim à nobis fiunt bona, ea ab oculis hominum removeantur, longè aliter quàm hypocritæ solent facere, qui quicquid faciunt, eò tantum faciunt, ut videantur ab hominibus: cum è contrario omne studium nostrum esse debeat, ut quicquid boni facimus, illud ab oculis hominum removeamus: eò usque ut etiam

ſejunium, quod ſemper cum luctu erat conjunctum, externâ hilaritate premamus, ut nempe ſoli Deo non autem hominibus jeiunemus juxta illud Levitici 30. *Coram Domino mundabimini, & affligetis animas veſtras religione perpetuâ*, de qua re hodie dicturi ſumus, poſtquàm opem à cœlo accerſiverimus.

AVE MARIA.

CUM recta intentio ſit res adeò ſublimis, & excelſa ut in priori Concione oſtendimus, nemini mirum videri debet, ſi Dæmon infenſiſſimus hominum hoſtis, & bonorum noſtrorum perpetuus deprædator nihil non faciat, & moliatur quo eam omninò, aut impediat, aut inficiat: verùm cùm pluribus modis id efficiat, & cùm plures ſint rectæ intentionis hoſtes; ei tamen maximè adverſatur humanæ laudis appetitus, & vana gloria, quam propterea ſancti Patres labem appellant, & ruinam præclarorum operum, & virtutum: S. Chriſoſtomus Serm. 7. ſubtile malum eſt, ſecretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea ſanctitatis: adverſa omnia nituntur ſuis viribus, armis ſuis pugnant, impugnant palàm, unde & caventur tam facilè quàm videntur: Hæc tamen crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, jeiunium jeiunio perimit: oratione orationem evacuit: miſericordiam miſeratione proſternit: hoc vitium de remediis creat morbos, & de medicinà conficit languorem: Baſilius de Conſtitutionibus Monaſticis cap. 11. Fugiamus dulcem operum ſpiritualium expoliatricem, jucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum, blandiſſimam operum omnium deprædatricem, & veneni illitu coloratricem. Ratio eſt, quia vana gloria omnibus noſtris actionibus, ſed præcipuè bonis furtivè ſe interſerit atq; immiſcet: Climacus in ſcala ſpir. Gradu 21. de Cenodoxia. Omnibus ſtudiis Cenodoxia congaudet, verbi gratiâ jejuno, inaniter glorior: ſi latendi cauſâ ſolvo jeiunium, tanquam prudens iterum glorior: ſi ſplendidè veſtitus, vincor eâ peſte; ſi vilius induar, denuò glorior: ſi loquar, hâc ſuperor: ſi taceam, iterùm ſuperatus ſum: Neque tantùm inſidiatur in actionum initiis, per malam intētionem, ſed etiam & in medio, & in fine actionis ſe oſtentat, & bonam intentionem pervertit: Gregor. lib. 1. Moral. cap. 19. Sæpe bono operi, dùm laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ quamquam quæſita non irrepit, tamen oblata delectat: vide quid inde ſequatur: Invenio me aliter agere, quod ſcio me aliter inchoaſſe. Cæterum illa peſtis, communiſſimum eſt, primum, atque ultimum malum. Primò, Dixi communiſſimum. Quia vix eſt aliquis, qui eo malo non inquinetur: ſummi, & infimi: peccatores, & ſancti: Sæculares, & Religioſi: qui præſunt, & qui ſubſunt: ita nemo immunis eſt: Secundò, primum malum vocavi. ſuperbia: ad hæc, in pueris hic primus motus oritur, eſt enim primus amor, quia proprius: nam ſuperbia eſt amor propriæ excellentiæ: Tertiò, ultimum dixi. Quia ex omnibus affectibus, hūc ultimò exuimus, unde Plato appetitū gloriæ appellat. *telepbtaion Chitona* poſtremum amiculum; & Tacitus loquens de Helvidio Priſco, homine laudatiſſimo, appetentior famæ videbatur, quando

quando etiam ſapientibus cupido gloriæ noviſſima exuitur : de quo malo, Evangelium hodiernum tractat : *Cùm jejunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes; exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes :* Illius triplicem quaſi radicem agnoſcit S. Chryſoſt. homil. 44. ad populum Antioch. Stultitiam, humilem animam , & ignorationem Dei : de quibus ſingulis, eodem ordine pauca à nobis dicenda ſunt.

Primam radicem vocat ſtultitiam: Nam ſi idem Chryſoſt. in univerſum dixit , omnem ſuperbum ſtultum eſſe, ſanè non parva ſtultitia eſt in appetitione vanæ gloriæ.

1. Stultitia eſt , quod appetens gloriæ, rem adeo vanam tanto labore, immò totâ vitâ conſectetur. Vide autem æſtimationis, laudis, & gloriæ humanę vanitatem ex multiplici capite ; ut ſcias hanc exprobrationem Davidis in maximam hominum partem cadere, *ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Baſil. Vanum dicitur id quod vacuum eſt, quod nomen quidem habet, rem verò ipſam non habet , quod de humanâ gloriâ dici poteſt , quæ ideò rectè vana dicitur quia vacua eſt , nomen habens gloriæ , rem vero ipſam non habens: Num hoc verum ſit ratione gloriæ humanæ, vide quæſo.

1. Ratione eorum, qui laudant, nam ferè ſunt abiectiſſimi , ſapientes enim nihil admirantur : Etenim à quibus gloria ferè colligitur, niſi à plebe : Non te pudet , quos alioqui contemnis eorum judicium ſic vereri , ut eorum opinionem, vel errorem ſequaris ? Tranſibat Demoſthenes, occurrit vetula, en, inquit , Magnum illum virum , & eloquentem : adeò inſanivit, ut ſuos omnes præteritos labores ſatis compenſatos diceret : S. Chryſ. homil. 44. ad pop. Antioch. Nihil hominum gloria vilius: dic enim mihi, ſi paucorum videas puerorum multitudinem, lactentium dico, nunquid ab eis gloriam cōcupiſces? Sic erga cunctos homines diſponeris propter gloriam: certè non ſapientiùs alij iudicant : Quid dicam, quam temerè laudent homines, quàm otioſè, quàm ex conſuetudine , quam ineptè , quo exceſſu , quàm falſò , quàm adulatoriè : Tu quā multos laudas contra propriam opinionem, quia mos eſt, quia non vis diſplicere , quia vis adulari : ut de alijs agis, ita cæteri de te: Quàm ſæpe contigit, ut coram te aliquis , quia aderat ab alijs ſit laudatus, qui cùm à cœtu abiiſſet, à ſuis laudatoribus vituperatus eſt, & irriſus ? Ne te decipias aut tibi blandiaris: Eâdē ratione tractaris : Qui heri laudabat, hodie damnat: ſed quàm pauci ſunt veræ laudis judices ? audias quotidie homines ineptiſſimos aut laudare , aut laudari : neſcias utrum ſit intolerabilius: Hinc ſapientes philoſophi non admodùm curarūt, an multos, an paucos, an nullos etiam haberent ſuarum rerū teſtes aut laudatores: Democritus apud Senecam Epiſtola 7. Unus mihi pro populo eſt, & populus pro uno : Quidam alius plus etiam dixit : Satis mihi ſunt pauci : Satis eſt unus : Satis eſt nullus: Certè nil minus habet qui nullos , quā qui multos : Nam ex iis qui vel laudant vel damnant quàm pauci ſunt æqui rerum æſtimatores. Primò , ex errore : Secundo , ex affectu : Tertiò,

ex invidia. quàm multi putant idem in laudibus fieri, quod in pecunia (ait Plutarchus) ut qui eas dent, eas amittant: quàm multi laudant ex levitate, quàm multi sine delectu, quàm multi omnes laudant, quàm multi ex assuetudine, quàm multi ut tantundem accipiant, quàm multi ut placeant, ut adjuvētur, ut aliquid emolumenti percipiant, quàm multi, quia sic putant esse loquēdum, quia quod nihil constat facilè donatur. Plus laudabit ineptus quàm prudens, plus ignarus quàm sapiens, plus vitiosus quàm virtute præditus, ut discas ex authore, & laudem & gloriam contemnere. Pars vituperij est ab eiusmodi hominibus laudari, & propudiosum tibi est vel illis placuisse.

Secundò, Vanitas humanæ gloriæ petitur ex rebus quæ laudantur in hominibus, quâ de causâ, nihil puto ineptius vanâ gloriâ: Nam ut prætercam res plane ridiculas quæ laudantur, ut sunt vestes, ornamenta, fuci, crista, uniones, equus, canis, & sexcenta; ut omittam bona corruptibilia, qualia sunt decor, oculi, candor, pinguedo, statura, dentes, ludus, saltatio, & cæteræ nugæ: Ex bonis spiritalibus duo tantum eminent, scientia, & virtus: vide quid sit in illis laudabile; ut à scientiâ ducam initium quàm multa in illâ sunt vana, & inutilia: certè volumina leguntur integra de scientiarum vanitate! ad hæc, quàm pauci sunt homines verè docti, & in s[...]idum docti: Quoad virtutem attinet, quàm falsa, de virtute judicia hominum: quod ab uno laudatur, vituperatur ab alio: Deinde quàm pauci benè judicant de virtutis veritate: de solâ devotione quàm multæ sunt absurdę opiniones: quàm multa probantur à multis quæ improbantur à Deo: Proverb. 14. *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem eius deducunt ad mortem:* Et Proverb. 16. *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima eius ducunt ad mortem:* De existentiâ autem virtutis in unoquoque quàm incertum est: unde multæ actiones laudantur, quæ aliquando in judicio Dei condēnabuntur: sola intentio mala quot actiones commaculat? unde rectè dictū ab aliquo, intentio valet ad meritum, actio ad exemplum: Quàm sæpe nos audimus quædam in nobis prædicari, quæ falsa sunt, & quorum scimus nos esse egentes, & tamen injustâ laude æq; delectamur, atque verâ, sed in hoc est vanitas, & magna vanitas, *Filij hominū usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Tertiò, Vanitas gloriæ deprehenditur ex naturâ ipsius laudis & æstimationis, Tota enim hæret in cogitatione, aut in verbo: Age igitur quid magis fragile quam cogitatio? quid fugacius, quam verba? quot habes intra horam cogitationes de rebus innumeris? & ex consequenti quoties periit illa cogitatio? Quanti autem facias verba tu ipse nosti, qui unâ die tot proferre soleas, temerè, inconsultò, mendaciter, inutiliter: si in aëre alicuius imaginem pingeres, quàm de illâ imagine securus esses? Idem facis cùm alicuius famam in verbis depingis, &c.

Quartò, Ea veritas deprehenditur ex brevitate: Id optimè expressum apud Jobum cap. 20. *Hoc scio à principio, ex quo*

ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti: Si ascenderit usque ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent, Ubi est? Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna: oculus qui eum viderat, non videbit, neque ultrà intuebitur eum locus suus: Rationem affert Chrysost. loc. cit. Quia ut ad breve homines admirantur aliquid, sic temporis processu facile obliviscuntur, & patet experientiâ: compara utrumque, & tui memoriam, & tui oblivionem.

Quintò, Quia nihil inutilius. Chrysost. homil. 44. ad popul. Dic mihi, quid habet boni, à multis circumspici? Inanis est gloria, nec aliud quidquã: nam domum revertere. & solus esto, & totum illicò defluxerit: in forum processisti, præsentes in te convertisti, & quid amplius? Nihil: extinctum est, & evanuit, tanquam fumus diffusus: sic igitur ea quæ non subsistunt: quantæ sunt hæc quæso stoliditatis, quantæ dementiæ? Ad unum itaque solum spectemus, quomodo Deus nos laudet: si hoc consideremus, nunquam ab hominibus propria quæremus: & si contigerint, contenemnemus, respuemus: tanquam aurum quidem optantes, lutum verò recipientes, sic efficiamur: Non laudet ille, nihil emit profuerit: & si vituperaverit, non nocebit: In Deo autem hæc utraque habent lucrum vel jacturam, at apud homines, omnia vana: Non prohibeo itaque gloriam optare, ait Chrysost. sed veram volo gloriam quæ est à Deo. Ex quibus apparet vanitas humanę laudis, & gloriæ, & quãta sit hominum stultitia, omnem vitam perdere, ut rem tam vanam assequaris, quæ nulla aliâ re digna est, quam tuo contemptu: Ita tamen hoc malum nos insequitur, ut vix quisquam sapere aliquando discat: nullum tamen malum sine remedio est: Audi S. Chrysost. homil. 17. in Ep. ad Rom. Quomodo ab hac servitute liberabimur? Si aliam gloriam adamaverimus, nempe eam quæ vera gloria est: ut enim eos qui corpora amant, alia splendidior facies visa, à priore separat, sic eos qui gloriã hanc desiderant, splendida illa cœlestis gloria, si conspecta fuerit, ab ista abducere poterit: Hoc est quod Christus objecit Judæis Joan. 5. *Quomodò vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis.*

7. In eo stultitia est, quòd sicut sunt aliqui homines ridiculi & moriones, quorum officium est, aliis risum movere, multis actionibus ridiculis, & delectationem afferre: sic homines qui vanam gloriam appetunt, hoc unum habent, & in hoc laborant, ut cæteris placeant: itaque personas omnes induunt: atque ad omnia se fingunt: optant semper habere spectatores, & hoc unum agunt, ut delectent; itaque, & se, & suos mores, vultum, & gestus conformant ad delectationem, & nullâ aliâ mercede remunerantur, quàm quod sciunt se aliis placere: itaque sicut stultis ac scurris applaudimus, ut pergant insanire, licèt eos irrideamus cum despectu, ita se res habet in nostro proposito, ut homines vanos, quique nobis placere gestiunt, sic laudemus, ut eosdem viles habeamus, eosque contemnamus: Vide

Vide enim mulierẽ quæ dimidiam diei partem in se adornandâ consumit, ut aliorũ oculis placeat; quàm ridicula est! se enim totam, corpus, & animam vexat, caput & crines cruciat tantùm ut magis placeat: quàm illud miserum, & ridiculum, ut id faciat quotidie, & se toties torqueat, ut aliorum oculis arrideat: An aliud faciunt Mimi, & actores Comœdiarũ in theatro, qui hoc unum desiderant, ut spectatoribus placeant, & plausum mereantur? Hinc fit ut sæpe Mimos imitentur, in habitu & vestitu, & ea agant quæ nec facerent qui insaniunt: Quin etiam sicut actores sæpe ludunt personati, ita etiã laudum humanarum cupidi, in alieno ferè vultu se ostentant, & personati ludunt, unde hæc connexa sunt, ut omnis hypocrita sit vanus, & omnis vanus sit hypocrita: Quia cum uterque sit appetens laudis, uterque simulat vera bona, & tamen veritas virtutes non habet, unde perpetua simulatio est: Ita Christus Pharisæos insimulabat, Matth. 23. *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus:* unde subdit. *Væ vobis & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapinâ, & immunditia:* Et posteà. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt, ossibus mortuorum & omni spurcitiâ: sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate.* S. Basil. in illa verba Is. 1. *Cum fueritis sicut quercus defluentibus foliis, &c.* comparat hypocritam quercui, quæ ramos habet intortos, & corticem rugosum, & turpem, pulchra autem folia, quæ arboris deformitatem tegunt: Gregor. Nazianz. orat. de funere Patris comparat mulieribus minio & purpurisso coloratis, quæ veram pulchritudinem non habent.

Tertiò. In eo est stultitia quod tanto labore infelicitatem consequatur. Sic enim cõparatus semper est infelix: Primo, Quia nunquam est quietus nec pacem habet: semper enim vel spe agitatur, vel desperatione, vel malâ conscientiâ, dùm novit se talem non esse, qualem fingit: & ut ait S. Chrys. homil. 43 ad Popul. Quemadmodum sævi venti in tranquillum mare delati, totum ab imo subruunt, ut & arena cum undis misceatur, sic ambitio animum subiens, omnia subvertit. Secundo. Quia cum quilibet volet, eum efficiet miserum. Ita enim evenit, ut plurimi approbantes non tantùm satisfaciant, quantùm offendit unus improbans: Itaq; ut sunt turbulenta hominum ingenia, & judicia, nec statum habent, ita quilibet, hominis vani quietem, perturbat: Vide Aman ab omnibus honoratum, & à Rege secundum: unus tamen Mardochæus qui homini ambitioso non assurgebat, ita superbum animum perculit, ut se miserum putaret: itaque cap. 6. libri Ester, cum uxori, & amicis narrasset omnes quos à Rege honores, acceperat, subdidit: *Et hæc omnia cum habeam, nihil me habere puto quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias:* Tertiò, Quia cum id quod optat vel non obtinet, semper est miser: nam si non obtinet, quã crudeliter agitatur, se frustrà laborasse videns: & tamen si obtinet, cùm ipsa expe-

experientiâ discat, illud nihil esse, & se magnorũ bonorum fecisse jacturã, torquetur: ut scias hominem vanum semper esse miserum, & infelicẽ; torquetur enim à conscientiâ, & dum aliis placet, sibi displicet. Et ut ait Gregor. lib. 8. Moral. cap. 30. Cùm se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt: ut scias homine vano nihil esse miserius, & consequẽter nihil stultius, qui tantam miseriam ob rem tam vilem & contemnendam, coëmat omnibus suis bonis.

Quartò. Quod hominum iudicia quærat is, qui Angelos iudicare debuerat. Chrys. serm. de inanis gloriæ cupiditate. Num qui de Angelis sententiam sis laturus, optaveris à mortalibus his, & impuris, iudiciũ de te fieri, consequíque parem cum saltatricibus, Mimis, & Aurigis, & belluarũ confectorib⁹ laudem?

Quintò. Quòd tàm paucis hominib⁹ placeat: quia pauci nos vidẽt: Chrysost. loc. cit. Quot cuperes ipse tuarum laudum fore præcones, num centum? bis centumvè cõcedamus, si velis ad hominum quatuor millia: sint etiã si libet, plausores innumeri: nihil tamen hi homines à gracculis, de loco superiori vocitantibus distabunt: Verum si Angelorum spectacula noveris, vel ipsis vermiculis, eiusmodi hõines universi, videntur abjectiores, araneâ, fumóque, & insomniis infirmiores: quæ igitur insania Angelorum spectacula rebus tam contemnendis posthabere?

Sexto. Quod rem impossibilem aggrediatur, nempe omnibus placere: Itaque idem facit, quod qui velit sagittâ lunã attingere, quod ille (ait Nyssenus) qui studeat umbram suã persequi, quod ille qui umbræ suæ verticẽ conscẽdere: quod qui conetur, stultus iudicetur, ita qui omnibus placere studeat: Nam in hominibus quàm diversa sunt studia: ut paucis, vel uni placeat, innumeris displicendum est: Quàm multi sunt rerũ ignari, quàm multi non advertunt, nec de te cogitant eodem tempore quo putas omniũ oculos in te conversos: unusquisque enim suis distinetur curis, & negotiis: Quid scis an illo eodem tempore, alius nescio quis, tui non absimilis, laudem de te quærat, dum tu ab illo laudem ambis? & uterque decipitur: Tu ab illo expectas; ille à te expetat: Tu tua cogitas: ille sua: nemo alterius: & uterque fallitur, & uterque risu dignus est: Item quàm multi elati sunt, ac superbi, qui omnia despiciunt, seque unos attendunt. Quàm multi invidi, qui aliorum laudes, sibi officere putant, qui laudes ut pecuniam rentur, hoc enim se putant amittere, quod aliis donant: Quàm multi tibi similes hypocritæ, qui quod probant coram, à tergo improbant, aut interiùs, & in animo: ut pueri (inquit Chrysost.) per ludum solent chartaceâ alterius capiti coronâ impositâ coronatum plerumque, vel nesciũ, post terga irrident: sic se gerunt forsitan tuarum laudum præcones, & tibi paleis dorso injectis, laudando illudunt.

Septimò. Stultitia est in mercede quam quærit virtuti & bonis actionibus. Imprimis enim gravis igorãtia est, quod quis virtuti mercedem quærat, cum virtus per seipsam sit amabilis: Seneca Epist. 81. Virtutum omnium pretium in ipsis est: rectè facti merces,

est fecisse. Nā licèt virtuti detur laus, & gloria, ideo datur quia debetur, non ut, merces, sed ut res debita, neque enim virtutē sic compensat, ut æqui valeat, sed quia laus & gloria virtutis sūt meritum? itaque virtus non est amanda propter gloriam, quia etiam sine illâ, esset amāda: Immò si virtus famā tolleret, virtus tamē esset quærēda, & gloria contemnenda; alioqui si virtutem amas propter gloriam, plus amas gloriam, quàm virtutem: Seneca Epist. 81. Nēo mihi videtur pluris æstimare virtutem nemo illi magis esse devotus, quàm qui boni viri famam perdidit ne conscientiam perderet: Et lib. 3. de Ira cap. 41. Pacem demus animo, quam dabunt actus boni, & intenta mens ad unius honesti cupiditatem: consciētiæ satisfiat, nihil in famam laboremus: sequatur vel mala, dum benè merearis: Et Epist. 113. Qui virtutem suam publicari vult, nō virtuti laborat, sed gloriæ: Non vis iustus esse sine gloria? Sæpè iustus esse debebis in infamiâ: & tūc si sapis mala opinio benè parta delectat. Deinde quod malè statuat virtutis mercedem in hac vitâ: nā nullum assignari potest in hac vitâ virtutis pretiū & merces: debet enim merces esse aliquid melius, quoniam habet rationem finis, omnia autem huius caducæ vitæ bona, sunt inferioris ordinis quàm ipsa virtus: alioqui ipsam virtutem perficerēt, quod contrà fieri videmus: Etenim potius sunt virtutis impedimēta, & passim videmus eos qui his bonis abundant, difficiliorem habere virtutem. Denique eorum contemtus melior est quàm possessio, & multò magis quàm appetitio: unde de quibusdam Sanctis loquens Apostolus, quos dixerat illis omnibus bonis fuisse destitutos, subdit *Quibus dignus non erat mundus*: Quia scilicet tanta virtutis dignitas est, vt & nullâ re creatâ cōpensari possit: Vnde Aug. 22. de Civit. Dei cap. 30. præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, eique seipsum, quo melius & maius nihil fuit, esse promisit. Denique quod æternam mercedē mutet caducâ: secundum illud 3. Christi Domini in nostro Euangelio: *Amen dico vobis receperunt mercedem suā*: suam dixit quam ipsi quæsierunt, itaque quam non quæsierunt non habebunt: at vide quanta stultitia: nam quare hominum laudes, & gloriam coëmerunt, eâdem gloriam æternam emere potuissent: nullum enim est opus bonum vel exiguum, quod gloriam æternam mereri non possit: quia omne opus bonū originem habet à gratiâ, illa autem semen est gloriæ æternæ: Iam vide quæ stultitia sit, pro gloriâ æterna, vanam gloriam aucupari, fugacem & mortalem, Idololatrarum exemplo de quibus Scriptura Rom. 1. *Mutaverunt gloriā incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quatruqedum, & serpentium.* Et Psal 105. *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*: unde superbia transit in quandam Idololatriam. Sed vide utriusque gloriæ discrimen petitum ex hodierno Euangelio: una enim est ab hominibus, altera est à Deo, & dum illud Ioan. 5. *Gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis*: Item, *Ne videaris hominibus jejunans*, *sed*

sed patri tuo. Fx principio utrãque æstima: Secundó Quæ ab hominibus est, in terra est: quæ à Deo est, in cœlo est, secundùm illud:*Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: Thesaurizate autem vobis thesauros in in cœlo*: cogita quantum cœlestia præstent terrenis:Tertiò,Quæ ab hominibus est,& in terra est,eam tinea corrumpit,& ærugo,& fures effodiũt, & furantur. Id est, corruptibilis est ex sese (hoc enim significat tinea quæ ex ipsa re oritur) & saltem marcescit vetustate,hoc ẽim efficit ærugo: Ad hæc, hominũ patet injuriæ, homines enim eripiunt,alij artificio,& occultè,ut qui furantur: alij aperta iniquitate, & manifestâ iniuriâ: ut qui effodiunt: sed quæ à Deo est, sempiterna est, neque patitur injuriam: *ubi neque ærugo, neque tinea demolitur*. quia & solida est, neque marcescit tempore: ubi fures non effodiunt. neque furantur? quia uti ab hõinibus non dependet, ita neque eorum timet vel insidias vel violentiam: sed nimirum*ubi est ubesaurus tuus, ibi est & cor tuum*:Id est, quilibet id affectat, quod æstimat, & id acquirit, quod quærit. Quis tuus erit in morte pudor, cùm te videbis rebus omnibus frustratũ; Nam quod ambiveras, nempe laudes humanas,amisisti:quam nõ quæsivisti, nempe divinam,non habebis: Chrysol. ser. 9. Iustitia quæ se humanis oculis locat, diuini Patris mercedem non expectat? voluit videri, & visa est: voluit hominibus placere, & placuit: habuit mercedem quã voluit: præmium quod habere noluit non habebit. Sed ubi viri divitiarum dormierint somnũ suum, nihil in manibus suis invenient.Quantùm tibi tunc displicebis, quantùm te damnabis ?Iob. 8. *Spes hypocritæ peribit.* Nam verè hypocrita, qui aliud eras, quàm ostendebas: *Non ei placebit vecordia sua:* Quoniam omnia bona sua, sine causa dilapidavit: Etenim omniũ bonorum suorum jacturam fecit: Exemplũ in Pharisæis,qui licet plurima bona agerent,orationes,eleemosynas,ieiunia, & alias corporis austeritates, quia tamen ex amore vanæ gloriæ id præstiterũt,ea omnia perdiderũt: frustra te vexas, ô homo, in cassùm laboras,nequicquam oras,& multa pateris, hæc omnia nihil proderunt tibi: *Non ei placebit vecordia sua*, Quia ut explicat S. Gregorius: Cum retributionis tempus advenerit, in pœna displicet quod vecors fuit: Tunc se stultè egisse intelligit, cum pro delectatione laudis, sententiam divinæ correptionis acceperit: Tunc se vecordem fuisse considerat, cum se pro tẽporali quã percepit gloria perpetua tormenta castigant:*Et sicut tela aranearum fiducia eius*, nam videbit omnes labores suos uno momento disjectos: *utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. tin èschàtin*,quæ lucem dabit rebus omnibus nostris, *& in fine hominis denudatio operum illius*.

Secundam vanæ gloriæ appetitus radicem ait S, Chrysost. esse vilem animam 1. quia facit hominem servum abjectissimum, & mancipium domini omnium deterrimi, quã servitute nullam vel inter barbaros graviorem arbitratur Chrysostomus: Certè abjectissimi animi est,esse mercenariũ:eiusmodi enim hõines, sordidos appellãus quia

ad omnia infima se deïttunt: Inter mercenarios autem ab jectissima sunt mancipia, quia quod inter homines præcipuum æstimatur, perdiderunt, nempe libertatem: nulla autem mancipia seruiliùs tractantur, quàm qui vanamgloriam quærunt: quam S. Chrysost. sic inducit alloquentem hominē: Exhibe te cunctorum servum, seu te fuerint infirmiores, sive clariores: animam aspernare, virtutem neglige, libertatem irride, ac tuæ demum saluti adversare: tùm si quid erit per te benè gestum, non Dei oblectandi gratiâ, id egeris, sed ad ostentationem duntaxat, & jactantiam: & promeritam ex eo palmam abjicias: cúmque te misericordem præstiteris, ieiunio, inediâve affeceris, est labor quidem subeundus, merces verò omni studio perdenda: Quid eiusmodi præceptis dici potest immitius? Equidem quod ipsi volent id tibi faciendum est: cùm nolent, abstinendum: Hinc aliquid iubent Christus & conscientia: si homines non probant, abstinendum est: si Christo aliquid non placet, faciendum tamen est, si hõines velint: si aliquid tibi arridet, si tamen ipsis displicet, abstinendum: itaque non tuo gustu vivendum, sed alieno: unde facilè intelligimus nullum esse dominium rigidius, aut imperiosius: Eheu! quod non timor Dei, quod non Iudicij pavor, quod non gehennæ metus, quod non amor Dei, quod non præmium æternum, quod non Dei prõissa, quod non eius minæ, quod non ipsa honestas, quod non officij debitū, quod non accepta beneficia, quod non Dei majestas, & authoritas, à te possunt impetrare; hoc à te impetrant vilissimorum hominum iudicia, quibus nihil debeas, qui te vel minores sunt, vel abjectiores.

2 Quia nihil sublime cogitant, nihil excelsum, sed res parvas, & minutas, quoniam hæc sunt potiùs in approbatione vulgi: quare quærunt, & affectant quasdam minutias in vestibus, in gestu, & c.

3. Quia timent hominum iudicia & sermones: sed quorum? abjectissimorum quorumcùmque. Etenim à quibus gloria ferè colligitur nisi à plebe? Vnde nihil habent virile Iob. cap 36: *Simulatores, & callidi provocant iram Dei. neque clamabunt cum vincti fuerint: morietur, in tempestate anima eorum*, quia impares sunt ferendæ persecutioni, & tolerando contemptui, *& vita eorum inter effœminatos:* quia scilicet nihil habent masculū.

4. Quia magni faciunt fumum, & mille nugas: pueri omnia putant magna: viri parva: vir autem magnanimus pauca æstimat magna, viles eutem animæ magni æstimant, quæ nihili facere debuissent, homintm plausus, populi laudes, plebis admirationem: Hinc S. Chrysostomus eiusmodi homines, deteriores vocat meretricibus: Etenim (inquit) & mulier prostibula, in domus fastigio adstans, sese cunctis visendam præbet: sic homines inanis gloriæ captivi, ad ostentationem omnia moliuntur: quos equidem impudicà dixerim impudentiores, quod meretriculæ nonnullos persæpe amantium aspernantur, cum ipse, univeisis, fugitivis inquam, prædonibus, furunculis, tui copiam facias.

Quòd

5. Quód illis serviunt abjectissimè, quibus nihil debent: Age enim quid illis debes quibus placere cupis, aut quibus metuis displicere? certè nihil: cur igitur sponte servis, & fis mancipium? Illi non admodùm te curãt, nec tua Iudicia; cur illos magni æstimas, aut reformidas? ut tibi, nihil illi debent, ita neque tu illis aliquid debes: Hoc fortasse habes, quod rectè iudices: illi autem quod perperàm: & tamen nihil illi tuum iudicium morantur, quid tu illorum iudicium suspicis? certè non aliunde id provenit nisi quia vilem animam habes, & servilem: Quin tu saltem æquo iure cum illis dimica, ut quemadmodum illi tuum iudicium non admodùm curant, tu quoque illorum contẽnas, & utrique suo iure agant, præsertim cum tua causa iusta sit, illorum plerùmque injusta: De homine iusto dixit Apostolus 1. ad Timoth. 1. *Lex iusto nõ est P osita, sed injustis*, cur igitur ab injusto homine legem accipias: *Nonne Angelos iudicabimus? quantò magis sæcularia:* Tuum est illos condemnare: Tuum illi iudicium formidare debẽt, nam ex Apostolo ad Galat. 3. *Quid igitur lex? propter trangressionem posita est* ad Tim. *Lex autem iusto non est posita, sed injustis.*

6. Quam illud abjectum ac demissum, ut vitam, & mores commutent ad hominum abjectissimorum sensum, atque gustũ: ut si quilibet ineptus velit, cogat te, vel sic incedere, vel sic loqui, vel sic vestiri, vel sic viuere: Certè ipse Aristoteles 4. Ethicor. cap. 3. Cum agit de Magnanimo, negat eum vel plausu & approbatione hominum comoveri, nec contrà percelli improbatione, quia cæteris antecellit, ac superior est: itaque qui contrario modo vivit, ille abjectus est, ac nullius animi.

7. Quod ipsas virtutes ancillari faciant vanæ gloriæ. Narrat Augustinus 5. de Ciuit. cap. 20. Veteres Philosophos, voluptatẽ in throno collocasse, cui adstarent & obedirent virtutes: Idẽ cogita de vanâ gloriâ quæ virtutibus imperat, Temperãtiæ ut ieiunet: liberalitati ut donet, Misericordiæ ut opituletur, &c. Quin etiam ipsas virtutes contra seipsas armat. Chrysologus Serm. 7. Crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem euacuat, misericordiã misericordiâ prosternit: Certè qui ita virtutes subjicit vanæ gloriæ, seipsum summèdejicere necesse est: Hinc collige quid de maxima hominum parte iudicare debeas, nisi viles esse animas, & venales, gloriæ mãcipia, & servos abiectissimos: Quàm abiecti cordis passim sint homines: Quos debeas generosos censere, an humiles, an homines vanos: Vide hominem generosum 1. Corinth. 4. *mihi autem pro minimo est utà vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque meipsum iudico. &c. Qui autem iudicat me, Dominus est:* Quin miseram illam tyrannidem excutimus? Nolite deficere à præcelsis cogitatiõibus, &c.

Tertiam radicẽ appetitus vanæ gloriæ appellat S. Chrysost. Ignorationem Dei. Primò enim si Dei majestatẽ nosti, satis intelliges illi soli gloriam deberi, iuxta illud 1. ad Timot. 1. *Soli Deo honor & gloria:* rationem dat cap. 6. *Solus potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem*

lucem inhabitat inaccessibilem? cui honor, & imperium sempiternum: In conspectu tantæ majestatis vix te esse putes, immò de omnibus gentibus sic Isaïas loquitur cap. 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei:* Itaque tanta majestas omnem honorem ad se trahit: Et ex illo debito, nascitur in Deo, illa qualitas, ut zelotes appelletur. Exod. 34. *Dominus zelotes, nomen eius:* Deus est æmnlator, præcipuè contra Idola, quia illjs tribuitur summus honor, qui soli Deo debetur: Vnde Herodes Agrippa licèt multorum scelerum reus fuisset, Iacobũ Apostolum gladio peremisset, Petrum occidere voluisset, non est tamen punitus, sed cùm laudes Deo debitas accepisset, Act. 12. *Populus acclamabat, Dei voces, & non hominis: confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expiravit:* Vnde Deus non tantum odit superbos, sed illis resistit, quasi adversariis, quód bonum Dei proprium usurpent nempe gloriam, secundùm illud Isa. 42. *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo & laudem meam sculptilibus:* Cætera bona hominibus largitus est, sibi gloriam & honorem reservavit. Idque merito, cùm enim ex Arist. sit summum bonorum externorum, summo Enti reservatum est: Vnde David. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam:* quia cætera bona Deo dari non possunt, utpote quæ solã habent utilitatem, sed gloria, & honor illi dari possũt: unde omnia Deus creavit propter se in, laudẽ & gloriã nominis sui Verè itaque dictum est, appetitum vanæ gloriæ, radicem habere ignorationem Dei: Nam licèt quædam sint in hominibus quæ laude digna videntur, quia tamen dona Dei sunt, omnis de illis gloria ad Deum pertinet: secundũ illud Apost. 1. Cor. *Quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Vnde illud monitum ejusdem. *Qui gloriatur, in Domino glorietur:* & S. August. in Meditat. Qui quærit laudẽ de dono tuo, licet de dono tuo laudetnr ab hominibꝰ, à te tamen vituperatur, quià de dono tuo, suam, non tuam, gloriã qnæsivit; Qui autem ab hominibus laudatur vituperante te non defendetur ab hominibus iudicante te, nec liberabitur condemnante te.

2. Si intelligas unum Deum tuarum rerum esse spectatorem, illi uni placere appetes: Etenim quod est minimũ nostrarum actionum id homines vident, nempe quod externũ est, & æquivocũ: Deus autem totam actionem & quoad interna, & quoad externa cognoscit, unde dicitur ponderator spirituũ, audi quid dicat 1. Reg. cap. 16. *Homo enim videt ea quæ parent: Dominus autem intuetur cor:* Parum itaque tibi esse debet, quod te homines aspiciant, neque eorum oculos debes requirere: sed magnum est, quod te Deus aspiciat, & cognoscat, secundùm illud. *& Pater qui videt in abscondito, ubi nullus alius videt, reddet tibi:* Chrysost. hom. 5. in Genes: Non vides dilecte, in equorum ludis, quomodo hi qui equos agitant, non aduertunt plausum populi assidentis, & celebrantis: neque nx eo plausu voluptatem capiunt:

piunt:sed ad unum solum spectant regẽ in medio sedenten & ad nutum illius attendentes, totam multitudinẽ despiciunt, & tunc solùm animo extolluntur, cùm ille eos coronaverit: hoc igitur, & tu imiteris: Et homil. 43. ad Popul. De terra recede, ad illud cœleste respicias theatrum: homines licèt laudaverint, mox tamen accusant, vel invident, vel carpunt: sed hoc si non fecerint, laudato non prosunt: Deus autem non ita, sed gaudet nostra laudans merita: Rectè igitur subdit: Itaque sublimẽ sensũ capiamus, & poterimus à multis collatum honorem contemnere, & in cœlum dirigere cogitationem: propone ergo tibi quasi duplex theatrũ, in quorum uno spectatores habebis homines: in altero Deum ipsũ, De primo spectaculo ita sapiẽtes & ethnici, pauci mihi satis sunt, satis est unus, satis est nullus: Democrito unus est, pro populo, & populus pro uno: De 2. Greg. Nyssen. *u theòs mè, as theatis*. Iob. cap. 16. *Ecce in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis*: Et in Evangelio, *& Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi*: Iam cogita, quãtùm tua intersit, ut Deo vel placueris, vel displicueris: è contrario quàm parùm tua referat, ut homo mortalis tua probet, vel improbet. Idque vel ex te ipso intellige, nam quid alteri affers emolumenti, quod bene de illo, aut sentias, aut loquaris? Eodem modo, quid tibi affert lucri alterius de te bona æstimatio? Sed quòd de te benè, vel malè Deus sentiat, hinc tua pendent omnia.

3. Si ita Deum tuarum rerum cogitas spectatorem, ut scias etiam esse judicem: certè parum est quod te homo videat: nam ille intuitus, de te esse potest: sed nihil ad te. ut enim ait Apostolus Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit*: Sed Deus verus est tuarum omnium rerum judex: Itaque Apostolus, 1. Cor. 4. *Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die: sed neque meipsum judico. me, Dominus est.* Ad hæc cum Deus sæpe aliter judicet quam homo, quis aliorũ approbatione gloriari potest, cum neque suâ ullus possit? unde Apostolus loc. cit. *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*: Itaque Abbas Agatho prope moriturus, cùm eum adstantes fra tres, an timeret, interrogarent; respondit, hactenus se elaborasse pro viribus, ut Dei præcepta observaret; cum tamen homo esset, ignorare se, an Deo grata fuissent opera sua, cúm aliter judicet Deus, & aliter homo: ita Sancti, semper timuerunt judicium Dei, & omnes dixerunt, cum Davide Psal. 142. *Et non intres judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: & Iob. cap. 9. *Verè scio quod ita sit, & quod non justificetur homo, compositus Deo: si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille, &c. Qui etiam si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.*

4. Si ita judicem cogites, ut scias etiam esse punitorem: sed vide quo genere pœnæ. Certè pœna solet peccato respondere non tantum in quantiate, secundùm illud, *quantùm in delitijs fuit, tantùm date ei tormentum.* Sed etiam in

in qualitate, ob duplicem rationem; 1. est in cap. 10. Sapientiæ, *ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuissent:* 2. est in cap. 11. Sapient. *ut scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Cùm itaque ratione honoris, & gloriæ peccarit creatura, punietur infamia, secundũ illud 1. Reg. 2. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me erunt ignobiles:* propterea qui videri voluerint, jacebunt in tenebris; & qui latere voluerint manifestabuntur: Certè peccatum vanæ gloriæ plenum est dedecoris, quod nemo fateri velit, nemo in alijs sustinere, itaque ab omnib⁹ occultatur, & ab omnibus dissimulatur: unde magnus existet in judicio pudor cum manifestabitur: Hinc factum ut Apostolus Paulus vanam gloriam coërceat ex cogitatione ludicij omnia manifestantis 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo:* In quo qui gloriæ appetens est, sibi manifeste contradicit. Nam ni hil magis desiderat, quàm lucem, & nihil peius odit quàm lucẽ: lucem hominum desiderat odit autẽ Dei lucem: primam desiderat, quia habet adjunctam obscuritatem, itaque passim homines male judicant, itaque illorũ judicium, appellat Apostolus diem humanũ: *Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die:* Diem autem seu lucem Dei reformidat. ob id quod dicit Apostolus, *quoad usque veniat Dñus, qui & illuminabit abscondita tenebrarũ, manifestabiet consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.* Id est, vera laus, & cõmendatio: Ex hoc collige quanta sit futura vanorum hominum confusio, cùm eorum turpitudo, & simulatio, & vacuitas, & tenebræ patebunt, & illis omninò contrarium eveniet ei quod tantoperé appetivere: cogita quantus tuus futurus sit pudor, cum ab omnib⁹ videberis, uti es, sine velo, sine fictione, sine dissimulatione, cùm omnes videbunt paupertatem tuam, & egestatem tuam, te sine meritis esse, sine virtute, sine commendatione. Nahum 3. *Revelabo pudenda tua in facie tuâ, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam:* videri voluisti ab hominibus, non qualis eras, sed qualis non eras: veniet tempus cùm ab hominibus videberis sed in luce Dei, itaque in veritate, & manifestatione absconditorũ, cùm manifestabit consilia cordium. Igitur sequere tàm frequens Christi consilium immò & pręceptum: fuge oculos aliorum, tantum absit ut requiras; quin etiam dissimula Ait enim *cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans:* Nam si videaris, laudaberis, si laudatus fueris, mercedem tuam accepisti, *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam:* quod usque adeò Christus commendat, ut velit etiam à nobis ignorari quæ fecimus, *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Chrysost. si te ipsum vult nescire, quantò magis alium? Hæc itaque tibi cavenda sunt. 1. Ne facias ut alii videant. 2. Ne ita facias ut alii videant, nisi quæ sunt publica & præcepta: itaque in alijs quære secretum, utque dicit Christus *claude ostiũ, & ora:* 3. Ne facta à te alijs dixeris, hoc enim est *tubà canere* nisi

nisi aliquando charitas aliter exigeret: 4: Neque tu ad illa animum reflectas reducendo in memoriam, ut inde tibi placeas, hoc enim est *sinistram scire, quid fecerit dextera*, alioqui & tuam mercedem receperis, & in terrâ thesaurizaveris, *ubi tinea & ærugo omnia corrumpet, & ubi fures effodient*, & furabuntur: sed Deum unum attende, eiusque unus oculos require, & *Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi:* Quia videt, reddet, ne aliquid perditum putes. sed non quomodo videt, ita reddet: Nam videt in abscondito, sed reddet in propatulo: quod videt exiguum est, quo reddet, magnum est: quod videt, in te est, quod reddet, in ipso est: quod videt, creatura est, quod reddet Deus est. Certè unusquisque referet, quod quæsivit: ubi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Elige.

***

FERIA QUARTA CINERUM,

CONCIO PRIMA,

DE CEREMONIA CINERUM.

Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris.

QUI hodiernam civitatis faciem, & hesternam, contemplatus fuerit, cùm tantā morum mutationem videat, hoc est tantam modestiam ex tanta immodestia, summam tranquillitatem ex tanta ebrietatis jactatione, tantam temperantiam ex tanta mentis, & oculorum, & linguæ & vestium, & mensarum intemperantia, satis intelliget quàm verum sit dictum illud Salomonis Ecclesiasticis 7. *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum convivij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum sit*. Heri enim tota civitas ingressa in domum convivij; etiam temperatiores, in excessus prorupêre hodie verò ingressa est in domum luctûs, hoc est in Ecclesiam: quæ mutatâ veste, cilicio induta, propositis in aditu flagellis ac virgis, caput asperfa cinerib⁹, pœnitentiam inclamans, atque omnes ad luctum vocās, omnibus mortis memoriam & imaginem proponit, dicens *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris*: Itaque in ea domo luctûs, *finis cunctorum admonetur hominum:* nam unicuique dicitur, *& in cinerem reverteris: & vivens cogitat quid futurum sit;* hoc enim certò omnibus futurum est, ne quisquā suam sortem ignoret. Certè homines tam studiosi sunt sciendi futura, unde & astra consulunt, & auguria, & auspicia, & eventus, & ipsos Dæmones atque inferos, sed frustra: etenim Deus per

Esaiam 46. *Ventura interrogate me;* sed unum quod futurum est, & certò futurū, quia homo non cogitat, propterea in memoriā ei revocatur, unde *vivēs cogitat quid futurū sit*: Septuaginta Interpretes sic habēt: *Qui vivit dabit bonū ad cor suum:* optima enim consilia, & salubria proposita ex hac cogitatione oriūtur: Hebraicè desinit oratio: *vivens cogitat*: uti vulgò dicimus, *illa bien à pēser.* Verbū cogitandi hîc significat defixum & intentum studium, curam & cogitationē in re aliqua: quid enim magis teneat hominis animum suspensum ac defixū, quàm humani cadaveris aspectus; unde mirum silentium, & stupor, nullaque vox nisi singultus, vel lachrymarum, ac luctùs exauditur. Vnde non mirū si tanta existit in toto Christianismo mutatio ex propositis cineribus, & facta tā expressa mortis exhibitione. Nec mirum, si tam compositos nunc videam, & vultus & animos vestros, atq; ad omnia bona consilia, & sana proposita comparatos. Hoc unū á vobis postulo, ut quoniam huius cogitationis initium tantam vobis attulit utilitatē patiamini me rem tam utilem ac practicam vobis veriùs explicare. Et quia nec ego dicere ut oportet, nec vos audire & sentire ut decet, potestis sine Dei adjutorio: Agite, ut sub illis cineribus divinum illum, & incensum carbonem, ignemque diu ac semper custodiamus, S. Spiritus gratiam, ac D. Deiparæ opem imploremus. *Ave Maria.*

NON sine divina providentia factum est, ut quemadmodum ex Apostolo, *mors in omnes homines pertransiit*, ita in omnes nationes hæc consuetudo transierit, ut sibi mortis memoriam multis modis repræsentēt. Sanè initio mundi primos homines Deus induit tunicis pelliceis, quemadmodū ait apud Epiphan. hæresi 64. Proclus, ut illos velut morte quadam indueret: quæ res eó usque pervenit, ut ea memoria ac repræsentatio non abesset.

1. Ab actionibus summam gloriam redolentibus, uti in coronatione Imperatorum; nam uti refert Petrus Damianus Epistolâ 17. Hic fuit mos Græcorum in coronatione Imperatorum: postquam corona & sceptro decoratus est imperator, septus Principum corona, modulantium choris exceptus cum acclamatione, ei aliquis statim obvius fiebat, qui unâ manu vasculum plenum ossibus mortuorum ac pulveribus afferebat; altera stupam lini cui ignis adhibebatur, ut in momēto arderet: ut in uno consideraret quid esset, in altero quid haberet: in cineribus se cinerem agnosceret, in stupa, rerū omnium vanitatem, & finem, ut sciret vana esse omnia, & peritura: immò quoties prodibat Imperator, pro ornamento textile aureum deferebatur in modum codicis seu libri, quod vocabant *acakian*, innocētiam, seu criminum vacuitatem; in eo verò inclusum cinerem deferebant, ait Curopalates, ut doceretur Imperator *tapeinon hyne, hos thnyton*, humilē esse oportere, ut mortalem: ita in summi Pōtificis inauguratione stupa comburitur cum hac voce, Sic transit gloria mundi.

2. Nec à Triumphis, in quibus apud Romanos, ait S. Hieronymus, semper aderat monitor, qui eum qui triumphabat, identidem admoneret, ut se mortalem sciret.

3. Nec à conviviis, in quibus apud Ægyptios *skeletos* ligneus deferebatur, & aliquando effigies argentea cadaveris, ut homines meminissent quales essent futuri, unde singulis dicebatur, in hunc intuens pota, & oblectare, talis posteà futurus. De Domitiano legimus epulari solitum in cœnaculo aureo, quod ob operis parvitatem, mica dicebatur, ex cuius tholo pendebat hominis cranium, ut omnes mortis meminissent. Martialis, *Ipse iubet mortis te meminisse Deus.* Aliqui putant ex hoc cœnaculo liberum fuisse aspectum Mausolæ in quo Augustus conditus erat: unde Martialis, *Iam vicina iubent nos vivere Mausolæa, cùm doceant ipsos posse perire Deos.* De Pacuvio Syriæ Præfecto refert Seneca Epistolâ 12. Cùm à cœna iret in cubiculum, ad symphoniam canere iussisset pueros, *bebiokè, bebiokè*, vixit, vixit. Nullo non se die extulit, ait Seneca, ac subdit, Hoc quod ille ex mala conscientia faciebat, nos ex bona faciamus.

4. Nec à rebus sacris, uti enim ait Philo libro de somniis, Sacerdos sacrificaturus lustrabatur aqua & cinere, ut in memoriam veniret suæ conditionis, ac meminisset qualis esset: Hinc ad oram vestis extremam tintinnabula ferebat summus Sacerdos Judæorum, ut teste Origine homil. 9. in Exodum resonantem haberet rerum extremarum memoriam, & populum eiusdem rei admoneret. Olim moses labrum æneum cum basi sua fecerat de speculis mulierum quæ excubabant in ostio Tabernaculi, ut qui ingrederentur, viderent an decenter essent compositi: sed apud Christianos hæc specula, monumenta sunt defunctorum, ait Chrysostomus, quæ nobis referunt, & quod sumus, & quod futuri sumus. De quibusdam Afrorum populis refert Herodotus, quos Nasamones vocat, eximiæ virtutis & sapientiæ hominibus: eos nulla alia divinatione, & jurandi formula usos esse, quàm quod optimorum virorum sepulchra tangentes jurarent, ibique post preces indormirent, & quidquid per quietem somniassent, illo etiam usos tanquã re certâ, ac determinatâ, de qua dubitare nefas.

5. Nec apud nationes luxui deditas ut apud Sybaritas, apud quos in conviviis mortis effigies argentea deferebatur, & omnibus proponebatur.

6. Nec apud nationes incultissimas & maximè barbaras, quæ in capitibus defunctorum bibere solitæ; ac monere inter se brevi se futuros tales.

7. Nec apud sapientes, quoniam qui tales fuerunt præstantissimi, illi cùm amorem sapientiæ profiterentur, ac Philosophi dicerentur, suam artem, mortis meditationem nuncuparunt.

8. Nec apud infantes, atque pueros; nam ut refert Nazian. oratione 10. ejus parentes ita liberos instituerunt, ut scirent vitam nihil esse aliud quã *Meletyn Liseos*, migrationis ab hac vita meditationem. Ita omnes homines in unum conspirarunt: unde apparet eos qui mortis memoriam à se abiecerunt, aut reformidant, ne prima quidem sapientię elementa habere, ac deteriores esse non solùm Ethnicis sapientibus, sed etiam insipientibus, voluptuosis, barbaris, ignaris, & infantibus.

Sed nescio quiddam singulare habet illa mortis memoria, uti nobis hodie ab Ecclesia proponitur, quale in nulla alia reperire possum, quod totum in modo proponendi reperio: In quo me plurimum quæ sequuntur, commovent ac percellunt.

1. Quòd & opere & voce proponat: etenim & jaciũtur cineres, & simul hæ voces proferuntur, *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris*: In quo facto imaginẽ habes sacramenti: Quod si Nyssenus orat. 2. de Beatitudinibus, appellat cœmeteria *tatys phiseos ymon mistyria*, naturæ nostræ mysteria, seu nostræ infirmitatis arcana, multò magis hanc ceremoniam dicere potes nostræ infirmitatis sacramentum; vel apto nomine, mortis, seu nostræ mortalitatis sacramentum. Nota sacramentum esse ceremoniam sacram ad aliquid significãdum institutam, quæ duplici parte constet, una sensibili, altera intelligbili, & insensibili. Distinguũtur materia & forma: materia esse solet aliqua res permanens sensibilis, ut aqua, oleum, chrisma, panis, vinum: forma consistit in quibusdam verbis, quæ significationem materiæ magis determinant: quæ omnia in nostro mortis sacramento reperiuntur; est enim sacra ceremonia, unde cineres benedicuntur, & cetto ritu applicantur: materia autem sunt ipsi cineres; sed forma sunt verba quæ singulis dicuntur, *Memento homo*, &c. Sicut autem advertit S. Damas. in sacramentis duplicem esse partem, unam sensibilem, alteram intelligibilem: Ita in hac ceremonia utramque partem habes, non solùm propter ceremoniam externam, & propter intelligentiam, sed etiam quia cùm verbum accedat ad elementum, fit quoddam sacramentum: non quidem tale, qualia Christus ad sanctificationem operandam instituit; sed qualia multa sunt quæ nos ad occultas cognitiones deducunt. Sicut itaque eò quòd homo duplici parte constat, animâ & corpore, ideò Deus non purè spiritualia dedit sacramenta; Ita in hac ceremonia una pars corpus tangit, altera suâ significatione animam; unde ad totum hominem oratio convertitur: nam licet una pars cineri vivat superstes, quia tamen corpus pars est hominis essentialis, & dissoluto corpore totus homo dissolvitur, propterea ad totum hominem oratio destinatur. Et quoniam corpus suum esse non intelligit, oportet ut anima intelligat quo in tabernaculo hospitetur, secundùm illud Jobi: *Qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum*. Denique uti admonet Sanctus Thomas, Sicut in Ecclesia dupsicis sunt generis homines, alij quidem sapientes, alij verò ignari; isti fere rebus, illi autem verbis commodiùs admonentur, ut nemo se mortalem, non dico ignoret (quis enim id posset ignorare) quod quotidie in aliis quibuscumq; experitur, sanis, ægrotis, divitibus, pauperibus, senibus, iuvenibus, viris, mulieribus, notis, ignotis, extraneis, affinibus; apud omnes gentes & nationes, quâcumque sint conditione & statu: imò in seipso quisq; experitur, in morbis, indoloribus in ætatũ mutatione; nã ut ait Seneca (mors infantiæ est pueritia, mors pue-

ritiæ est adolescentia, mors adolescentiæ est iuventus, mors iuventutis est virilitas, mors virilitatis senectus, mors senectutis decrepita ætas, mors decrepitæ ætatis ipsa mors est:) sed ut quisque meminerit se esse mortalem. Omnibus & facto, & voce id significat, ac reducit in memoriam Ecclesia: unde non dicit; scito homo, sed memento; quia nemo est qui se moriturũ ignoret: sicut docet Ecclesiastes capite 9. *Viventes sciunt se esse morituros, mortui verò nihil noverunt amplius.* Certe qui hoc ignorat vel mortuus est, vel immortalis; sed qui non ignorat, sæpe non cogitat: itaque id illi revocatur in memoriam.

In quo multiplicem Scripturæ figuram implet. 1. quidem eam quæ continetur in libro Numerorum capite 19. ubi describitur sacrificium vaccæ rufæ, cuius omnes partes comburebantur, pellis etiam, & fimus, ac subditur: *Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, &c ut sint multitudini filiorum Israël in custodiam, & in aquam aspersionis*: In quam rem sic philosophatur Philo Judæus libro de offerentibus victimas. Cæteri ferè omnes (inquit) aquâ lustrantur, marinâ plerique aut fluviali, aut è fontibus petitâ: At Moses cinere præparato, è sacri ignis reliquiis, ex hoc nonnihil sumptum iubet in vas infundi, ac deinde aquam; tum hyssopi ramo in hac temperatura tincto lustrandos aspergi: cuius rei significatio hæc est; admonet eos qui ad Dei cultum accedunt, ut ante omnia seipsos noscant, & suam essentiam; nam quisquis seipsum ignorat, quî potest summam illam & excellentissimam Dei potentiam percipere? Est igitur nostra, quantùm ad corpus, essentia, terra & aqua, id quod docemur hac purificatione, quando hoc ipsum creditur ad purgandum utilissimum nosse seipsum: ex quibus, & quàm nihili rebus constemus, ex aqua & cinere; nam hæc repræsentatio confestim arrogantiam insidiatricem animo eximit, simulque superbiam: atque ita Deum homini conciliat infensum huiusmodi vitiis, &c. Itaque aspersione hac sic excitamur, & tangimur, quasi hæc ipsa elementa, terra & aqua nos appellent in hunc modum: Nos sumus vestri corporis essentia: ex nobis natura, id est ars divina, contemperatis, effinxit humanam speciem: ex nobis compacti prodiistis in lucem, in nos rursum solvendi post obitum: nihil enim in nihilum recedere natura patitur; sed unde est initium, eodem finis redit.

Quoniam verò in illis omnia contingebant in figura, quomodo hoc sit impletum in novo Testamento, vix meliùs ostendi qotest quàm in hac ceremonia cinerum, quę aspersione aquę sacræ consecrantur.

2. Eodem pertinet lustratio Sacerdotis; nam ut ait Philo li. de sommiis: Sacerdos sacrificaturus lustrabatur aquâ & cinere, ut in memoriam veniret suæ conditionis, ac meminisset qualis esset: Ita populus Christianus sacrificaturus Deo, & facturus oblationem jejunij ac mortificationis, prius lustratur aquâ & cinere, hoc est cineribus per aquam sanctificatis.

 3. Fi-

3. Figura continetur Ieremiæ cap. 19. Deus enim Ieremiam multa & miranda locuturum ad populum impium convertendum amandat in vallem filij Ennon, per portam fictilem seu sterquilinij, ut ibi cœtu facto concionaretur, & testaceum vas, quod manu gerebat, in omium oculis frangeret: *Egredere ad vallẽ filij Ennon, quæ est iuxta introitum portæ fictilis, & prædicabis verba quæ ego loquar ad te*, &c. Vallis Ennon locus fuit in quo sepulchretum, unde septuaginta Interpretes vertunt polyandrion, hoc est ex usu Ecclæsiæ, cœmeterium. Eò vocantur Hæbræi, ut communi tumulo considerato, novissima sua in memoriam revocent: ad idem juvabat vicine portæ intuitus, quæ vocatur sterquilinij, & vas fictile Ieremiæ manu fractum, ut scirent se brevî in pulverem ac lutum redactos, proiiciẽdos in sterquilinium sed vide plura in una voce mysteria; etenim vallis Ennon significat, ut ait Sanctus Hieronymus, vallem gratiæ: Hebræum enim Hanan est, gratis dari à quò dictum nomen Ennon gratiam significat: vel significat vallem eiulatûs à verbo Nahan, rugire & eiulare: ut scias novissimorum contemplationem sæpe multos commovere, ac lachrymas ciere; & eiulatus: sed subito commutatur in vallem gratiæ; quia Deus solet esse propitius lachrymis. Certè nil est expressius hac figura, ut significetur quod fit in Ecclesia: quia Concionatores mittuntur in vallem Ennon ut ibi populum congregent; nam conciones initium habent à ceremonia cinerum, & prima Ecclesiæ concio est: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris*: quod cùm vobis explico, quid aliud est quàm vas fictile vobis præsentibus frangere, ac vos deducere in vallem filij Ennon per portam fictilem, seu sterquilinij.

4. Eòdem pertinet quod ad oram vestis extremam tintinnabula ferebat Summus Iudæorum Sacerdos, ut, teste Origine homil. 9. in Exodum, resonantem haberet rerum extremarum memoriam: quod implent nunc Sacerdotes, dum illam vocem in auribus omnium insonant: *Memento homo quia cinis es & in cinerem reverteris.*

Porrò illam notitiam non intendit Ecclesia speculativam atque inanem, qualem omnes habent, ac præcipuè Philosophi, sed practicam ac fructuosã 2. Neque tantùm universalem ac confusam, sed distinctam ac singularem, ut non tantùm quisque intelligat omnib⁹ mortalib⁹ esse moriendũ, sed quisq; intelligat sibi singulariter esse moriendũ: itaque unicuique singulariter dicitur: *Memento homo quia cinis es & in cinerem reverteris.* Fuit hoc pessimum Dæmonis artificium, ut primis Parentibus auferret metum mortis, *nequaquam moriemini*; Non illi mortem experti: itaque sperare poterant se non morituros, præsertim si increduli fuissent, nec minis Dei terrerentur. Sed nobis qui quotidie mortem experimur, & videmus, qui certò eam expectamus, miro artificio Dæmon persuadet non morituros: nã quia non potest persuadere non omninò morituros, id cautus per singula vitæ momenta persuadet: verbi gratiâ, te non moriturum: hoc die, hac hebdomadâ,

mada,hoc menſe, hoc anno,eò uſque, ut cum quiſque hoc dicat in tempus futurum, ſe planè non moriturum dicat; nam ut ait Sanctus Hieronymus Epiſtola ad Cyprianum: *Nihil ita decipit humanum genus, quàm quòd dum ignorat ſpatia vitæ ſuæ, longiorem ſibi ſæculi huius poſſeſſionem repromitat*: nullus enim tam ſenex eſt, aut decrepitæ ætatis, ut non ſe adhuc uno plus anno vivere ſuſpicetur:atque ut ex te facias experientiam,cogites velim, an unquam tibi ſerio perſuaſeris tibi moriendum eſſe.

Sed hoc homines vulgò audire nolunt. Certè id tibi quotidiana exempla clamant,affines tui,amici tui,noti tui, ſocij tui, hoc ſepulchra & cœmeteria, quæ quotidie aut teris aut præteris, & hæc horrida mortis ſpectacula,oſſa effoſſa,nudæ calvariæ, congeſti ſine ordine cineres, aperta ſepulchra: Hoc tibi quotidie Deus inculcat, hoc morbi,hoc pericula,hoc ætatum mutationes ſuadent,ſed ſi hactenus obſurduiſti, ſaltem hodie,*Terra,terra,terra, audi vocem Domini?*Hoc tibi efficienter perſuade,ac teipſum intuere,hoc corpus,hæc adoleſcentia,hæc pulchritudo, ille color,ille vultus, illi oculi, illæ blanditiæ,illi ignes: & fomenta libidinum, hic ſinus, illa bracchia, illæ manus,erunt paucos poſt dies,poſt paucos mēſes,paucos poſt annos, cinis, pulvis, putredo,nihilum: ad hæc cogitatione finge te eſſe in mortis lecto jā jam expirantem; cogita quos eo tēpore ſenſus ſis habiturus, quos terrores,quos æſtus animi,quę vota,quæ deſideria,& dignā histemporib' vitam componere.

2. Quod in ea ceremonia eſt præcipium, illud eſt, quod in ea omnium optima,nobis imago mortis repræſentetur: primò in cineribus, ſecundò in verbis:à cineribus incipiamus.

Ac primò quidem in cineribus oſtenditur, communiſſimus moriendi modus, nempe per combuſtionem; unde mors dici poteſt quidam incendiarius,quoniam omnia in cinerē redigit: nam ut ait Iobus capite 34. *Et homo in cinerem revertetur:*Itaque ſingulis inclamat Eccleſia,*Cinis es,& in cinerem reverteris*,quod ſumitur ex capite 3. Geneſ. ubi poſt peccatū indicitur Adamo neceſſitas moriendi, additâ cauſâ: *Quia pulvis es & in pulverem reverteris.*Cinis eſt pulvis poſt combuſtionem rei corporeæ relictus:homo utrumque eſt; unde Eccli. 10. *Quid ſuperbit terra & cinis?*Et idem *17. Omnes homines terra & cinis.*Et Abraham Genes.18. *Loquar ad Dominū meum cùm ſim pulvis & cinis.* Itaque vox Hæbrea epher,ſine diſcrimine vertitur pulvis & cinis:quare homo paſſim,nūc pulvis,nunc cinis dicitur,Iob.34.*Homo in cinerē revertetur:*Et capite 10. *Memēto,quæſo, quòd ſicut lutū feceris me & in pulverem reduces me.* Et Eccleſ.12. *Revertatur pulvis in terram ſuam unde eſt.* Cùm itaque mortis violentiâ homo in cinerem redigatur, intueri licet mortem quaſi incendiarium, qui ſubiectis facibus,opus omnium præclariſſimum, & quaſi divinitatis templum, ut Paulus vocat, incendit, & in cinerem redigit. Et certè maxima hominum pars perit incendio; quid enim ſunt morbi varij, quàm mortis faces? Quàm multi febre intereunt? illam autem Celſus

Celsus à fervore deducit, & est calor prętcr naturã existens, Græcis simpliciter pyr dicitur: Ita mundi totius interitus per conflagrationem fiet, quo non iam Roma per sex integros dies, uti olim sub Nerone conflagrabit, sed totus orbis universus ardebit igne, & in eo omnium hominum corpora, & corporum reliquiæ; quod nec Stoicis fuit ignotum, qui solemnem mundo *ecpyrosin*, conflagrationem à morte imminere dixerunt. Sed certius S. Petrus 2. Epist. c. 3. *Cæli qui nuncsunt, & terra*, &c. *Igni reseruati in diem Iudicij:* & Postea: *Cæli magno impetu transibunt, elementa calore solventur; terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exuretur*

Secundò, in cineribus significatur communissima resolutio omnium corporum, nempe in elementa, quæ dissolutio ultima in cineres efficitur; nam alia elementa non sic apparent, cum ignis & aër non videantur, pars aquea siccetur, at quod remanet pulvis est, & maxima corruptio in tenuissimum pulverem, quem cineres vocamu.

Tertiò, Sic optimè ostenditur rerum omnium amissio ac deperditio, quæ fit in morte: est enim mors rerum omnium privatio, & huius vitæ, id est, inferioris mundi, & omnium locorum, regionum urbium, domorum. Item usus rerum omnium, delitiarũ, voluptatum, dignitatum, risus, conviviorum, choræarum honorum, contentionum, occupationũ Item omnium personarum, parentum, uxoris, mariti, liberorum, amicorum: immò etiam elementorum, cœli, Solis astrorum, terræ, marium, & eorum quæ in illis continentur: Ad hæc omnium actionum huius vitæ, quibus peccare, & mereri possumus, ac Deo servire ut ministeriorum, licet utilium Ecclesiæ, etiam in medio cursu, nec absolutorũ: denique separatio à corpore, eiusque dissolutio in partes, usque ad pulverem ac cinerem dispersum.

Porrò eam privationem multis modis Scriptura proponit, ut eam homines intelligant. 1. apud Iobum: Nudationem appellat: *Homo cùm mortuus fuerit, atque nudatur, ubi quæso est?* ut scias te rebus istis nunc vestitum atque ornatum, itaque illas à te tam facilè auferendas quàm vestem; certè istis omnibus homo nudus in hunc mundum ingreditur solâ carne vestitus, quâ iterúm spoliatur in morte. Ita Iob cùm rerum suarum iacturã fecisset, in has voceserupit: *Nudus egressus sũ de utero matris meæ, & nudus revertar illuc: Domin' dedit, Domin' abstulit.* Et Ecc. 5. *Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertur, & nihil auferet secum ex labore suo.* Miserabilis prorsus infirmitas, quomodo venit, sic revertetur. Apostolus 1. ad Timotheum 6. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus.* Id expressit Saladinus Sultanus Babylonis & Damasci, Ægyptique Rex, cum iussit interulam, quâ solâ corpus suum condendum statuerat, lanceâ sublimem per compita vicosque Ascalonis deferri, clamarique Saladinum Asiæ, nihil amplius habiturum à morte: ita Paulus Æmil. de gestis Francorum.

2. Ablationem & expilationem à fure factam *un larcin*: unde tam sæpe Christus admonet se instar furis venturum

turum

turum, non tantùm quia inopinatò, sed etiam quia omnia sublaturus, ac nihil omnium relicturus.

3. Vocat extinctionem secundùm ilud Iobi: *Lucerna impiorum extinguetur.* Quia ad tempus quidam est vitæ fulgor, sed posteà extinguitur cum fœtore lucerna. Ita monet Sapiens: *Super mortuum plora, defecit enim lux eius.* Sicut enim vita vocatur lumen ita mors per tenebras designatur, & extinctionem lucis & caloris.

4. Vocatur mors inundatio; etenim mors instar torrentis omnia rapit: ita Iobus capite 21. *Et superveniet eis mundatio, & dolores dividet furoris sui*; quia secum omnia obruit, ac sepelit.

5. Vocatur divisio & separatio, secundùm illud morientis Regis captivi: *Siccine separat amara mors*: unde in iudicio facto de Balthasare, hæc vox includebatur, Phares, *Quia divisit à te Dominum regnum tuum,* quod sine dolore non fit; quia omnis dolor consistit in divisione. Sed nullâ re melius rerum omniũ amissio denotatur, quàm reductione rerum omnium in cinerem. Quemadmodum enim quamdiu res existunt, spes semper subest eas recuperandi; sed ubi semel in cineres redactæ sunt, & consumptę, irreparabilis est iactura. Ita nulla re melius exprimitur rerum omnium amissio, quàm si dicas hominẽ redigendum esse in cinerẽ, secundum illud Iobi: *Homo cùm mortuus fuerit, nudatus, atque consumptus, ubi quæso est*: unde Ecclesiastis 9. ubi dicitur: *Motui nihil noverunt amplius.* Lectio Arabica habet: *Mortui nõ reperiuntur.* Rem vis experientiâ cognoscere, adi mortuorum sepulchra: adiisti? hîc siste viator, atque in marmore lege gloriæ titulos, & magna nomina: uno sepulchro condita dicuntur virtus, honor, dignitas, nobilitas, scientia, robur, divitiæ, pulchritudo, favor & amor omnium: iam sepulchrum quantâ curâ potes, excute: puid cernis? pulverem, cinerem, nihilum: Quęre si potes illam oris venustatem illum candorem, illum ruborem; ostende geminum oculorum lumen, illud os purpureum, hanc disertam lignam, aurum illud capilorum, ebenum superciliorum, &c. Iam quis locus nobilitatis, quis honoris, quis didignitatis? Et propter hunc finem tibi cineres iniiciuntur, ut intelligas in quid aliquando sis redigendus, ut cùm te moriturum expectas, intelligas quid quid sis aliquando futurus.

Quartò, in cineribus optimè exprimitur mortis facilitas & celeritas; cineres enim ab incendio, quæ verò igne pereunt, momento pereunt, ac nullo negotio. Seneca lib. 3. qq. Natur. c. 17. Nihil difficile est nature, ubi in finem sui properat; ad originem rerum parcè utitur viribus, dispensatque se incrementis fallentibus: subitò ad ruinam, & toto impetu venit. Quam longo tempore opus est ut conceptus ad puerperium perducatur infans? quantis laboribus educatur, & adolescit? At quàm nullo negotio solvitur? Urbes cõstituit ætas, hora dissolvit. Momento fit cinis diu sylva: itaque non mirum, si tam facilè homines occidunt.

Quintò, quòd omnes mors exæquet par enim cinis Pontificum, Imperatorum, Regum, plebeiorum, Lazari

& Epulonis; mitratorum, myrrhatorum, inopum, & miserorum: arbores ab arboribus, ligna à lignis, palatia à palatiis facilè distinguimus, dum stant & oculis blandiuntur; devorentur ab incēdio, & in cinerem combusta resolvantur, nullum amplius est discrimen: Palmæ, Cedri, Buxi, Sambuci, Cinnamomi, Rhãni, idem est cinis: Homines ab hominib' discernimus, dum florent, vigentq; mortis incendio conflagrant; divitem à paupere, pulchrum à deformi, potentem à debili, Crœsum ab Iro quis sejungat? Impares in vita, in morte pares: in hunc sensum locum Jobi 13. *Memoria vestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum cervices vestræ:* intelligit Sanctus Gregor. Intueamur (inquit) qualia in sepulchris jaceant divitum cadavera, quæ in illa extincta carne sit imago mortis, quæ tabes corruptionis; & certè ipsi erant qui extollebantur, honoribus, habitis rebus tumebãt, despiciebant cæteros, & quasi solos se esse gaudebant, & dùm non perpenderent quò tendebant, nesciebant quid erant: sed in lutum cervix redacta est. Quia despecti jacent in putredine, qui tumebant in vanitate. Alphonsus Rex Arragonum interrogatus, quid Reges & privatos, divites & pauperes, omnes denique exęquaret, respondit, cinis. Ita Diogenes sciscitanti Alexandro, quid ita mortuorum ossa intueretur: Calvariam (inquit) & ossa Philippi, patris quondam tui quæro, sed inter plebejorum ossa nõ discerno. Melius Augustinus libro de Natura & Gratia: Respice sepulchra, & discerne, si potes, vinctum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi: memor itaq; naturæ ne extollaris: Certè nil magis nos confundit quàm cinis.

Sextò, quòd abolenda omnis sit hominum memoria, secundùm illud Jobi 13. *Memoria vestra comparabitur cineri:* vel ut habet Tigurina versio: *Memoria vestra sermones cineris*: quasi sit sensus, mortuorum memoriam instar cineris qui levissimo flatu dispergitur, dissipandam esse: quod exponens Greg. Magnus sic habet: Omnes qui cogitatione terrenâ huic sæculo conformantur, per omne quod agunt, huic mundo relinquere sui memoriam conantnr: alij bellorum titulis, alij âltis ædificiorum mœnibus, alij disertis sæcularium doctrinarum libris instanter laborant, sibique memoriæ nomen ædificant; sed cùm ipsa ad finem celeriùs vita percurrat, quid in ea fixum stabit? &c. aura etenim cinerem rapit: vel perire memoria dicitur; quia quod in cinerem est redactum, periit: sic comminatur Deus Regi Tyri Ezech. 18. *Dabo te in cinerem.* Et Esaias: *Erunt populi quasi de incendio cinis.* Itaque de mortuis sic loquitur Sapiens Ecc. 9. *Non habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum:* Est enim mors obliviosa; tum quia mortui viventium obliviscuntur, secundùm illud: *Mortui verò nihil noverunt amplius:* unde sepulchrum dicitur regio mortuorum, & terra oblivionis. Et poëta *Lethesque fluentis ad undam, Securos latices & longa oblivia potant.* Sed potissimùm, quia oblivionem defunctorum inducit viventibus; unde in Scripturis, oblivio mortuorum solet esse circumlocutio mortis: *Oblivioni datus*

datus sum, tanquam mortuus à corde; id est cogitatione. Item quia quæ desperata sunt oblivifcimur; & mortuus dicitur, *tanquam vas perditum:* Et rectè dixit quidam: Quod periit, periit. Et Psalm. 9. *Periit memoria eorum cum sonitu.* Item mortui in oblivione apud Deũ: Psalm. 87. *Dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius.* Oblivio illa respicit vitæ munia, & alias commoditates: & ita Dei recordatio pro resurrectione accepta est, Job. 14. *Constituas mihi tempus in quo recorderis mei:* Et Ecclesiasticis 2. sic loquuntur impij: *Non erit memoria sapientis, similiter ut stulti, in perpetuum:* & eodẽ sensu: *Unus & stulti, & meus, occasus erit.*

7. Quis sit hominum status post vitam futurus: nempe omnium infimus, atque abiectissimus, in quem per mortem devenimus; etenim mortis inchoatio est rerum amisso: sed eius finis & perfectio est in cineres redactio: unde Isidorus homines describens, sic ait: in labore vivunt, in dolore moriuntur, in cinerem revertuntur. Atque hic status est post nihilum omnium infimus: omnium substantiarum infima, est elementum; omnium elementorum postremũ est terra, totius terræ pars deterior est cinis, cinerum vilissimus est humani corporis pulvis: cùm itaque nihil sit cinere vilius, nihil inutilius; nam ut ait Augustinus libro de Spiritu & Anima: cinis nec profert germen, nec susceptũ semen germinat; non potuit homo magis deprimi, quàm si in cinerem redigeretur: Itaq; illud est quod ait Nyssenus, dum sepulchra vocavit *ta tis physeos imon mysliria*, nostræ infirmitatis arcana: nam quidquid de homine simile dixeris, nondum totum dixeris, quousque illum in cinerem redegeris. Certant inter se Authores qui magis homines deprimat, ut proximè veritatem attingat: Ille hominem bullam vocat, spumam gracilem, flatum venti, naturæ ludibrium, somnium, umbram, quod utrumque conjunxit Pindarus somni umbram: Scriptura etiam appellat humum, vaporem, fumi vaporem, & si quid est exilius, vanitatem, fugam, figuram, imaginem, hospitis noctem, navis cursum, avis volatum, nuncij memoriam, & similia, quæ in unum colligit Nazian. in oratione de Cæsario fratre. Eiusmodi est (inquit) vita nostra, in terra ludus, ut cùm non simus, nascamur: cum nati sumus, rursus dissolvamur: insomnium sumus minimè consistens, spectrum quoddam quod teneri non potest, avis prætereuntis volatus, navis in mari vestigium non habens, pulvis, vapor, ros matutinus, flos suo tempore nascens, & suo tempore marcescens: *Homo sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri sic efflorebit:* hæc omnia & plura alia brevitatem vitæ, & inconstantiã significant: sed nõ satis statum hominis post mortem exprimunt; immò nec eius vilitatem: Isaias semper, ut sermone, ita & sensu grãdis, sic cogitat omnes gentes, capite 40. *Quasi stilla situlæ omnes gentes in conspectu Dei sunt.* Quem locum ubi expendisset Chrysostomus homil. 2. de incomprehensibili natura Dei, postquam varias gentes & populos enumeravit, subdit: dic, quæso, quota sis huius guttulę particula? Rectè id dictum ad vilitatẽ nostram explicandam: sed conditio terræ

inferior eſt aquę guttula;nam non tantùm homo eſt exiguus,ſed etiam vilis.

Quid referam, quibus opprobriis paſſim Authores corpus noſtrum onerent? qui moderatiùs loquuntur, alii carcerem, alii cuſtodiam, alii ſpeluncam,alii antrum,alii vincula vocarunt. Hinc veteres corpus *demas*, quod in eo anima ſit *dedemeni* alligata: & vitam, *vion para tin vian*, propter vim & violentiam quam patitur anima, uti monet Themiſtius: alii ſervum fugitivum & malum, uti Chryſoſtomus, alii cœnum, uti Bernardus ſermone 24. in cant. Erubeſce volutari in cœno, qui de cœlo es, &c. Alii acrius appellant *ſima*,ſepulchrum, idèò enim dictum eſſe *ſoma* ſcripſit Plato:ita David, *Qui habitant in ſepulchris*,hoc eſt ,ut ait Hiliarius, intra corporum ſuorum emortua ſepulchra conſepulti :hinc Nazian. in carmine quodam animam vocat *necrophorō*,quę cadaver circumfert: itaque rectè homines appellat *diſtaphεas* bis ſepultos: ita Chryſoſtomus vocat corpus ſcribens ad Theodorum *thaphon kekonias menon*,ſepulchrum gypſo incruſtatum, ita Apoſtolus, corpus mortis, unde ut ſepulchra ſunt fœtidi odoris, ita corpora.Ita Nyſſenus carnem vocat *o smis ergaſtirion* tetri odoris officinam: & Manichæi, teſte Auguſtino,ſtercorū domum:Bernardus, ſperma fœtidum, ſaccum ſtercorum, cibum vermium;ſed ut omnes ſuperentur,hominem in pulverem ſuum deducito. Itaque David corpus ſuum appellat pavimentum,ex interpretatione Caſſiodori:*Adhæſit pavimento anima mea.* Divus Hieronymus vertit, Pulveri; unde ſtatim ſubdit:*Vivifica me.*Hinc oritur paſſim ut homines dicātur lutū. Tertulianus de reſurectione carnis cap. 16.Limus titulo hominis inciſus.Nyſſen⁹ con.1. de Beatitud. hominem vocat *guinou andrianta*, luteam ſtatuam: Jobus, luteam domum: Sanctus Paulus, vas fictile. Ita veteribus dicti ſunt homines Peluſiotæ, i. toti lutei, & ut loquitur Tertullianus, è limo figulati: ita Hieronymus ad Pammachium, Peluſiotas nos appellant,& luteos,animaleſque & carneos, quòd non recipiamus ea quæ ſunt ſpiritus:immò Peluſiota lib.2. Epiſt.5.ait corpus noſtrum eſſe *pilu pantos aſthenesteron*,omni luto imbecillius. Sed lutum duplici conſtat ſubſtantiâ, terreâ & aqueâ; homo autem in terram reducitur: itaque ſeipſum ut oportuit agnovit Ahraham, cùm dixit, loquar ad Dominum, cùm ſim terra & cinis, quod expendens Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi ſexta: Non tantùm terram dixit, ne ſeipſum magnum elementum, terram appellare videretur; ſed addidit ſe eſſe cinerem, ut abiectiſſimam humilitatem, & imbecillitatem ſuam oſtenderet: Itaque rectè Chryſoſtomus hominem vocat terræ cognatum,*ò muſſion ti tephra*, eiuſdem ſubſtantiæ cum cinere; & rectè Scriptor veteris Epitaphij hominem vocavit vas cinerum: quò pertinet illa conſuetudo Chriſtianorum Æthiopum, ut refert Sabellicus, qui maioris dignitatis Antiſtitib⁹, non crucem modò, ſed etiam vas aureum terrâ plenum præferre ſolebant, ut meminiſſent ſuæ mortilitatis ac conditionis: hæc enim in cinere ſunt abiectiſſima.

Primò,

Primò, quòd sit ignobilissimum omnium elementorum atque infimum; nã est terra: ad hæc quod sit elemẽti status infimus, nẽpe dissolutus, & pars eius.

Secundò, quòd nihil fragilius, nihil levius, nihil vanius: ludibrium venti: nam nihil facilius à vento dispergitur, quàm pulvis & cinis.

Tertiò, nihil inutilius, & infructuosius; nam nihil producit, nec prodest.

Quartò, nihil imbecillius, nihil incõstantius: nam per se stare nõ potest, nec ullam habere figuram, nec consistere, aut statum aliquem habere, nullã item statam, ac securam figuram accipere.

Quintò, est ultimus naturæ descensus; cùm enim huc natura per curruptionem venerit, ultiùs descendere non potest: unde à quibusdam creditur esse materiam primam, & quæcumque corpora per plures dissolutiones abire possunt in cinerem, huc cùm venerint, mutari amplius non possunt; itaque centrum universi vocare potes; at centrum universi pats est infima, ad quam omnia per descensum properant.

Sextò Quia est maxima corporum diminutio. Nam alia Elementa sunt diffusiora quam terra, & secundùm totum, & secundùm partes: terrena autẽ corpora summopere decrescunt in cinerem: vide quo corpora decrescãt per incendium, vide quò deveniat ingens strues lignorum: vide in quantulã rem, tu, & homines omnes, & humana omnia devenient: erit enim aliquando tempus cum hic universus orbis conflagrabit, ita ut nil magis de rebus omnibus supersit quàm de homine, sed omnia pulvis erunt ac cinis.

Hinc 1. habemus verum, facile, sed solidum humilitatis fundamentum: unde Sapiens clamat. Eccli. 10. *Quid superbit terra & cinis?* Augustinus de verbis Domini: Agnoscat se homo mortalem, & franget elationem, Psal. 81. *Dij estis, & filij excelsi omnes vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis.* In Hebræo, sicut Adam: unde S Hieronymus, sicut Adam mortuus est, ita & vos: Multi ex SS. PP. unum de Principibus exponunt diabolum: cuius superbia tolerabilior erat hominum superbiâ unde August. serm. 21. de verbis Domini, de Diabolo debent erubescere mortales superbi: ille & si superbus, tamen immortalis est: unde etiamsi superbit, non est terra & cinis, vos autem non attenditis quia mortales estis, & sicut diabolus superbi estis. Et sanè licet in spiritalibus sit injusta superbia, tamen planè intolerabilis est in homine mortali, id est in cenere, & in pulvere. In cap 3. Levit. Avium sacrificatarum pennæ, cum cineribus unum in locum abjiciebantur. Lapidem pretiosum habuit Alexander ponderosiorem, levissimus fiebat aspersus pulvere: Philippus Rex cum casu cecidisset, & in pulvere sui corporis figuram impressisset, hoc, inquit, spatio, mea omnis magnitudo includetur: idem umbram corporis suo corpore majorem cõspicatus: En vanitas, inquit, sed in pulvere viritatis: Vas aqua plenum non redundat si cinerem injeceris, ut habet Philosophus 4. Phys. Ita mortis quasi cinere injectione tumor impeditur. Quàm multorum huminum superbiam sic Deus humiliavit: Quàm multi in honorum contentione,

alij in hostium debellatione, alij in finium propagatione, populos, provincias, regna, ingentes exercitus, & acies commovebant, omnia sui nominis terrore implebant: sed dum supra homines efferrentur, dum superbiæ suæ fluctibus, quasi æstuante quodam oceano operire, ac submergere viderentur, ut ait poëta.

Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu cōpressa quiescunt.

Ac sicut iram pelagi Deus exiguâ arenâ compescit, ita ingentes illos animos exiguo pulvere, quasi arenâ moderatur, ac frangit. Tu itaque coge in unum omnem tui animi tumorem, cōsidera spes tuas, minas tuas, ambitionem tuam, ac deinde ad te reversus, specta cineres tuos tèque cum sapiente affectus alloquere, *Quid superbit terra & cinis? &c.*

Hinc Collige secundò. Quanti humāa omnia facere debeas, cùm sint omnia pulvis ac cinis: ita ne vero propter exigium pulverē amittenda erunt æterna, Deus offendendus, omnia parvipendenda? Hîc est terminus ambitionis? Hîc rerum omnium finis? Huc tandem omnia recidunt?


Conclusio. Quid itaque cogitamus, Auditores, si omnia nihil sunt nisi pulvis ac cinis? Itane propter exiguum pulverem omnia permiscenda? Tu quid quid vides, quidquid cernis, dicito id pulvis est exiguus, non homines solum, sed quid, quid vides, Astra, Sol, Cœlum, Elementa, aurum, vrbes, oppida, ædificia; domum tuam adito, ac dicito. Hæc omnia quæ mea sunt, non erunt aliquado, non liberi, nō uxor, non famuli; Hæc quam cernis supellex tabulæ, picturæ, tapetes, gemmæ, aurum, argentum, reducentur aliquando in pulverem, in cinerem: Vide num homines sapiant, qui ista tantopere amant ac concupiscunt: *utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent:* Aquila vertit *in eschatin* ultimum vitæ diem: certè nos sufficienter docere vita potuerat, atque instruere: vide enim quàm multa sunt vana: quàm vana hæc mulier cuius pulchritudinem morbus aut tempus auferet: hic homo cui tam cito principum favor periit & amor: sed quoniam viventes ad doctrinam non sufficiunt, te saltem doceant mortui: Illi enim tot sunt, qui te doceant, quot jacent in monumentis: accede ad sepulchra, ad magnam morum academiam: ibi plurimi sunt doctores qui te non verbis sed factis doceant, & exemplo: non ore, sed reipsâ, suique exhibitione: habent enim illa ossa exanguia, & ora muta vocem suam, & contuentes quodammodo tacitè affantur: Hinc Antiplus in Anthologiâ Græcâ lib. 1. cap. 37. Venustè calumniam vocat *aglossu armonihin stomatos.* muti oris harmoniam: *utinam saperent:* certè tot doctòribus turpe est non sapere. *Ac intelligerent:* Magnum est ab omnibus sapientiam exigere: Quia igitur non omnes possunt, saltem intelligant, ac ratione utantur: ac quidem *novissima providerēt;* sciant disponere ultima ac mortem cogitent 1. Corinth. 7. *Hoc itaque dico, fratres, tempus breve est, reliquum est ut & quæ habent vxores tanquam non habentes sint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt*

emunt tanquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura huius mundi: pauci dies nobis supersunt, nobis itaque provideamus, saltem hoc tempore: nam si isto non sis temperans, quando eris? Si non castus, si non abstinens, si non misericors, quando futurus es? Itaque abstinete viri à coniugio, uti Nicolaus Papa Bulgaris præcepit, non ex consilio ille, sed ex præcepto, ego, ex partis tuę consensu, *ad tempus, ut vacetis orationi:* Itē abjicite ornatum, quomodo enim ornatus cum sacco, pigmenta cum cinere, delitiæ cū ieiunio, risus cum fletu, ludus & oblectationes cum pœnitentiâ? *Iam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi.* Exod. 33. Denique hoc tempore nobis pœnitentiæ tempus indicitur, dum in caput cineres jaciuntur: ut nos per eam venturo Domino præparemus.

Interim tu, quos tibi cineres dedit, illi conserva: Esto similis illis montibus qui cacumine superantes mediam aëris regionem, uti de olympo authores scripserunt; sacros cineres è sacrificio relictos conservant: si spargis, sparge per omnes corporis partes, per oculos, aures, brachia, manus, linguam, os, cor, pectus, ut quemadmodum nulla pars est corporis, quâ mori non possis, nulla etiam sit quæ memoriam mortis non gerat: veniet illud tempus cum omnes tui corporis partes in cinerem redigentur: Tu illud tempus præveni, ac semper cineres tuos & mortē gere in capite, hoc est in memoriâ, secundū illud Iob. 13. *Memoria vestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum cervices vestræ:* Tigurina versio sic habet. *Memoria vestra, sermones cineris.* En quod hinc omnes auferetis ex hoc discursu: *Memoria vestra, sermones cineris.* Non dubito quin oriatur quod sequitur: *& redigentur in lutum cervices vestrę*, id est, & fastus vester deprimetur in terram: Quia vt ait S. Gregorius Magnus sicut per oculum visus, sic per cervicem superbia designatur; cervix itaque in lutum redigitur, cum superbis quisque humiliabitur in mortę, & elata caro tabescet in putredine. Item cervix redigetur in pulverem: quia durities illa quæ Deo repugnat, mollescet, ac quicquid Deus voluerit in animâ imprimet, eaque subdita fiet Deo: quod præstare nobis dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre & Spiritu Sancto regnat in omnia sæcula. Amen.

***

FERIA



FERIA QUARTA CINERUM,

CONCIO SECUNDA

DE CEREMONIA CINERUM.

Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris.

ITERUM nobis de morte mentio, quia nunquam debet esse oblivio: Jam hesterni cineres è frontibus,&capitibus nostris sunt discussi, insigni exemplo vanitatis nostræ, quia nihil faciliùs difflatur cineribus nostris;sed si excussi sunt cineres à fronte, non debent ab intellectu, & memoria:sicut enim singulis diebus morimur (nam licet uno die perveniamus,multis tamen venimus) Ita singulis diebus mortis meminisse debemus: Homines appellavit Nazianz. *dysthaphe-as* bis sepultos : Ita tu non semel tantùm, nec bis morere, sed sæpius, secundùm illud Apostoli, *Quotidie morior propter vestram gloriam:* præsertim cum sapienti cavendum sit,quemadmodum ait S. Leo Serm. 5. de Jejunio septimi mensis ut quoniam breves dies istius vitæ, & incerta sunt spatia,nunquam sit mors morituro improvisa, nec in inordinatum incidat finem, qui se novit esse mortalem : Certè si diem mortis certum haberemus, semper de illo cogitaremus,& quidem deberemus; ut quod semel tantum fit, rectè fieret: quantò magis cum sit incertum, cogitare quotidie oportet:nam ut aitS. Augustinus homil. 13. & 50.latet ultimus dies ut observentur omnes dies : Et quidem licet cineres facilè dispergi possint,eorum tamen natura fert ut in aliud mutari non possint, unde non pauci materiam primam dixerunt : ideòque tibi significant æternam cuivis habendam esse atque immutabilem mortis memoriam. Sedquia nullum bonum nisi à cœlo, atque per Virginem obtinetur, ad Mariam recurramus.*Ave Maria.*

CUM sacrum Quadragesimale Jejunium mensas proximas, & convivia excluserit, placet loco conviviorum è quibus non nisi luxus & intemperantia referuntur,aliam vobis mensam modestiæ plenam extruere, & in eâ vobis cœnam funebrem apponere, & imitatione Davidis, cinerem vobis in mensâ adhibere:sic enim ait Ps.101.

Quia

Quia cinerem tanquam panem manducanam: & potum meum cum fletu miscebam. Venit in memoriam cœne cujusdam funebris de qua Xiphilinus in Domitiano:Invitarat is Imperator plurimos Senatores ad cœnam : Curarat ut ædes nigris tapetibus sternerentur , ac operirentur , omni ex parte:erant enim atri parietis, nigra laquearia, nigrum pavimentum: in eo nudæ sedes ac furvæ ordine collocatæ : Quibus peractis eos de noctu introduci iubet absquue comitibus , magno silentio:ac primùm omnium juxta unumquemque , columnam collocat factam instar sepulchri, & cujusque nomen ei inscriptum : pendebat ex eâ exigua lampas ,ut assolet in monumẽtis:Tùm nudi pueri,atramentoque obliti tanquam spectra quædam ingrediuntur , ipsosque horribili saltatione circumeunt, eoque facto ante singulorum pedes consistunt:Tum omnia quæ in exequijs mortuorum adhiberi solita , in vasis eodem modo comparatis apposita sunt; Mirum omnium silentium quasi inter mortuos degerent , nisi quod de repente Domitianus sermonẽ habuitde rebus quæ ad mortes , & cædes pertinebant :Tùm omnes ab incognitis comitibus deducti : nullus fuit eorum qui sibi mortem imminere non crederet:hoc Domitiani crudelitas , & ille apparatus facilè persuadebant.certè solo timore multi in morbum lapsi sunt , nonnulli etiam interierunt.Illud quidem ridiculum,atque inutile,ac dignum Domitiani ingenio:sed cum fructu vos ad cœnam funebrem invito , quam Ecclesia solis cineribus instruxit, ac pergo in eâ ceremoniâ explicanda , de qnâ heri dicere cœperam.Eam porrò diximus speciem habere Sacramenti ,itaq; constare duplici parte , Cinere quasi elemento , quibusdam verbis , quasi formâ:Nec suus etiam deest ritus, quia in caput consecrati prius cineres jaciuntur :adhibitisque verbis ceremonia completur:de cineribus jam diximus: superest ut de verbis aliquid priùs dicamus,deinde de ritu , cur scilicet capite cineres adhibentur. Incipiamus à verbis quæ ejusmodi sunt , *Memento homo quia cinis es & in cinerem reverteris:* In quibus:

Adverto 1.Imperium Dei atque sententiam quæ instar fulminis unumquẽque percellit, unde non mirum si in cinerem reducamur :nam si ut ait David, *montes sicut cera fluxerunt à facie Domini,* quis Dei vocem , & hanc vocem ferre potest ?locutus est Elias super tribunos,& milites,& igni devorati sunt ac redacti in cinerem ; quantò magis cum Deus loquitur,& sic loquitur?Cum itaque dicitur homini ut meminerit, sanè mens eius ad priora reducitur , neque enim meminimus propriè aut præsentium ,aut futurorum ; Et tamen præsẽtia dicuntur, *Quia pulvis es* & futura , *& in pulverem reverteris :* Revocatur itaque ad prĕterita,nempe ad illam sentẽtiam á Deo prolatam , *Quia terra es,& in terram ibis ;* Quod quia uni tantum homini dictum esse videtur , nunc singulis hominibus magnâ authoritate pronuntiatur ,quasi edicto divino , *Memento homo quia cinis es , & in cinerem revertêris* : Hoc significavit David cùm dixit , *Quia defecimus in irâ tuâ , & in furore tuo turbati sumus* : Symmachus & aquilla vertunt , ut adventit S. Hieronymus in Epistola ad Cyprianum: *In furore tuo acceleravimus :* Brevitatem

 signi-

significat humanæ vitæ, ait S. Hieronymus: Quod autem intulit: *In irâ tuâ, & in furore tuo*, sententiæ Dei ostendit perseverantiam, cui omnes subjacemus: *Terra es, & in terram ibis*: Quod dixit Hieronymus perseverantiam iræ Dei, eò pertinet, quod cinis relictus sit iræ divinæ atque vindictæ monumentum permanens: uti de Sodomâ dixit S. Petrus, *Civitates Sodamorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, & exemplum eorum qui impiè acturi sunt, ponens*: Nimirum Regio illa quondam amœnissima facta est ut loquitur Oriosius, Regio cineris: Quare omnia quæ ibi reperiuntur fœda sunt, ac plena cineribus: Quare Sapient. 10. dicitur, *Insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, Cinerem*: Et sanè nulla re aliâ se magis formidabilem Deus ostendit quàm morte, & terrore mortis. Quantùm primum hominem evexerat? nempe rerum omnium dominum effecerat, terræ, maris, plantarum, animalium: Omnia ei permiserat, & in res omnes jus summum dederat: *de omni ligno Paradisi comede*: sed omnem licentiam unâ lege coërcuit, ac nisi obediret, hoc potissimùm est minatus, mortem: nam quid peius immortali? Quid deinceps cùm universum hominum genus deliquit? *Finis*, ait, *universæ carnis venit coram me: delebo*, inquit, *hominem quem creavi, à facie terræ*: Quid non conatus ut ut timeretur à Pharaone? verum eius duritiam vincere non potuit, nisi morte primogenitorum. Nam postquam in singulis domibus Angelus aliquem in tota Ægypto interfecit Exod. 12. *Surrexit Pharao nocte, & omnes servi eius, cunctaque Ægyptus: & ortus est clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus: vocatisque Pharao, Moyse, & Aaron nocte, ait: surgite & egredimini à populo meo, vos & filij Israël: Ite, immolate Domino, sicut dicitis, Oves vestras, & armenta assumite, ut petieratis, & abeuntes benedicite mihi. Urgebantque Ægyptij populum de terrâ exire velociter, dicẽtes. Omnes moriemur.* Quid non effecit Dominus ut timeretur ab Israëlitis? nunquam tamen satis potuit timorem incutere, nisi morte propositâ: leges ita sancivit, ut, ferè semper non observantibꝰ mortem minaretur: *Qui hoc fecerit, morte moriatur: interficiatur: Et lapidabit eum omnis multitudo filiorum Israël: delebitur de populo suo*: Unde de illis legibꝰ dici posse videtur, quod de Draconis legibus olim dictum est, scriptas illas sanguine fuisse. Vide quomodo superborum arrogantiam compescuit. Infœlix Saül cũ arte dæmonũ Samuëlis umbram elicuisset 1. Reg. 28. atque audisset ex eo: *Cras autm tu & filij tui mecum eritis*: ita conterritus est, ut ceciderit, sicut ait textus: *Statimque Saül cecidit exporrectus in terram: extimuerat enim verba Samuëlis*: Ita Davidis superbiam cùm populum numerasset, ingenti strage, ac morte multorum depressit: Quomodo Sobnam præpositum Regium Templi exagitat Isa. 22. *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum, sic sublevabit te: Coronãs coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam, & spatiosam: ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ*: In Holophernis exercitu quantam commotionem attulit unius cadaveris aspectus? In exercitu Sennacherib quantum

tum timorem tãta strages unius noctis? Quid passim Deus impiis & improbis intentat? Juxtà illud Davīdis, *Terribili, & ei qui aufert spiritum Principum, terribili apud Reges terræ :* Certè si nihil aliud in homines posset Deus, si nullum aliud haberet dominium quàm mortis, hâc solùm parte quantùm hominibus formitandus foret. Nam ut ait Seneca in Excerptis : ad hoc præcipuè gens humana contremit, nec immeritò: Cæteri timores habent aliquem post se locum, mors omnia abscindit : alia nos torquent, mors omnia abscindit : alia nos torquent, mors omnia devorat, etiam qui alioqui se nihil timere indicant, hoc timent : Quidquid aliud extimescimus, homini aut remediũ, aut solatium. Ecce Regem opulentum, potentẽ, dilectum à suis, & quod omnia superat, pium, virtutibus omnibus præditum: ad eum Isaias mittitur, cum hoc nuncio: cap. 39. *Hæc dicit Dominus, dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives:* Quas tunc conversus ad parietem non fudit lachrymas, quos gemitus, quos singultus? ait Textus. *Et flevit Ezechias fletu magno :* Nonne achab 3. Reg. cap. 21. licet sceleratus, impius, atque idololatra, morte sibi ab Elia intentatâ, vestem scidit, ambulavit demisso capite, ad sacrum, & ad jeiunium confugit. Omnium mortalium perdidissimus & delitiosissimus, Sardana palus in regno amplissimo & in summo ocio vivebat securus : Ecce tibi homo incognitus barbaræ vocis, & ignotę linguæ, egens rerum omnium, magnâ voce inclamat secundùm Versionem LXX. Interpr. *Adhuc tres dies, & Ninive subvertetur:* Quantam morum mutationem effecit? Sardanapalus in cilitio, in cinere, in jejunio! Ninive in Pœnitentia! Chilpericus Rex Francorum jam jam moriturus, cum se Regem cerneret, nec tamen sibi Diadema, nec Sceptrum securitatem attulisse, neque à morte potuisse eximere, in eum qui non moritur, & solus habet immortalitatem intuens, exclamavit! Quam magnus est Rex ille cœlestis, qui sic humiliat sublimes Reges terræ! Idem quotidianâ patet experientiâ: Nam videmus passim homines nullâ re commoveri, non minis judicij, non inferorum pœnis, non virtutis honestate, non Dei beneficiis, non propositâ ipsius, vel majestate, vel bonitate, vel justitiâ : blandiaris? rident, miniteris? obstinantur : Quod remedium? Incidant iidem in infirmitatem, periclitentur de vitâ: videas instar cerę mollescere. Idem vide in capite damnatis: Nam initio feroces, impij, intractabiles : Dictâ sententiâ ubi intelligũt sibi esse moriendum, ad mentem redeunt, ad timorem, ad lachrymas, ad confessionem. Nimirum ut ait David Psal. 77. *Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum:* Quàm multi initio morbi sana omnia consilia reiiciunt, sed ubi de se actum intelligunt, protinùs ad Deum omni affectu revertuntur, tãtùm potest mortis præsentia : Quid dicam de Nautis? quod hominum genus præditissimum est, atque ut ajebat Anacharsis Scytha, ut vitâ, ita moribus desperatis, quos Bias teste Platone, neque inter vivos neque inter mortuos numerabat : ij dum âdest mortis periculum, quas non fun-

fundunt præces, quæ vota non concipiunt, audias publicè confitentes, ita mortis memoria ferrea pectora emollit. Joannis Baptistæ Concio mortem & securim intentantis; *jam securis ad radicem posita est;* quàm multos emollivit? adeò ut Lucæ 3. *multi venirent confitentes actus suos.* Idem videmus peste grassante, aut cum miles ad irruptionem, & conflictum mittitur, cùm urbs quatienda tormento, & irruptio ab hoste expectatur, scilicet Passim omnes ad pœnitentiam accurrere. Denique in omni mortis periculo illud Job. impletur cap. 42. *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in cilicio & cinere:* dolorem & humiliationem significat. Hic te quisquis es interrogo, si non fuisset animus hebes, & rerum mundanarum strepitu obsurdescens, quis tibi animi sensus fuisset, cum hoc tibi à Sacerdote pronuntiatum est, *Pulvis es, & in pulverem reverteris?* Certè legimus in historiis fuisse aliquos homines, quib⁹ cum capitis sententia legeretur, alii timore mortem prævenerint, alii sanguinem sudarint, alij capillorum, & barbæ colorem mutarint; Quid hic deest nisi justa hominis apprehensio? utrobique enim mors, utrobique judicis sententia, utrobique eius intimatio: hoc unũ est discrimen, quod hominum sententia variis modis impediri possit, Dei non possit.

Adverto 2. in illis verbis mortis originem nempe peccatum & inobedientiam, secundùm illud Apostoli, *Per peccatum mors:* Item *per unum hominem in omnes homines mors pertransiit:* ut nemo vel naturæ, vel conditioni humanæ, vel fortunæ, vel injuriæ, sed divinæ vindictæ id tribuat: Itaque revocamur in memoriam illius sententiæ, ut discamus unde mors orta sit: Atque hinc 1. graviorem mortem habeamus, sicut qui ob crimina damnantur: mors enim illis longè est acerbior, quam illis qui communi necessitate moriuntur, quoniam rationem pœnæ habet. 2. ut hinc oderimus peccatum, à quo fit ortus mortis, atque occasio, quapropter ferè semper in scripturis peccatum & mors conjunguntur; unde qui peccatum destruxit: idem etiam mortem abolevit, nec mirum quoniam ex Apostolo, *Stimulus mortis peccatum:* Hoc est ex Augustino: ex peccati punctu homines interempti sunt: itaque quia Christus stimulum illum retudit, hinc fit ut jam mors nocere non possit. Atque hinc intellige, quàm verè dictum sit à Prophetis, *anima quæ peccaverit ipsa morietur*, ut si peccatum per se blandiatur, scias quid inferat, nempe mortem, ut non tam facilè pecces, & intelligas tot sententiis te ad mortem esse damnatum, quot peccata admisisti, nec aliter fieri posse.

Adverto 3. significari necessitatem moriendi inevitabilem, quàm Ezechiel appellat, cap. 21. *Gladium Domini irrevocabilem:* scio varios ex variis capitibus mortis necessitatem accersere; sed mihi inde petitur, quia judicis sententiâ, omnes ad mortem damnati: undè quia nullus summi judicis sententiam potest refigere, ideò nullus mortem potest evadere, itaque Apostolus rectè dixit: *Statutum est hominibus semel mori post hoc autem judicium.* Hebr. 9.

Adver-

Adverto 4. Triplicem hominis statum designari, parùm à se dissimilem: primò designatur status præteritus; Quia cùm per mortem eodem redeât, unde per nativitatem discesserat, necesse est ut ante fueris cinis & pulvis, hoc enim significat *In cinerem reverteris:* ita Deus ad Adamum, *de terrâ es, & in terram ibis de qua sumptus es*; ita Agapetus Diaconus Imperatores alloquens ait, quod homines omnes *pilon echusi tu genus propatora.* limum habent generis sui authorem & progenitorem: Secundò designatur etiam status præsens, *Memento quia pulvis es*, ut quisq; intelligat, se etiã nũc esse pulverẽ ac cinerem ex vetere Epitaphio. Vas cinerũ: Quâ de re præclarè S. Chrysost. hom. 2. de incomprehens. natura Dei. Si homo formosior, & luto nobilior apparet, hoc non ex diversitate naturę, sed ex ingenio artificis provenit, nam materiæ quidem ratione, nihil inter lutum, & illum interest: Quod si non credis, sepulchra, & monumenta inspice majorũ, illa enim facilè suo exemplo possunt tibi persuadere pulverem, & lutum te esse. Sed ais, inter homines vivos, & mortuos aliquid interest: dixit Chrysostomus, non materiâ sed formâ: itaque apud Hebræos eadem vox Methin. & vivos & mortuos significat, sola differentia in diverso unius puncti situ: quod nos decipit est color pelliculæ, & quasi vasculum: itaque rectè Propheta. Homines terram appellat dum ait. *Terra, Terra, Terra audi Verbum Domini*: sed quemadmodum non horremus sepulchra, quia exteriùs dealbata sũt, & cretata: sed ut ait Christus Domins, *Intus plena sunt ossibus mortuorum:* Ita corpora etiam quæ apparent, formosissima, plena sunt spurcitiis & cinere. Itaque carnem appellat Nyssenus *osmis ergastirion.* Tetri odoris officinam: Memento Gomorrhæi pomi speciem, formosa illà est, ait Strabo, Plinius, & Solinus: sed solo tactu vagum fatiscit in pulverem. Tertiò designatur status futurus: unde dicitur, *& in pulverem reverteris*, hic enim est rerum omnium, atque hominis exitus: Notat Eusebius Cæsar. lib. 11. de præpar. Evang. cap. 4 disputans de arcana nominum Hebræorum impositione, duplex hominum nomen ab Hebræis usurpari. Adam & Isch. primum commune, ac significat terrenum, à pulvere: Alterum particulare, & virum significat, & oritur à radice Esch. 1. ignis aut flamma. Eusebius primam vocem refert ad corpus, alteram ad animam quæ est virilis, ignea, & calida: fuit etiam Stoïcorum opinio Animam ignem esse: Zenoni Stoïco animus ignis videtur: & Varro, Animalium semen, ignis: uti igitur extincto igne, materia inflammata in cinerem redigitur: ita per mortem subducto igne, corpus abit in cinerem: Audi impios Sap. 2. *Fumus flatus est in naribus nostris: & sermo, scintilla ad commovendum cor nostrum: quâ extinctâ, cinis erit corpus nostrum:* nota fumum, scintillam, extinctionem; in quibus verbis, homo exprimitur quasi domus inflammata: ita ut ex ore quasi ex portâ, ex naribus ut è fenestris, halitus, quasi fumus egrediatur: Eodem spectant verba Job. cap. 34. *Si direxerit ad eum cor*

suum. spiritum illius & flatum ad se trahet, &c. & homo in cinerem revertetur: Ex quâ similitudine Cantacuzenus sapientissimè colligit hominem mortuum naturaliter in vitam redire non posse, non magis quam fieri non potest, ut ex cinere ignis iterum accendatur.

Adverto 5. Nomine hominis non virũ solum, sed etiam mulierem intelligi. S. Cyprianus lib. de Disciplina, & habitu Virginum: Quoniam fœmina viri portio est, & ex eo sumpta, atque formata est, in scripturis ferè omnib⁹ ad protoplastum Deus loqitur: Quia sunt duo in carne vnâ, & in masculo simul significatúr & fœmina: ut etiam intelligas eundem esse pulverem utriusque secundùm illud Nazian. orat. 31. *bis portis andios keginaicos: eis chis ampphoteri reicon mia: n mos eis thanatos eis anastasis mia.* unus viri & mulieris creator: pulvis unus uterque, imago una, lex una, mors una, resurrectio una: unde etiam eodem modo pulvere aspergitur uterque, & iisdem vocibus compellatur, ut unus ex altero humilitatem discat, nec unus alterum tanti faciat, & alterius gratiâ, Deum amittat: Quid enim tantopere suspicis, in muliere, formam & pulchritudinem, cum sit vas fictile & opus figuli? Tu verò quid in homine suspicis, authoritatem, robur, dignitatem, potentiam, & adjuvamen? cùm ea omnis potestas, & authoritas, uti in statua Nabuchodonosoris aurum, argentum, & metalla nitantur pedibus luteis, quibus fractis omnia redacta sunt in favillam & pulverem *pariter aurum, argentum, æs & ferrum redacta in favillam æstivæ areæ:* ut nihili mortale magni facias, nihil suspicias, quia *ut lutũ platearũ delebis eos.*

Adverto 6. Ecclesiam hæc omnia in memoriam revocare hâc ceremoniâ: vnde cineres super caput jaciuntur, 1. ut memoriam mortis habeamus præsentem: Memento statuæ illius Nabuchodonosoris; cuius caput aureum, pedes lutei, quoniam ferè homines alta sapiunt, ac de magnis cogitant, mortis autem memoriam procul habẽt in pedibus: itaque ut proximè memineris, ac scias non tam remotam esse mortẽ, sed tibi, tuòque capiti, instar gladij Damoclis imminere, in caput tibi cineres jaciuntur: Alioqui enim vide quid illi statuæ acciderit; nam sine manibus avulsus lapis de montes, statuæ luteos pedes percussit, & tunc omnia pariter metalla contrita sunt: avulsus lapis sine manibus, repentinam mortẽ siginificat, quæ omnia in pulverem reducit: Eodem pertinet quod dicitur Threnorum 1. *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui*, LXX. Interpretes hic vertunt, *Novissimorum suorum.*

2 In caput cineres jaiuntur ut scias, eam curam tibi debere esse primam & præcipuam, uti caput in reliquis membris principatum obtinet: Procopius Exod. 3. advertit Hebræos in exitu ab Æpipto magnâ curâ sumpsisse vasa argente & aurea, & omnem supellectilem: vide interim, quid de Moyse hominum sapentissimo dicat Spripura, *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph*, ille princeps & caput populi ad sepulchra confugit, & quid te facere oporteat docet: Hoc fortasse didicerat à Noë Patriarchâ qui cùm à Deo didicisset omnia diluvio peritura, nihil in arcam ex omnibus intulit, non argentum, non aurũ, non

non gemas, non vestem pretiosam, sed Adami ossa: itaque filiis, cum à se discederent hanc unam hæreditatem, has solas divitias partitus est, ossa adami, ut quocumque perrexissent, nunquam mortis obliviscerentur: ac ne putes me impropirè ossa mortuorum appellasse divitas, narrat Orthelius in fine Theatri fuisse aliquas nationes, quæ non aliis nummis quam ossibus defunctorũ uterentur in emptionibus & venditionibus: auro carebant & argento, ossiculis mortuorum utebantur: scio monetam illam nunc non esse in usu, sed in moralibus esse potest, secundùm illud Iob. 5. *Ingredieris in abundantiâ sepulchrum*: illud Salomon appellat domum æternitatis, ut scias tibi ab eâ domo non esse exeundum: vide quantus sit ille Ecclesiæ thesaurus: Certè quidquid fingamus, nulla communiter cogitatio sic homines percellit ut cogitatio mortis, ac ferè solet esse mortalibus initium salutis: hîc rerum despicientiam, discimus: hîc vitæ vanitatem, & in constantiam, hîc errores & fucum deponimus, & fastum, hîc veram nostri cognitionem comparamus: quam in vitâ ferè nusque habemus.

3. Vt magnifacias illam cogitationem: hæc enim fuit Orientalium consuetudo & adhuc apud Iaponios & Sinas viget, ut quæ honorent maximè ea capitibus suis imponant: itaque ut discas eam cogitationem magni facere, tuo capiti cineres imponuntur: Regibus Orientis in pompâ codex aureus pulvere plenus deferebatur: vide num ille sit de quo Iob. Loquitur cap. 31. quem optat ut scribat, qui ipsum judicat: vide quanti faciat, *Vt in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi: Per singulos gradus meos pronunciabo illum, & quasi principi offeram eum*: Gradus suos vocat singulas vitæ actiones quas nihil melius, nil sanctius dispensat ac disponit quàm mortis memoria, quæ homines à vitijs revocat, & innocentiam largitur, secundùm illud, *Memorare novissima tua tua, & in æternum non peccabis*: unde Augustinus lib. 1. contrà Manichæos: Nihil sic revocat hominem à pecato quã frequens mortis meditatio: Refert Climacus in Scalâ Parad. gradu 6. Monachum montis Oreb vitæ solutioris cum gravissimè ægrotasset ad horam interiisse, post duodecim annos à raptu suo, rogatum ut aliquid diceret, ingemuisse ac dixisse Indulgete mihi: Nemo memoriam mortis habens poterit peccare: Et in particulari ut aliquid dicamus: Tres præcipui sunt vitiorum gradus, superbiæ, libidinis, avaritiæ.

Ac 1. quoad superbiam attinet: Rectè dixit Psalmista Regius Psalm. 72. *Quia non est respectus morti eorum, ideò tenuit eos superbia*. S. Hieronymus sic vertit ex Hebræo. Non cogitant de morte suà, ideò tenuit eos superbia.

Isaïas cap. 44. confutans Idolorũ cultum, sic ait: *Artifex lignarius* sumpsit lignum, *medium eius combussit igni, &c. coxit pulmentum, &c. & calefactus est, &c. reliquum autem eius deum fecit, & sculptile sibi: curvatur ante illud, & adorat illud*: Tũ sic exprobrat; *Nescierũt neque intellexerunt, obliti enĩ sũt ne videãt oculi eorũ, & ne intelligãt corde suo: Nõ recogitãt in mẽte sua, neq; cognoscunt neq; sentiũt, ut dicant: Medietatẽ eius combussi igni*

igni, & coxi super carbones eius panes: coxi carnes & comedi, & de reliquo eius Idolum faciam? ante truncum ligni procidam? pars eius cinis est cor insipiēs adoravit illud: Quasi dicat, quæ maior stultitia, quam id adorare cuius pars in cinerem conversa est: lignum generis humani nos sumus, radix fuit Adam, & Eva; Pars magna huius arboris in cinerem redacta est: ingredere mortuorum sepulchra, quid Præter cineres & ossa reperies? Nonne ergo delirat qui reliquam partem adoratione dignatur superbus seipsum adorat, & manum osculatur suam, se sui facit Idolū? vnde insania tanta? Quia nō attēdit, oblitus ne videat oculis & suis, & ne colligat in corde suo, ut, dicat, medietatem generis mei combussit mors, & in cinerem redegit, & de reliquâ parte Idolum faciam? *Pars eius cinis est, cor insipiens adoravit illud.* Veniat in mentem memoria eius rei quam Moses Exod. 32. præstitit, cum iratus adversus populum propter vituli adorationem; *accipiens vitulum quē fecerant cōbussit, & contrivit usque ad pulverem, & dedit ex eo potum filiis Israël:* quod factum S. Hieronymus interpertatur ad Idoli contemptum, nam iussit redactum ad pulverem ebibere, ut deinde in secessū mittererur: Ita Deus apud Daniel. 1. ut ad contemptum adduceret omnia regna mundi, expressa in ingēti statuâ, sic illam exiguo lapide percussit, ut omnia metalla redegerit in pulverem: *Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstive areæ, quæ rapta sunt vēto, nullusq; locus inventus est eis*: ut enim rerum omnium status infimus sunt cineres, ita nihil magis fastum deprimit, quam si res in cinerem reducantur. *Quid superbit terra & cinis?*

Hinc fit ut cineres capiti imponantur, uti enim nihil altius est capite, quod Plato arcem vocavit, cùm videas capiti cinerem imponi, intellige, quidquid homo sit, quidquid sibi tribuat, in summâ pulvere messe, iuxta illud Iob. *Et in fine hominis, denuptatio operū illius:* Quare licet multi sublimes atque excellas habere videantur cogitationes, ac supra humanam conditionem: nihilominus tamen, *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum: vidi impium superexaltatum sicut Cedros Libani, &c. transivi, & ecce non erat, & non est inventus locus eius:* Item, *post hæc erunt decidentes sine honore, & disrumpet eos sine voce, & inter mortuos computabuntur:* Et Ecclesiastes cap. 8: id expressit. *Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis.* LXX. Interpretes, *Non est potestas in die mortis.* Hieronymus. Non est potens, nam æquâ conditione tunc sunt, Reges & subditi. Observat Rabbi Salomon cum sæpe in scripturis David vocetur Rex, quando de morte eius agitur 3. Reg. cap. 2. prætermissâ dignitate, solius nominis fieri mentionem: *Appropinquaverūt dies David ut moreretur*; Et infrà. *Dormivit David cum Patribus suis:* Maximilianus Imperator multis diebus ante mortem, nihil nisi Maximilianus appellari voluit, Imperatoris & Majestatis titulis repudiatis: Atq; ea cogitatio humiles consolatur, ne rerum illecebrâ capiantur: Cùm Imperator Cōstantius Romam venisset, & urbis majestatem atq; ædificia miraretur, tantæ gloriæ

gloriæ magnitudine obstupefactus Hormisdam nobilem Persam interrogavit, Quid ipse de Roma sentiret? sapiëtissimè respondit, Id tantum sibi placuisse, quòd didicisset ibi quoque homines mori.

2. Quod de supurbiâ dixi, eâdem ratione de libidine dico, & amore carnis: Nam teste Gregorio. Mortis memoriâ caro refrænatur ne calcitret: Rectè Bernardus in quadam prosâ: Cũ recordor quod sum cinis, & quàm citò venit finis, sine fine pertimesco, & ut cinis refrigesco: Anteros est, tela cupidinis redigit in cinerem: olim cineres jussu Dei loco mundo reponebantur, ita mortis memoria inducit puritatem: jubet Isaïas filias Sion sedere in pulvere, ut lasciviam carnis compescant; Post adulterium, Davit sedit in cinere, ita & *solitarius*, ait Ieremias, *ponet in pulvere os suum*: S. Hieronymus abducens viduam à secundis nuptiis, sic claudit epistolam: Cogita quotidie te morituram, & nunquam de secundis nuptiis cogitabis: Fuit mulier impudica omnis pœnitentiæ impatiens, quæ tamen hanc non recusavit, ut quoties manus lavaret, tacita secum diceret, hæc caro à vermibus comedetur, sed cùm id per aliquod tempus fecisset, in aliam tota mutata est, & ex impudicâ facta est pudoris amantissima. Certè sicut oculi in amore sunt duces, quoniam ad pulchritudinis aspectum toti ardent, ita si mortis spectaculum sæpè haurirent, nunquam arderent amore: unde Gregor. Nihil sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale sit mortuum penset: Quàm multi ex hoc visu amorem deposuere: Exemplum B. Borgiæ cum Imperatricis cadaver vidisset. Itaque sepulchrum locus est opportunus ad concionem, quò etiam vocatus Jeremias ad vallem filij Ennom juxta portam fictilem, seu sterquilinij: Tu itaque quoties in eo gradu vitæ steteris, librũ mortis accipe, & in illo gradu pronũtia.

3. Quod pertinet ad avaritiam, non sine causâ dictum Senecæ laudavit S. Hieronymus: facilè contemnit omnia, qui semper cogitat se moriturum: Nam uti dicitur, Job. 27. *Dives cum dormierit, nihil secum auferet*: Ita Lucæ 12. dicitur homini diviti. *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Et 1. ad Timoth. 6. *Nihil intulisti in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid potestis*. Psal. 48. *Relinquent alienis divitias suas*. Psal. 38. *Thesaurisat & ignorat cui congregabit ea*: Hieronymus epistolâ ad Cyprianum. Qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat. profectò mors ostendit totam hanc vitam merè ludum esse ac scenam: id Augustus significavit ex Sueton. cap. 19. Qui moriturus admissos amicos percunctatus est, an non his videretur mimum vitæ commodè transegisse: adjecit etiam clausulam Græcè, quam omnium optimè reddidit Cedrenus in suo Historiarum compendio: Romæ proceribus omnibus mandavit, ut se defuncto plauderent, ac risum tollerent qui in mimorum fine fieri assolebat, eo mandato vitam humanam, utpotè ridiculam rem subsanavit. Et certè si propriâ

M uta-

utamur experientiâ, nihil magis nobis rerum omnium contemptum ingenerat, quam mortis cogitatio: quis enim moriturus ædificet? quis moriturus ambiat? quis congreget? quis reliqua vitæ muniaobeat?


Ex his omnibus colligimus nihil esse utilius mortis cogitatione, & verè *akakian* esse, atque innocentiam, ac meritò Ecclesiam nobis illam tam significãter proponere ut ferè in oculos pulverem injiciat. *Utinam saperent & intelligerent, ac novissima providerent.* Et quidem Theophilus Patriarcha Alexandrinus, cuius magna fuit in Ægypto, & vicinis Provinciis authoritas, brevi moriturus erupit in hæc verba. Beatus es Abba Arseni, qui semper hanc horã ante oculos habuisti. Si semper non potes saltem aliquando, saltem lectum petiturus, ac te daturus somno, secundùm illud Davidis Psalm. 4. *In cubilibus vestris compungimini*, quod sic illustrat Chaldæus Paraphrastes. *Orate super cubile vestrum, & mementote diei mortis semper.* Vide quod suprà diximus de Pacavio apud Senecam Epist. 12. Hoc proderit ad Contritionem: unde Urbanus 4. ex Sadoleto in symbolis, in symbolum accepit cor palpitans in spineto, cum hâc Epigraphe. Memorare novissimorum. Dictum fuit Climaci, sicut cibis omnibus panis utilior est, & magis necessarius, ita præstat omnibus operibus mortis cogitatio.

Collige 2. Quid judicare debeat de iis hominibus, qui mortis memoriam à se depellunt, quam Basilius appellat *phylaktirion*, Amuletum vitiorum: vel qui tanto sunt mentis stupore, atque hebetudine ut mortis spectaculo non moveantur, quos notat David Psalm. 72. *Zelavi super iniquos pacem peccatorum videns: Quia non est respectus morti eorum.* Hieronymus sic exponit. Quia non cogitant de morte suâ, *& firmamentum in plagâ eorum:* Alij legunt, & exponunt, quod nõ turbentur propter diem mortis: cum quilibet defunctus alteri dicat, mihi heri, tibi hodie, vel hodie mihi, cras tibi: *In labore hominum non sũt,* scilicet, opinantur se exemptos à communi hominum sorte. Ne illis in hâc re similes simus 1. semper cogita te moriturum: 2. vive semper ut moriturus. 3. time ut moriturus. 4. spera ut moriturus. Nempe non est diuturna hæc vita, quæ autem futura, æterna est. Jam interest qualis futura sit, beata vel misera, fœlix aut in fœlix.

Vide quid eligas, quid præoptes.

* * *

FERIA



FERIA QUARTA CINERUM,

CONCIO TERTIA,

DE CEREMONIA CINERUM.

Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris.

MUSICA *in luctu importuna narratio*, Eccli. 22. Et si unquam eloquentia, & sermonis apparatus dedecet, certè in discursu mortis, in quo nihil magis decet quàm quod magis est luctuosum; scissæ vestes, sparsi crines, pallor in vultu, in ore singultus: Ita videmus in summis etiam Principibus lugubres vestes vulgares esse ac pretio carere. Et insania fuit in Antonino Heliogabalo quod de eo notat Lamprid. cùm à Sacerdotibus Syris rescivisset se Biothanaton futurum, hoc est moriturum morte violentâ, parasse sibi funes, blattâ, & serico, & cocco intortos, quibus si necesse esset tanquam laqueo vitam fineret: item gladios aureos, quibus se occideret, si vis aliqua urgeret: item in Cerauniis, & Hyacinthis, & Smarachdis, venena, quibus se interimeret, si vis gravior immineret: fecisse & altissimam turrim substratis aureis gemmatisque ante tabulis, ex quâ se præcipitaret, dicentē mortem suam prætiosam esse debere, & ad speciem luxuriæ, ut diceretur nemo sic periisse. Sed hic non tam homo quam hominis portentum fuit. Quare veniam dabitis, Auditores, si quòd superest nobis de morte dicendum id sine fuco, & sine apparatu, ac sine ornatu dixero: neque enim animus est vos verbis sed rebus ipsis monere, non vobis ignotis, sed iis quas quotidie videtis. Sed priùs ad Virginem recurramus. *Ave Maria.*

QUANTI Mortis memoriam omnes ferè nationes fecerint ostendit magna cura quam de sepulchris habuerunt. Certe teste Diodoro lib. 3. cap. 5. major apud Ægyptios sepulchrorum quam domorum cura fuit; apud quos ex eodem lib. 2. c. 5. sepulchra talento taxata sunt: Æthiopibus autem ditioribus, ex auro facta sunt, tenuioribus, ex argento, ut ait Herodotus lib. 3. In Ephestionis monumentum multa talenta insumpsit Alexander: Et apud Romanos tantus luxus fuit, ut teste

M 2 Tul-

Tullio reprimendus fuerit legibus 12. Tabularum: Abraham cum nihil comparasset in terrâ possessionis, agrum tamen sepulturæ non paucis argenteis à filijs Hemor coemendum duxit. Porrò cum diutiùs homines viverent, sepulchra fodiebant in montibus & in solitudinibus procul ab urbibus, secundùm illud Iob. *Qui ædificant sibi solitudines*: tum in vijs publicis fieri solita, ut homines quasi ex insidijs adorirentur, & monerēt, hoc cōmunissimo Epigramate, mihi heri, tibi hodie. Posteà non in publicis viis, sed in agro proprio ac prædio fieri cœpere: In agris quisque suis (ait Tullius) sepulchra, & loculos, in quib⁹ cineres suorum conderentur, habuerūt. Id Græci etiam servarunt ut sunt testes Æschines & Aristophanes in concionan. Hebræos etiam id fecisse monet exemplum Abrahæ, qui sepulturæ causa agrum emit cum speluncâ duplici Genef. 23. Ita Christi sepulchrum excisum erat in horto seu prædio. Ioan. 13. Sed memoria mortis videbatur remotior: Itaque mortui sepulti sunt ad ipsas urbium portas: Ita Trojani ex Darete Phrygio, Priamum, Hectorem, & Herculem, ante portas civitatis suorū more sepelierunt: Ita passim S. Chrysostomus monet Christianos, ut mortuos in exitu civitatis intueantur: Intimiùs apud Lacedæmonios; nā in urbib⁹ ut sepelirent, permisit Lycurgus teste Plutarcho: apud Romanos primus omniū Trajanus, in publico foro condi voluit. Æthiopes teste Diodoro lib. 4. c. 1. & Strabone lib. 17. circa Templa sepeliebant: Ægyptij intra penetralia, medicatos, & Persæ cerâ circumlitos, ut diùtiùs durarent, domi asservarunt: testis Herodot. lib. 1. Ex Æthiopibus nonnuli ut ipse refert lib. 3. postquam mortuum arefecerant, totum gypso inducebant, picturâque exornabant, referente eius imagnem, deinde cippum illi ex vitro circumdabant, in cuius medio mortuus inter lucebat: Hunc cippum propinqui per annum intra ædes habebant, post annum circa urbem deponebant, fœlici & urbis, & virtutis custodiâ, cum mors & cives intus, & hostes extrà admoneret: Apud Christianos ferè in Templis, quò solemus frequenter convenire, ut sit frequens memoria: Ex hoc enim aspectu *finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum sit*: Olim Moses labrum æneum cum basi suâ fecerat de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi, ut qui ingrediebantur, viderent an decenter essent compositi: Hæc in nostris templis specula, sunt monumenta, & ossa defunctorum, quæ nobis referunt non tantùm quod sumus, sed etiam quod futuri sumus: Etenim in domo luctus, *Finis cunctorum admonetur hominum & vivens cogitat quid futurum sit*. Verùm quoniam passim homines sepulchra prætereunt, ac terunt pedibus monumenta; ut ipsam mortis memoriam in ipsis quasi oculis ferant, ideo Ecclesia in fronte & in capite cineres admovet, ut ipsa capita hominū fiant sepulchra. Galenus meminit quarumdam volucrū quas vocat *epitymvidias* hoc est sepulchrales, quia *tymbon*, id est, sepulchrum, gerunt in capite: fœlices aves si ratiòne uterentur! homo fœlix si in capite *tymbon* gerat! hoc est mortis memoriam, ad quam ipsis cineribus capiti admotis impellitur:

Cuius

Cuius ceremoniæ quoniam varias rationes præcedenti Concione dedimus, postremam in hanc Concionem servavimus, quæ talis est.

Quoniam caput judicij & rationis sedes est, ideò cineres capiti admoventur, ut homines intelligant, se nudam suæ mortalitatis cognitionem habere non debere, sed quæ capiti hoc est ratiocinationi adhibeatur: omnis autem ratiocinatio in trahendis consequentijs versatur: Cineres itaque locum habent antecedentis, capiti autem imponuntur, ut bonæ inde consequentiæ trahantur. Dixi non nudè mortem à nobis considerandam esse, secundùm illud Psalmistæ, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus.* Chrysologus serm. 21. vis est intelligentiæ si rimetur viscera, & deprehendat oculta, si tecta nudet; verùm subiecta oculis, exposita in publico, ingesta rebus, non est intelligere, sed videre. Rectè aliqui hunc mundum librum esse dixerunt, omnium oculis expositum, sed sicut in libro omnes elementa cernunt, & litteras, sed aliqui tantùm legere possunt, pauciores intelligere: Ita passim homines creaturas vident, sed pauci admodùm intelligũt: Solem, cœlos, æqualiter omnes vident oculis corporeis, sed non omnes eodẽ modò cognoscunt; Chrysostomus ait, Paganum Solem videre, & adorare, Christianum autem opus Dei agnoscere: Ita omnes mortem vident, pauci intelligunt: Itaque dùm in caput cineres jaciuntur admonemur, nè simpliciter, ac nudè mortem spectemus, quasi larvam illam horridam, & exsuccam, sed ut quæ in morte sunt, & ipsam mortem intelligamus, hoc est non tantùm oculis mortem intueamur, sed ut eam iudicio consideremus, ac debitas trahamus consequentias.

1. Circa Mortem consideratio, est de eius inevitabilitate, tàm quod mori oporteat, quàm quod determinato tẽpore, ubi vides duplicem inevitabilitatẽ. Vna est quod mori oporteat idque tam certà & communi lege ut nemo excipi possit: non sapiens, non nobilis, non dives, non rex, non sanctus, nõ summus quisque, non infimus.

1. Probatur ipsâ experientiâ, quia videmus passim homines mori. Ecclesiastes cap. 9. *Nemo est qui semper vivat, & qui huius rei habeat fiduciam:* 1. pars continet experientiam omnium sæculorũ: omne enim quod nascitur interit: Maria Salomè ausa est Christum aliquando interrogare utirefert Clem. Alex. lib. 3. strom. Quandiu vigebit Mors? Cui respondit: Quandiu vos mulieres parietis: Et verè dictum; omne enim quod oritur, perit: Itaque Tertull. lib. de Anima cap. 50. loquens de mortis debito: Hoc stipulata est Dei vox, hoc spopondit omne quod nascitur: 2. pars ostendit humanam conditionem, quoniam vita hominum deploratissima est atque illud indicat nomen Enos quod hominem significat à radice Anas quod est desperare, dolere, infirmari, ut nomen Enos sonet hominem perditè & deploratè ægrotantem.

2. Probatur ex lege Mortis, & hominis condẽnatione *Morte morieris*, Genes. 3. Illa vocis geminatio præter acerbitatem

tatem significat etiam certitudinem: Symmachus vertit. Eris mortalis, ut indicet hominem semper mori.

3 Quia præter causas mortis quæ in nobis sunt, Elementa, humores, temperamentum dissimile; alteratio à nutrimento, & etiam à causis superioribus oritur. Sapiens *Sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò supervenerit.* In hâc voce Caietanus agnoscit mortis inevitatem, & superioritatem: Quia quę desuper veniunt, sunt inevitabilia, ut sunt sub dio, grando, pulvia radij solis. Iob. cap. 20. *Pluet super peccatores laqueos, quis effugiet?*

4. Quia nemo resistere potest Angelo mortis. Ecclesiastes cap. 8. *Non est in hominis potestate prohibere spiritum. nec habet potestatē in die mortis:* scio multos per spiritum, hic intelligere animam hominis, quę in hoc corpore, quasi in carcere includitur, appetit autē exire de hoc ergastulo: cū autē detinetur, vi quâdā prohiberi videtur, sed veniet dies quādo ut ait Iob. cap. 34. *Spiritum illius & flatum ad se trahet: deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem revertetur: & tunc* ait Ecc. *non est in hominis potestate prohibere spiritum:* Hoc est uti Hieronymus interpretatur: nihil prodest ora cōcludere, & vitā retinere fugientē: Sed ad propositū nostrū Thaumaturgus, nomine spiritus, intelligit Angelum morti præsitentem, quē prohibere nemo potest; Nemo (inquit) tantis viribus futurus est, ut Angelum animam ipsius extorquentem arcere ac prohibere possit: hoc potestatem infernarum munus esse docet S. Chrysost. homil. 54. in Matth. sub finem. Quid faciemus cùm minaces Angeli, & rescindentes animā à corpore, Virtutes, ac Potestates nos invadent? Basil. orat. de Morte quæ est 24. meminit eius qui violēter animas àmisera hâc carne separat, & ad fatale iter trahit; secundùm illud *Et animam tuam repetunt à te.* S. Ephrē serm. de Vanitate huius vitæ to. 3. in describendo statu hominis misero: Quando Dominicæ copiæ atque satellites advenerint, quando formidabiles exercitus invaserint, atque apprehenderint, quando divini nuntij, atque cōmissarij animam ex corpore migrasse iusserint.

5. Quoniam ipse Deus mortem infligit: quis autem manum eius, atque irā potest defugere? Pythagoras aiebat sceptrum Iovis ex Cupresso fuisse, ut Iāblicus memoriæ prodidit. Quia hæc arbor sepulchralis est, & funeri dedicata: id significat, sum̄um Iovis imperium esse in mortē, quod nemo declinare potest. Apoc. 1. dicitur Deus habere *claves mortis*, idest summam potestatem: Ita que Sap. 16. *Tu es Domine qui vitæ & mortis habes potestatem & deducis ad portas mortis.* Ex quibus omnibus patet mortem prorsus inevitabilem esse, ac planè ridiculos illos fuisse, qui hominibus polliciti sunt immortalitatē, uti Menander discipulis suis promittebat, si se prophanis sacris imbui permiterent, quibus uti refert Eusebius lib. 3. Histor. cap. 10. pollicebatur etiam in hâc vitâ *athanasian aidion* perpetuam immortalitatem: Ita Tribonianus impius Iuriscōsultus, verè vocatus à Suida *apateōn* adulator, & impostor, persuadere Iustiniano Imperatori conatus est, cum non moriturum, sed cum carne in cœlum assumptum iri: Melius

Melius Agapetus Diaconus in aureis monitis ad Justinianum, Morti attribuit dentes *pamphagus*, omnivoros, quos omnibus infigit, nihil reverita *axiomaton lamprotitas* dignitatum splendores. Hoc itaque certum habes antecedens. Unicuique mors inevitabilis est. Jam cinerem capiti admove, & ex hoc principio dignā trahe conclusionē,

Quò igitur pertinent tot curæ, tot labores, tot contentiones, si aliquando mori oportet. Quidam sapiens nonnullis exprobrabat, quod sicut nunquā morituri ædificarent: Nùm tu id præstas hominum inconsultissime? Cùm te videam ita rebus affixum, semper inhiantem, semper colligentem, te vehementer admiror, cùm homini tam pauca sufficiant: Sed esto, cupiditatis es ingētis, tibi benè esse vis: nō hoc satis; vis copiosè: nec id satis; vis affluenter: cupiditati nihil satis, vis effusè, hoc tantùm est cupiditati satis: Benè quidem, si semper: sed si aliquando es moriturus, si inevitabiliter, quàm stultum est, ibi ædificare, ubi manere non debeas: ibi coligere, ubi uti non debes. Quin potius de æternitate cogitas, de eò quod semper futurus es? itàne vis esse exiguò tempore beatus, æternùm autem miser? Nihil non agis, ut exiguo tempore sis fœlix: nihil autem curas, quò æternum sis fœlix: Vide quæso nùm id prudentiæ sit Christianæ: vide iterùm nùm rationem habuerint Apostoli nobs morrem proponere, ut à rebus præsentibus avocarent: Certè nulla est tam in sana cupiditas, quæ hâc cogitatione non conquiescat: Quia ut ait B. Hieronymus Epist. 103. facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum: Hic vestrum omnium conscientias convenio, an si hæc semper cogitatio vobis præsens esset, ulla res in terris vos afficeret; nulla planè, inquies: at iterùm rogo; num justus sit ex eâ cogitatione sensus: justissimus dices: & hinc probatur, quia in omnibus ea cogitatio talem sensum parit; hoc ultimum adhuc liceat petere, nùm ea cogitatio vera sit: vera planè, quis enim nesciat se moriturum: unde igitur fit ut quod verissimum, & quod justissimum sit, absit à tuâ mente? Tu interim videris: dùm ego alteram in morte inevitabilitatem specto; porrò illa est quod unicuique à divinâ Providentiâ tempus mortis determinatum sit, ultra quod nemini vivere licet. Non hic ego cum Stoïcis aut cum Atheis fatum colloco aut statuo: scio cùm Deus liberum hominem crearit, posse injussu Imperatoris ex hac vitâ quasi ex statione perfidum discedere; scio multis modis fieri, ut in pluribus sicut loquitur Propheta: *Dies pleni non inveniantur;* scio posse hominem non decurrere spatium vitæ quod illi Deus mensus est: Sed dico unicuique homini præfixum esse à Domino terminum, quem nemo hominum possit præterire, secundùm illud Job. cap. 5. *Breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius, qui præterici non poterunt:* hos terminos, legem & statutum, vocat Apostolus, *Statutum est hominibus semel mori:* Semel dixit, hoc est irrevocabiliter, & firmiteir, & constanter. Semel enim loquitur Deus, & iteratò non habet opus loqui: Ita Act. 17.

fecit

fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum: Ita Eccles. 14. vocatur Testamentum: *Memor esto quoniam Mors non tardat, & testamentum inferorum, quod demonstratum est tibi:* In eundem sensum David, *Mensurabiles posuisti dies meos.* Altera Versio. Pugillares: ut scias paucos esse, & finitos, quoniam intra pugillum, sed Dei, qui mensuram definivit, continentur: ubi vides Deum in manu suâ, hoc est in sua potestate dies nostros habere: unde, ubi habes in Psal. 89. *Dexteram tuam sic notam fac:* vertit Aquila & Symmachus ut docet Hieronymus in epistolâ ad Cyprianum, dies nostros sic ostende. Hic mihi præcipuus occurrit sensus Prophetæ qui sanè communissimus esse solet Psal. 38. *Locutus sum in linguâ meâ. Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mibi:* Attende altum prophetæ sensum: non curiose appetit scire numerum dierum suorum, uti impiè multi exquirunt, cum Deus solus intelligat, nam *numerus mensium eius apud te est,* sed interiori sensu postulat, cùm vitæ termini sint definiti, iidemq; sint meritorũ termini, ut intelligat quid sibi desit, aut ad virtutem, aut ad meritũ aut ad satisfactionẽ, quod tamẽ fecisse oporteat intra vitæ terminũ: Nam, ut ait Ecclesiastes cap. 9. *Viventes sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum:* quod S. Hieronymus sic interpretatur: Mortui nihil valent ad id adiicere, quod semel secum tulerunt de vita: Igitur te rogo, mi Auditor, cùm numerus mensium tuorum non sit apud te, sed apud Deum, ac nescias quid tibi vitæ supersit: cogita seriò quid hactenus feceris, quæ sint merita tua, quæ satisfactio? An hoc tantùm facere vis pro Deo? sic morieris cum eâ egestate, & paupertate? Hoc tantùm æternitati parasti? Job. 10. *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non revertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine:* Joan. 10. *Venit nox quando nemo potest operari.*

2. Circa Mortem consideratio, est de eius ignoratione, & huic conjuncto inopinato adventu. Nam licet nihil certius sit Morte, nihil tamen magis incertum, atque ignotum quam Mors, ratione temporis, loci, modi, status animæ, & qualitatis, bonæ, an malæ; quietæ, an turbitæ; naturalis, an violentæ; an in gratiâ, an in peccato; an cum usu rationis, an sine illo; juxta dictum Sapientis Ecc. 9. *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplò supervenerit:* Vivimus in hac vitâ tanquam rei in carcere, qui semper expectant, ut à judicibus ad sententiam, atque inde ad supplicium vocentur, secundùm illud Jobi, *Cunctis diebus quibus milito super terram, expecto donec veniat immutatio mea:* Et infrà: *Vocabis me, & ego respondebo tibi:* Hoc autem ideò factum est ut semper timeremus; & ut ait Augustinus homil. 13. & 50: ideo latet ultimus dies, ut observentur omnes dies. Hic cineres capiti admove, hoc est justam

justam elice conclusionem: quæ talis est; Quoniam mira est mortis ignoratio, illa semper in memoriâ tenenda est; exemplo plurimorum sapientum: Philippus Macedo, cùm Athenienses debellasset in Cheronæâ, jussit sibi quotidie prodeunti dici à servulo, Homo es Philippe: Idē sensus Severi Romanorum Imperatoris, qui cùm in bellis, & in ambitione senuisset, moriturus urnam ad se afferri iussit, in quâ cineres ipsius, uti tunc moris erat, recondendi erant, quam diu contrectās & contemplans exclamavit. Tu virum capies, quem orbis terræ non cepit: Joannes cognomento Eleemosynarius Patriarcha Alexandrinus initio sui Pontificatus sepulchrum suum inchoari voluit, non perfici, ac sibi quotidie, vel ut alij volunt solemnioribus diebus, cùm prodiret, sibi proclamari jussit, Domine sepulchrum tuum cœptum est jampridē, sed nondum perfectum, tu ergo illud perfice jube, nescis enim quâ horâ fur venturus est: Maximilianus primus potentissimus & bellicosissimus Imperator, biennio, aut ut alij volunt triennio ante mortem, loculum funebrem è querneo ligno, arcæ viatoriæ inclusū, deferri secum jussit, ut semper mortis meminisset. Hoc Avi exemplum secutus est Carolus V. de quo fertur quinquennium ante mortem secum semper deportari jussisse sacrophagum cum suppellectile funebri, sed oculte, ac singulis noctibus diligentissimè reponi iussisse; qui illi aderant, pars thesaurum credebant, alij selectos libros, alij ad usum Cæsaris aliquid singulare: Ille verò ridendo dicere solebat; In rei alicuius sibi charissimę usum id secum deferri: Eius filius Philippus II. multo ante mortem tempore, defuncti cranium inter abacum habuit, nè mortis unquam memoriâ careret: contra quàm passim homines facere solent, qui Mortis memoriam quantâ possunt diligentiâ á se abjiciunt pessimo consilio: Sic itaque conclude. Cùm se res sic habeat. Hoccine est prudentiæ Christianæ eo in statu vivere, in quo mori nō vis? quia enim diem nescis, vide quę sit securitas, vel unum diem imparatum vivere? Et tamen quám multis diebus vixisti in peccato? Si vocatus fuisses quid de te actum fuisset? At inquies captus non sum: Ita se res habet, sed capi potuisti: Id si fuisses, quo nunc statu esses? Sed inquies, non capiar? unde id nosti? Quia (inquis) nullus est dies certus mortis. ô imprudens! nullus tibi certus, sed aliquis Deo certus est, & cùm ille venerit, capieris: ad hæc, quia nullus tibi certus est, ideò omnis tibi incertus, & suspectus esse debet: Sed (inquies) quoniam incertus est non capiar fortasse; Sed fortasse capieris: Potes non capi, sed quia etiam potes capi, nescio an judicio valeas, qui in re tanti momenti te exponas: In rebus humanis adeò prudens es, adeò sapiēs, in istis autem quæ tanti sunt, quare vivis tam imprudens? Sed quoniam homines in illâ incertitudine se tutos putant, propterea addidi ignorationi mortis inopinatum adventum: quâ re nihil frequentiûs habemus in Evangelio: *Attendite ne superveniat in vos repentina dies illa: Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam:* Quàm sæpè minatur se ventu-

venturum instar furis? 2. Petri 3. *Adveniet dies Domini ut fur*: Et paulus 1. ad Thessal. 5. *Ipsi diligenter scitis, quòd dies Domini, sicut fur in nocte ita veniet*: Itaque Paschasius Abbas Corbeiẽsis lib. 11. in Matth. dies ultima, languenti animæ fur est, & latro: Ita Christus comparat mortem furi de nocte venienti: Item Domino revertenti & servos deprehendenti: Item spõso de repẽtè venienti: Item accupi, & laqueum iacienti, denique primo advẽtui in diebus Noë: & tam multas congerit parabolas ut hoc tantùm persuadeat, *quâ horâ non putatis filius hominis veniet*: In quam rem te sic premo: Christus hoc discipulis & omnib⁹ denutiat, se vitæ securos deprehensurum, ac repentè imparatos occupaturum: tu verò securus vivis, ac de morte non cogitas, igitur deprehendêris, idque de fide tibi certum esse debet, deprehendêris: ô stultam hominũ imprudentiam! sic admonitos ita vivere sine cura: sine sẽsu! Id verô satis patet experiẽtiâ, quotidie enim homines nec opinató occupãtur: Revoca in memoriam tuorũ, vel consanguineorũ, vel cognatorum amicorũ mortẽ: Nec tamẽ quisquã vel proximorũ, vel suorũ exemplo, vel Christi tàm iteratâ admonitione fit sapiens: Quid igitur inde concludas nisi quod dicitur Marci. 13. *Vigilate ergo ne cum venerit repentè, inveniat vos dormientes: Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate*: Hoc autem quid est, nisi ut quotidie paratus vivas: Conde testamentum; si quid habes restituendum restitue, si nondum potes, scribe, ut si occuperis, id faciant hæredes: si peccasti mortaliter, Sol non occidat non tantùm super iracundiam, sed nec suprà quodlibet peccatum: cavenè inimicitias conserves, sed statim reconciliare fratri tuo: *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate*: Etenim si repentè interroget, quis respondebit ei? Quid enim deprehensus, de vitâ tuâ, de statu tuo, Deo iudici atque interroganti poteris respondere? Dictum Benlyræ; dies brevis & opus multum.

3. Circa mortem consideratio, est de statu in quo mors hominem ponit: cùm hominem dico, corpus & animam intelligo, nam cætera bona externa sunt, nec sunt in homine, quamquam paulatim ipsa te deserant, opes, voluptates, consanguinei, amici: cùm enim bona sint huius vitæ, illâ præteritâ tua esse desinunt, & ad alios transeunt, sicut milites perfidi, qui ad hostes deficiunt, in quo vides magnam rerum vanitatem, & inconstantiam: Sed de homine mihi est sermo, hoc est de corpore, & de anima: Quoad corpus attinet, mitto dicere quæ mortem præcedunt, morbi scilicet, dolores, & quædam ante mortem mors: Etenim in corpore hæc bona creduntur præcipua, sanitas, robur, pulchritudo, usus ipsius ad actiones naturales, animales, civiles, rationales, quæ omnia illo tempore concidunt: etenim mortem gravissimi morbi & dolores acerbissimi solẽt præcedere, unde extinctio sanitatis, virium, pulchritudinis & usus corporis: vide quod toties tibi dictũ est, hominem florem esse, fœnum, & florem fœni, umbram, spectrum, & nihilum, unde de hominibus Theophilus ad Autolicum *sárkenoi, udèn éontes*, carnei, & nihili homines: sed illis missis quæ mortem præcedunt, in corpore mortuo triplex status spectari potest

potest. Primus est statim ab animæ discessu, quo tempore tanta repente fit mutatio ut videatur esse quædam oculorum illusio Psalm. 72. *Veluti somnium surgentium Domine in civitate tuâ imaginem ipsorum ad nihilum rediges*. Cogita enim quid ante fuerit, & quid nunc sit: *versa est in luctũ cithara mea, & organum meum in vocem flentium:* Cogita hyemem quâ omnia vastantur, frondes, flores, fruges, omnis hortorum, camporum, agrorum, fluminum amœnitas, diceres aliam esse naturam: vide coopertos nive montes, flumina glacie alligata, dies conversos in noctem: cogita noctem obscuram, & tenebrosam, quâ non Sol modo sed astra omnia disparent: sed pejor est status cadaveris: vidisti aliquando urbem, aut provinciam ab hostibus direptam, mœnia disjecta, eruta fundamenta; hîc passim, atque illîc jacere rudera, vias impeditas, convulsas terras, nullo ordine sparsa saxa, ligna, tecta: imaginem habes corporis mortui: vide intena, vide externa, omnis illa harmonia, õnis species, omnis color, omnis motus, omnis actio, omnis usus periit, non oculi vident, non aures audiunt, non movent se manus, neque pedes, non lingua loquitur non cor palpitat, nullum discrimen à saxeâ aut buxea figurâ, nisi quod cadaver deformius est, atque horribilius:

2. Status, est prima putrefactio de quâ Job loquitur. *Putredini dixi pater meus es. Mater mea, & soror mea vermibus.* Item *habitent in tabernaculo ipsius socij eius qui nõ est:* Isaïæ. 14. *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*: Quis exhibeat fatiscentem paulatim fabricam corporis, liquatam in sordidum liquorem, & tabem, carnem, educto calore, livescentem primùm tùm fœdo flore sparsam, tùm fluentem, tùm vermibus innumeris scaturientẽ, & in fœtidum vaporem abeuntem? parco auribus vestris, parco oculis, parco naribus, pudet naturæ nostræ verecundiam, atque dedecus aperire: rectèque iam suprà diximus ex Nysseno sepulchra esse naturæ nostræ mysteria, atque Sacramenta, quasi ea revelare pudeat, ac sit nevas: Hoc tantum nihil ferè esse in naturâ fœdius, nihil horribilius, quàm humani cadaveris putrefactionem. Quid dicam sæpe illo odore infectas fuisse urbes, Provincias peste fœdatas, totumque aërem? Hoc statu si mulierem spectet, quis non obstupescat, quis non horreat, quis non abominetur? hic finis pulchritudinis, hic amorum exitus, hoc libidinis cœnum. Pudeat homines ob rem adeo abominandam, pulchritudinem æternam despicere! Pudeat mulieres Christianas corpus tantæ fœditati reservatam sic ornare, sic amare, sic colere, sic nutrire! Quàm vos prudentiores qui rem ita vilem negligitis, qui corpori non parcitis, qui vexatis!

3. Status, est ultima putrefactio, reductio in pulverem, atque cinerem, quæ in quibusdam tardiùs, in aliis celeriùs, fit sed quam nemo effugiet, ac licet ea putrefactio minus habeat horroris, quàm prior: maior tamen est corruptio, quoniam maior esse non potest, nec in peiorem statum reductio: ecce quò redigetur humana omnis magnitudo. Tã parvus cinis Herculeus est: hûc ille decrevit gigas: hic tũmulus illi est

Ecce vix totam Hercules complevit urnă: Iob. 13. *Memoria vestra cōparabitur cineri, & redigētur in lutum cervices vestræ.*

Iam cineres capiti admove & debitam trahe consequentiam, & ex composito antecedente, quid iustius inferre potes; quàm quâ ratione corpus tuum tractare debeas. Hinc oritur generosa corporis mortificatio, & carnis contemtus: pudeat homines vesanos, sic in corpora exardescere, pudeat tantum dedecus sic prosequi, pudeat carnalem hominem sic in cœno & carne volutari: hinc originem habeat propudium, atque dedecus libidinis, quàm non alio nomine vocare potes, quàm furorem, quam rabiem, quàm insaniam: quàm multos habes tuæ libidinis accusatores, quàm multas condemnationes? Quid sic ardes, quid sic vreris, quid inflamaris? Quidam mulierem cōcupierat, demortuæ carnis partem abscidit, quoties ardebat libido, toties putredinem naribus adhibebat, & eorum exemplo, qui morsui Scorpionis, ipso Scorpione medentur, ipsa carne, carnis putulantiam repressit.

Iam sicut in corpore mirabilem mutationem mors efficit ita etiam in animá. In qua tria considerare possumus: Intellectum Voluntatem, Passiones, nā licet passiones propriè dictæ, sint in corpore, quoad corporalem immutationem, tamen quoad principium actionum, sunt in animâ, & in illâ sunt act9 respondentes actibus, & mutationibus passionum.

Primò itaque ratione intellectus, fit ingens mutatio ipsius in morte. In primis in eius obtenebratione significatâ per cinerem, tùm quoad lumina supernaturalia, tùm quoad naturalia, perturbatâ imaginatione, arescentibus spiritibus, & speciebus abeuntibus: Deinde in qualitate cogitationum, quas non nisi horrendas habebit, de suo corpore, de vitâ præteritâ, de statu præsente, de imminente exitu, de dæmonibus, de Deo irato. Id expressum ab Ecclesiaste; cap. 8. *Nec finitur quiescere ingruente bello:* An hoc bellum intentat Deus indutus loricâ iustitiæ, atque universâ iudiciali panopliâ circumdatus, armans creaturas ad ultionem inimicorum: an est mors ipsa, cui non ineleganter tributur persona Regis & Tyranni, uti significatur Iob. 18. *Calcet super eum, quasi Rex interitus:* an denique diabolus cuius invidiâ mors in hominē dominatur: hic autem hostis hominum infensissimus sub extremum vitæ maximè oppugnat, quem etiam Hugo ait ex S. Bernardo & Martino, morientibus assistere in formâ visibili: de qua re severè, & graviter Ephrem to. 3. sermone in eos qui in Christo obdormierunt. ubi de hominis moribundi statu sic loquitur. Repente constringitur lingua, immutantur oculi, cōcutitur mens, quādo Dominicæ copiæ, atq; satellites advenerint, atq; apprehenderint, &c. Et post pauca. Ecce verè exercitus cœlestes, ecce potestates æternæ, ecce figuræ formidabiles, illi9 qui solus tremēdus est: ecce ministri fortes illi9, qui sol9 fortis est: ecce fortes Dei fortis: ecce formæ terribiles, atq; horrēdæ: ista tunc, qui abripitur, solus videt, nos verò nō intuetur amplius, sed ad præsentes potestates stupefactus extra se rapitur. Quòd autem non sinatur quiescere moribundus in eo prælio, idem ibid. paulo

paulo post præclarè exponit. Non vides apud fratres morientes, animamque agentes, quibus assidemus, quam terribilia tunc eis accidere cernantur? quo pacto corripiantur, quo pacto perturbentur, & quo pacto suspirent? Non aspicis eo sudoribus frigidos, & sudore plenos instar messorũ in agro: Quomodò oculos huc illucque retorqueant? quomodò alij dentibus strideant? quomodò obstupescant, & expavescant, tumultuarieque agant? Et quo pacto multi etiam capillos suos evellant? quo pacto ex lecto exiliant fugere volentes, licet nequeant; videntque ea quę nunquam priùs viderunt, & audiunt à potestatibus quæ numquam anteà audierunt, & patiuntur quę nunquam alias passi sunt, quærentes qui eos redimat, & nemo est qui liberet: requirentes socios, & nemo adest qui comitetur, requirẽtes advocatos & patronos, & nemo, qui adsit. Quos aspicientes tunc contremiscimus, & plangimus, tenentesque eorum manus, salutamus, atque complectimur, lacrymis irrigantes, sudorem vultus detergimus, & oculos eorum & siccam linguam æstuantem aquâ madefacimus, atque refrigeramus: aurem nostram ori eorum admovemus, ut tenues saltem atque subtiles ipsorum voces exaudiamus: Alia plura omitto de re eâdem. Deniq; tunc in intellectu longè diversum est judicium quod induit de suis rebus, de bonis externis, de omnibus creatis, de ipsâ æternitate, quàm cùm esset in corpore. Quàm vana esse deprehendit, & nullius momenti, quæ tanti ducebat, famam, honorem, pulchritudinem, voluptatem, delitias: Quanti ea ducet quæ negligebat: Quàm aliter de Deo sentiet. Nabuchodonosor turbatâ quondam imaginatione, cùm se bovem putaret, herbas comedebat, & ut loquitur Scriptura: *Fœnum sicut bos comedes, & cum feris habitatio tua.* Sed sibi redditus suum illud factum exhorruit: Quibus per præstigias oculi fascinãtur, iñumera se putant videre, ubi sublatum fascinum, omnia alia vident: fuerunt qui crederent se in mensa sedere, atque apparatissimas epulas consummere, qui posteà deprehenderunt se fuisse deceptos. Eodem modo cùm anima in corpore manet, fictio decipit ipsam, ut ait Sapiens capite 6. *Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.* Sed sublato corpore, cùm anima res uti in se sunt, intuetur, tum obstupescit se fuisse deceptam.


Secundò, quoad voluntatem tanta fit in ea mutatio, ut mutetur in rerum omnium odium, atque aversionem; nam in eâ exutâ corpore, ubi illa periit titillatio, evanescit rerum creatarum amor, & eius loco remanet naturale pontus, atque inclinatio vehemẽtissima, atque incitatissima in Deum, ut in suum finem, quæ sublato corporis impedimento, tantâ vi eam rapit, ut retineri non possit, quin sese fini illi uniat, sine vehementi quadam obsistensia; & proinde afflictione, & gravissimâ molestiâ, in quam de facto incurrit, quando ob mortalis vitę imperfectiones ab illa unione impeditur. Quòd si illa impedimenta æterna esse senserit, vehementissimo sese dolore torquet, & miserum in modum discruciat: ubi illa vota, ubi desideria, ubi

teneri illi amores, oscula, complexus, gaudia, cōplacentiæ, risus? hæc omnia prçterierunt: non nisi tristitia, mœror, timor, acerbitas, odium, ira, furor, desperatio. Redeunt omnes voluntates quas habuit, liberæ & non liberæ, inter quas quot sunt contrariæ, à quibus in varia discerpitur? quàm multæ indecentes, & indignæ? atque illæ ipsam affligunt: quàm multæ inutiles & vanæ? & illæ contristant, solumque mœrorem relinquunt? quàm multæ sunt obscœnæ? & illæ nonisi pudore afficiunt: quàm multæ crudeles? & illæ amaritudine replent: quàm multæ sunt injustæ? & illæ condemnant: quàm multæ contra Deum? & illæ disturbant, atque deficiunt. Jam illæ quæ ad præsentē statum attinent, sese offerunt, & illæ mirabiliter eam exagitant, eò usque ut soli supplicio se destinet.

Tertiò ac ultimò, quoad passiones attinet, quemadmodum tempore tempestatis nonnisi adversi venti flant, & fluctus excitantur, ac mare irritatur; ita tunc gravissimç oriuntur passiones. Rem apprimè Dorotheus exponit in doctr. 12. ac repetit ex Evagrio, ubi docet, in variis vitæ occupationibus animam à suis passionibus avocari, atque abstrahi, dùm comedit, dum ambulat, dùm agit cum amicis, dùm varia intuetur ac percipit: sed cùm in morte sensus erunt sopiti, ac secum anima habitare cogetur sola cum suis passionibus; tùm demum earum violentiam sentiet, ita ut disturbata atque incensa ab earum molestia, deductaque & dispersa per varia, non possit Dei meminisse: hic aliquando cupiditatem sensisti, quanta tunc erit? sensisti aculeos doloris, tunc scies quid sit dolor, & desperatio: iram ignorasti, usque ad illud tempus, & animi impatientiam. Quid dicam de timore, qui gravior erit quolibet tormento? Denique tunc omnes passiones insurgent, *quando lucerna impiorum extinguetur.*

Hîc cineres admove capiti, & dignā hoc toto discursu elice conclusionem: nempe ut quoniam ad hæc omnia ingentes & giganteæ vires requiruntur, videas num illæ tibi adsint ad hæc omnia ferenda. Certè si sola harum rerum cogitatio te terret, quantò magis præsentia, & ipsa experientia? Quid agimus, Auditores, quid in nugis huius vitæ immoramur, nec ad ista nos præparamus? Hæc omnia unumquemque manent, nemo liber: nemo eximitur: Verè beatus qui semper hanc horam ante oculos habet, verè miser qui non habet, &c.

FERIA



FERIA QUARTA CINERUM,

CONCIO QVARTA,

DE CINERIBUS.

De Benedictione Cinerum, & cur initio Quadragesimæ.

Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris.

QUOD olim Deus Jeremiæ in cap. 19. præcepit, idem hodie mihi à Deo mandatũ intelligo. *Hæc dicit Dominus, vade, & accipe laguncúlam figuli testeam à senoribus populi, & à senioribus Sacerdotum, & egredere ad vallem filij Ennom, quæ est juxta introitum portæ fictilis, & prædicabis ibi verba quæ ego loquar ad te,* scilicet, ut dicebam 1. concione, & repetere placet, utpote dignum memoria, Jeremiam multa & miranda locuturum ad populum impium convertendum, amandavit in vallem filij Ennom per portam fictilem, seu sterquilinij, ut ibi cœtu facto concionaretur, & testaceum vas, quod manu gerebat, in omnium oculis frangeret: Vallis Ennom locus fuit in quo sepulchretum, unde Septuaginta Interpretes vertunt Polyandrion, hoc est, ex usu Ecclesiæ, cœmeterium: Eò vocantur Hæbræi, ut communi tumulo cõsiderato, novissima sua in memoriam revocent: ad idẽ iuvabat vicinæ portæ intuitus, quæ vocatur sterquilinij, & vas victile Jeremiæ manu fractum, ut scirent se brevî in pulverem ac lutum redactos, projiciendos in sterquilinium: sed vide plura in una voce mysteria; etenim vallis ennom significat, ut ait Sanctus Hieronymus, vallem gratiæ: Hebræum enim Hanan est, gratis dari, à quo ductum nomẽ Ennom gratiam significat: vel significat vallem eiulatus à verbo Naham, rugire & eiulare: ut scias novissimorum contemplationem sæpe multos commovere, ac lacrymas ciere, & eiulatus: sed subito commutantur in vallẽ gratiæ; quia Deus solet esse propitius lacrymis. Certè nihil est expressius hac figurâ, ut significetur quod fit in Ecclesia: quia Concionatores mittũtur in vallem Ennom, ut ibi populum congregent; nam cõciones initium habent à ceremonia cinerum, & prima Ecclesiæ concio est: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris:* quod cùm vobis explico, quid aliud est quàm vas fictile vobis præsentibus frangere, ac vos deducere in vallem filij Ennom per portam fictilem, seu sterquilinij? Quod vobis faventibus aggredior, ac ne diutius vos morer, postquam ceremoniam cinerum attentius, ac diligentius perpendi; nil verius existi-

existimavi, quàm si dicerem hanc omnẽ ceremoniam nihil esse aliud, quàm propositum nobis ab Ecclesia mortis sacramentum; nam si B. Gregorius Nyssenus orat. de Beat. appellat cœmeteria, naturæ nostræ, seu infirmitatis nostræ mysteria, atque sacramenta, multò magis hanc ceremoniam dicere possum naturæ nostræ, seu mortalitatis nostræ sacramentum. Sed quoniam longum esset omnem huius sacramenti naturam evolvere, & quia id aliàs à nobis ulteriùs factum est, duo tantùm explicare agredior. Primum est, cur priusquã cineres in caput singulorum iaciantur, benedicuntur peculiari benedictione: alterum, cur ea ceremonia initio Quadragesimalis jeiunij fiat.

Circa primum caput, cur cineres benedicantur: Certum est in omni sacramẽto esse aliquem ritum sacrum, & aliquã intervenire benedictionem: cùm itaque in hac ceremonia dixerim contineri quoddam mortis sacramentum, nihil mirum est si in usu sit aliqua benedictio. hoc dictum in communi, quæ sequuntur pecularia sunt, & huius ceremoniæ propria.

Prima itaque ratio petitur, ut impleatur figura veteris Testamenti, Numer. 19. ubi post descriptum sacrificium vaccæ rufæ, cuius omnes partes comburebantur, pellis etiam, & fimus, subditur: *Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, &c. ut sint multitudini filiorum Israël in custodiam, & in aquam aspersionis:* In quã rem, ut diximus nuper, sic philosophatur Philo Iudæus libro de offerentibus victimas. Cæteri ferè omns, (inquit) aquâ lustrantur, marinâ plerique aut fluviali, aut è fontibus petitâ: At Moses cinere præparato, è sacri ignis reliquiis, de hoc nonnihil sumptum iubet in vas infũdi, ac deinde aquam; tum hyssopi ramo in hac temperatura tincto lustrandos aspergi: cuius rei significatio hæc est; admonet eos qui ad Dei cultum accedunt, ut ante omnia seipsos noscant, & suam essentiam; nam quisquis seipsum ignorat, quî potest summam illam & excellentissimam Dei potentiam percipere? Est igitur nostra, quantùm ad corpus, essentia, terra & aqua, id quod docemur hac purificatione, quando hoc ipsum creditur ad purgandum utilissimum nosse seipsum: ex quibus, & quàm nihili rebus constemus, ex aqua & cinere; nam hæc repræsentatio confestim arrogantiam insidiatricem animo eximit, simulque superbiam: atque ita Deum homini conciliat infensum huiusmodi vitiis, &c. Itaque aspersione hac sic excitamur, & tangimur, quasi hæc ipsa elementa, terra & aqua nos appellent in hunc modum: Nos sumus vestri corporis essẽtia: ex nobis natura, id est ars divina, contemperatis, effinxit humanam speciem: ex nobis compacti prodistis in lucem, in nos rursum solvendi post obitum: nihil enim in nihilum recedere natura patitur; sed unde est initium, eodẽ finis redit. Hæc ille.

Secunda ratio est; quia cùm triplex esse possit mortis cõsideratio, una philosophica & naturalis: altera prophana & impia: Tertia religiosa & Christiana: hinc docemur, repudiandam esse impiam, non sufficere philosophicam: tertiam itaque exigi à nobis sacram & religio

religiosam,unde cineres sacri,& consecrati nobis exhibentur. Age enim hæc tria hominum genera audiamus de morte differentia. Vis Philosophum: multa quidem ille præclarè disseret, sed omnes suas considerationes, & cōsequentias præsenti hac vitâ, & sæculo includet.

Primò aget de mortis necessitate. Seneca de Naturalib.quæstionibus cap. 32.Mors naturæ lex est,mors tributū, officiumque mortalium:Et in Consol. ad Polyb. capite 22. Diutiùs accusare fata possumus, mutare non possumus: stant dura, & inexorabilia, nemo illa convitio,nemo fletu, nemo causâ movet,nihil unquam parcunt ulli, nec remittunt; unde sequitur non esse timendam,cùm certa sit,& inevitabilis: immò hac conditione vitam accepimus, ut redderemus: Et epistolâ 77. Tu nescis unum esse ex vitæ officiis mori? nec mirum; nam ut ait in Consol. ad Polyb.Quidquid cœpit, & desinit. Et epist.30. Vivere noluit, qui mori non vult: vita enim cum exceptione mortis data est, ad hanc itur, quàm ideò timere dementis est, quia certa expectantur, dubia metuuntur: mors necessitatem habet æquam & invictam. Itaque universum illud quod videmus, aliquando peribit. Et eâdem quæ supra 77. Eat nunc aliquis & singulas cōploret animas:Carthaginis ac Numantiæ, Corinthique cinerem, & si quid altius cecidit, lamentetur. Eat aliquis, & fata tantum aliquando nefas ausura, sibi non pepercisse conqueratur: Sic Augustinus videns Hipponem civitatem à Wandalis capi,hac se cogitatione solatur: non erit magnus, magnum putans, quòd cadunt ligna & lapites, & moriuntur mortales.

Secundò, de mortis facilitate ac celeritate: de qua sic hominem affatur Deus apud eundem Sen. libro de providentia,c.6.Ex omnibus rebus, quas esse vobis necessarias volui, nihil feci facilius quàm mori:prono animam loco posui, trahitur: Non tam longas in exitu vobis quàm in trantibus moras posui. Corpora opima taurorum exiguo concidunt vulnere,& magnarum virium animalia humanæ manus ictus impellit. Tenui ferro commissura cervicis abrumpitur,& cùm articulus ille, qui caput collumq; committit, incisus est,tanta illa molas coruit.Non in alto latet spiritus, nec utique ferro eruendus est:non sunt vulnere impresso scrutanta præcordia.In proximo mors est. Non certum ad hos ictus destinavi locum: quacumque pervium est: ipsum illud quod vocatnr mori, quo anima discedit à corpore, brevius est quàm ut sentiri tanta velocitas possit,&c.Quidquid est, properat.& quid erubescitis? quod tam citò fit,timetis diu?

Tertiò, de eius cōmunitate: Idem epistolâ 30.quis queri potest in ea conditione se esse, in qua nemo non est: prima enim pars æquitatis est æqualitas. Et epist.77. Eò ibis quò omnia eunt. Quid tibi novum est? ad hanc legē natus es.Hoc patri tuo accidit, hoc matri,hoc maioribus,hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te.Series invicta & nullâ mutabilis ope, illigat, ac trahit cuncta, quantus te populus moriturum sequetur, quātus comitabitur!

Quarto de eius contemptu, Nam ad

summum mors facit nòn esse: quâ de re pulchrè Idem epist.77. Nonne tibi videbitur stultissimus omnium qui fleverit, quòd ante annos mille non vixerit: æque stultus est, qui flet, quòd post annos mille non vivet: Hæc paria sunt, non eris, nec fuisti; utrumque tempus alienum est: addo quòd vita non magni est æstimanda, itaque neque mors magnopere timenda. Non est res magna vivere, omnes servi tui vivunt, omnia animalia: non igitur magnum erit rem adeò vilem amittere.

Quintò de eius optabilitate. Idem in Consul: ad Martiam cap.19. Mors omnium dolorum, & solutio est, & finis: mors optimum naturæ inventum; omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum. Et epist.24. Mors nos aut consumit aut emittit, emissis meliora restant, onere detracto, consumptis nihil restat. Et epist.65. Mors quid est? aut finis est, aut transitus: nec desinere timeo: idem est enim quòd non cœpisse, nec transire, quia nusquam tam angustè ero: ac si nihil esset aliud, certè nos à vitæ fastidio liberaret. Et epist. 24. Quosdam subit eadem faciendi, videndique satietas, & vitæ non odium, sed fastidium. Quousque eadem? nempe expergiscar, dormiam, satiabor, esuriam, algebo, æstuabo: nullius rei finis est, sed in orbem nexa sunt omnia, fugiunt, ac sequuntur: diem nox premit, dies noctem, æstas in autumnum desinit, autumno hyems instat, quæ verè compescitur. omnia transeunt ut revertantur; nihil novi video, nihil novi facio. Fit aliquando & huius rei nausa: multi sunt qui non accerbum iudicent vivere, sed superfluum. Et epist.77. Cogita quandiu iam idem facias, cibus, somnus, libido, per hunc circulum curritur. Mori velle non tantùm prudens, & fortis, & miser, sed etiam fastidiosus potest.

Hæc & alia plura, sed non altiora de morte Philosophus naturalis & moralis diceret; verùm hæc omnia non ultra vitam præsentem, & consequēter hoc sæculo omnia includuntur; quare vera quidem illa esse dixi, sed non sufficere.

Alterâ dixi mortis considerationem planè prophanā, qualis ferè est in atheis & irreligiosis hominibus, qui mortē non aliter considerant, quam ut totalē hominis extinctionem, de quibus dicitur Sap.2. *Dixerunt enim cogitantes apud se, non rectè*. Duo scilicet in illis damnat? imprimis perversam mortis considerationem: deinde malam consequentiam, quos proinde Sapiens coarguit: primò ignorantiæ & stupiditatis: 2. summæ imprudentiæ, ac temeritatis: tertiò damnādæ & horrendæ impietatis. vide ignorantiam ac stupiditatem, quoniam humanam cōditionem ignorant, quam similem belluis faciunt, dū dicunt mortalem; nam si in hac vita tantùm sperantes essemus, non tantùm reliquis hominibus miserabiliores essemus, sed etiam brutis animantibus: sed vide quo ipsi fundamento nitantur. Primò, quia vita hominis, & brevis est, & variè vexata: *Exiguū, & cū tædio est tempus vitæ nostræ*. Secundò, quia mors est inevitabilis: *Et non est refrigerium in fine hominis*. Vatablus, non est remedium cōtra obitum hominis. Tertiò, quia nemo est rever-

est reversus ab inferis: *Et non est qui agnitus sit reversus ab inferis.* Quartò, quia ortus, & interitus sunt similia; orti sumus ex nihilo, igitur in nihilum erit relapsus: *Quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus quasi non fuerimus.* Quinto, ex qualitate vitæ nostræ; nam est exigua flāma in corde accensa, unde eius motus, & fumus huius flammæ est respiratio: sed extinguetur flammula, nihilque remanebit nisi cinis in corpore, & spiritus in aërem, ut alius omnis flatus diffundetur; *quoniam fumus flatus est in narib' nostris, & sermo scintilla*, 1. res est scintilla, *ad commovendum cor nostrum, quâ extinctâ, cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aër, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est à radiis Solis, & à calore illius aggravata.* Quibus moti rationibus, putant hominis animam esse mortalem: sed ut ait Sapiens: *Hæc cogitaverunt, & erraverunt.* Quoniam scilicet mortalitatē animæ colligunt ex mortalitate corporis; unde subdit Sapiens: *Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt iustitiæ, nec iudicaverunt honorem animarum sanctarum.* Magna eorū cæcitas, tum circa revelata; ut sunt Incarnatio, Christi Resurrectio, ex qua Augustinus serm. 120. infert cæterorum resurrectionem, & animarum immortalitatem: tùm circa principia moralia-quæ naturaliter cognosci possunt, ùt quod iustitiæ debeatur præmium; & pœna in iustitiæ: tum circa conclusiones, quæ jnde trahi possunt; ut quòd Iustorum animæ, licet multa in hac vita patiantur, magnis post illam honoribus afficientur. Denique circa veram causam mortis, de qua subdit: *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis fecit illum: invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius:* quia scilicet ut ille homines peremit, ita isti volunt homines perimere.

Secundò coarguntur summæ imprudentiæ & temeritatis; quia in negotio tam gravi rei periculosissimæ sese exponunt, levissimis moti rationibus, uti videre potuistis. Nam quòd vita sit brevis & ardua, 2. quòd interitus sit, aut difficilis, aut inevitabilis, quæ probatio est animā esse mortalem? 3. Quod nemo ab inferis redierit, falsum est; & ut ait Augustinus serm. 120. de diversis: stulte, si pater tuus resurgeret, crederes? Dominus omnium resurexit, & non credis? unde enim ita voluit mori, & resurgere, nisi ut omnes uni crederemus, ne à multis deciperemur? Et quid faceret pater tuus, si resurgeret, & loqueretur, iterùm moriturus? attende cum quanta ille potestate resurexerit, qui *jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur.* 4. Malè ortus & interitus comparantur, meliùs ita comparare poteris, si dicas, qui potuit dare esse cùm non haberetur, poterit conservare quod dedit. Denique quid tu vitam corporis æstimas totam hominis vitam? ut scias temerè te rem tanti momenti definivisse tam levibus rationibus, cùm tam multas in contrarium rationes habeamus, & cùm tantum adsit malè de ea re sentiēti periculū. Nā ut quidā argutè philosophatur apud Olkot. lect. 16. cap. 4. distinct. 43. quæst. 2.

Si mortalis est anima, nullum infligetur supplicium credentibus immortalem: sin veró immortalis est, qui credunt mortalem plectentur magno supplicio; præstat igitur îmortalē credere.

Tertiò coarguuntur impietatis; quia si animæ sint mortales, nulla est providentia; si nulla providentia, neque Deus est aliquis; hæc enim connexa sunt, ait Tullius; unde ex hac opinione, facilis ad Atheismum transitus: sicut itaque fides de animæ immortalitate ad religionem pertinet, uti de fide resurrectionis corporum scripsit Apostolus: ita negatio eiusdem impietatē generat.

Egimus de malo antecedente, vide impiorum peiorem consequentiā: Sap. 2. *Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creaturâ tanquam in iuventute celeriter* (id est strenuè & graviter nihil prætereundo) *vino pretioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis: coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra: Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra, &c.* Quasi dicerent sibi largiter utendum vitæ bonis & cōmodis: quasi non alia præter hæc sint bona, nullaque altera vita: sic apud Isaiam cap. 22. loquuntur: *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Quæ consequentia? quæ conclusio? non aliter bos dissereret, si posset; non aliter asinus. Utinam verè cogitarent, exclamat Augustinus serm. 120. de diversis, se cras esse morituros: quis enim tam demens, atque perversus est, quis tam hostis animæ suæ, qui crastino die moriturus, non cogitet finita esse omnia propter quæ laborat? sic enim scriptum est: *In illa die peribunt omnes cogitationes eius.* Et si homines propter eos quos hîc relinquunt, testamenti curam gerunt, imminenti die mortis suæ, quantò magis debent de anima sua aliquid cogitare? Cogitat homo quos relinquat, & se qui hæc omnia relinquit, non cogitat. Ecce habebunt filij tui quod dimittis, tu nihil habebis: utinam ergo esset cogitatio de morte. Et ipsa hoc novit impietas, & dicit: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Sed quàm meliùs ait Augustinus: oremus & jejunemus, cras enim moriemur. Sic enim Isaias capite 22. *Et vocavit Dominus Deus exercituum in illa die ad fletum, & ad planctum, ad calvitium, & ad cingulum sacci: & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum: comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Certè in morte planctus & afflictio; hoc in more omnium hominum, ex mortis cogitatione naturaliter sequitur luctus & tristitia: impius autem inde trahit luxum & tripudium: ubi mens? ubi sensus? Quia (inquit) si mors omnia finit: saltem dum licet, bonis utamur. Sed si non omnia finit mors, quanta tua erit deceptio, ô impie? Sed verò etiam (ais) si mors omnia finit, quanta fuerit vestra quoque deceptio? Ita ne verò nos paribus decertamus armis, & quod affero, quod credo, tam incertum est, atque dubium, quàm quod credis? At quibus tu niteris fundamentis? certè futilibus, ambiguis rationibus, atque incertis: ego verò innumeris oraculis, miraculis, rationibus, & probationibus;

bus; unde Augustinus loc. cit. de diversis. Confirmata fides est, non solùm in cordibus, sed etiam in oculis hominũ; ascendit ille in cœlum qui hæc demonstravit, misit Spiritum Sanctum discipulis suis, prædicatum est Evangelium: si mentimur hæc, interroga orbem terrarum: multa quæ promissa sunt, facta sunt; multa quæ sperabuntur, impleta sunt, in fide Christiana totus orbis viget, &c. Testimonium in cælo, testimonium in terra, testimonium ab Angelis, testimonium ab inferis: Quid remansit, quod non clamet? & tu dicis, manducemus, & bibamus, cras enim moriemur! Sed age, fingamus nos utrimque periclitari, nec me certiorem esse, quàm tu sis: age amabo, cuius maior est atque tutior prudentia, tua, an mea? Quid tu obiicis periculo, quid ego? tu æternitatem, ego tempus: tu res summas, ego res vilissimas; nam, ego deceptus sim; quamquam quomodo possum? sed fingamus in tui gratiam; cuius tantem rei feci iacturam? voluptatem, delitiarum, & an omnium? certè tantùm illicitarum & probrosarum. Iterùm, nulla sit altera vita; cuius nostrum melior atque optabilior erit vita? nonne casta melior impurâ? an non melior iusta eâ quæ est iniusta? nonne est melior temperantia intemperantiâ? & sic de cæteris: vel te iudice & approbatore? Vides itaque me non esse deteriori statu. Sed jam sortem inverte? Si ergo deceptus non sum, sed tu, quo tandem loco res tuç erunt? quò deveneris? quæ tua desperatio? *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore*, &c. Ac vide an non sit mera stultitia ob rem nihili, & fundamentum incertum, se rei tantæ, tàmque gravi obiicere. Sed quid arguo stultitiæ, cùm magna sit impietas? itaque ne leve crimen putares, postquam Isaias vocem impiorum attulit: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Subijcit: *Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum: si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum:* hoc est, juro quia non dimittetur vobis hæc iniquitas: etenim: ut ait ibidem Propheta: *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum & ad planctum, ad calvitium, & ad cingulũ sacci: & ecce gaudiũ & lætitia.*

Superest itaque tertia mortis consideratio, nempe Christianorum propria, qui religiosè mortem intuentur; unde sacros cineres adhibet Ecclesia, ut significet se mortem religiosè & sanctè intueri.

Itaque 1. si mortis causam aspicit, non tam causas naturales & externas attendit, quàm causam occultam solâ fide cognitam, secundùm illud Sap. 2. *Deus creavit hominẽ inexterminabilem: invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Et illud Apost. Rom. 5. *Per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit.* 2. Si qualitatem, novit esse finem vitæ mortalis, initium autem beatæ: quod quia ignorarunt impij, rectè ait Sapiens c. 2. *Nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.* Eodem modo quascumque trahit consequentias, illæ omnes pertinent ad religionem, uti præcedenti concione ostendimus. Tu vide quam trahere velis.

Alius enim rerum omnium contemptum, & abdicationem elicit Job. 27. *Divus cũ dormierit, nihil secum auferet.* Et Luc. 12. *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, & quæ parasti, cuius erunt?* Ps. 48. *Relinquent alienis divitias suas:* Ps. 38. *thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* Hieronymus epistolâ ad Cyprian. Qui se quotidie recordatur moriturum, cõtemnit præsentia, & ad futura festinat: Alius reconciliatur inimico, sciens hominis mortalis non debere inimicitias esse immortales. Ad hæc, si Sol non debet occidere super iracundiam; multò minùs vita: denique cùm reconciliatio fieri debeat intra vitæ terminum, si aliquis ocupetur à morte, non valet excusatio coram Deo, quòd fuerit deprehensus, postquam Christus admonuit: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Plura addi possunt ex mortis utilitatibus.

Huc usque diximus cur sacri cineres adhibeantur, illud alterum sequitur, ut videamus cur initio Quadragesimæ.

1. Ratio esse potest: quia mors & abstinentia eodem die nata sunt in Paradiso, nimirùm ex Dei præcepto; ubi enim est præceptum, oportet sit vis coërcendi; illa autem est potestas pœnam infligendi: ut autem primum præceptum fuit jejunij: (unde Basil. oratione 1. de jejunio. Reverere jejunij canitiem: tam vetus est, ut simul cum homine condito cœperit: in Paradiso præscriptum est: primum illud præceptum accepit Adam, ne de ligno scientiæ boni & mali ederet, hoc autem verbum, non edetis, jejunij & abstinentiæ lex est:) ita primum supplicium fuit mors, secundum illud, *in quacumque die comederis, morieris:* ideò de Adamo scripsit Tertullianus libro de jejunijs capite 3. Salutem gula vendidit; manducavit denique & periit, salvus alioqui si uni arbusculæ jejunare maluisset. Bene igitur initio Quadragesimæ cineres, & abstinentia simul obiiciuntur, ut memineris defectu abstinentiæ, mortem venisse, & remedium mortis, esse abstinentiam: Tertull. loco citato: Teneo igitur à primordio homicidam gulam, tormentis atque suppliciis inediæ puniendam; etiamsi Deus nulla jejunia præcepisset, ostendens tamen undenam sit occisus Adam, mihi reliquerat intelligenda remedia offensæ, qui offensam demonstrarat.

Secunda ratio, quia ex Sancto Hieronymo; hic est habitus pœnitentium, quod ut meliùs intelligatur.

Nota 1. cineris aspersionem in capite adhibitam in Scriptura, ad significandum dolorem suum, vel in propria, vel in aliena calamitate: in propria quidem 2. Reg. cap. 13. ubi sermo de Thamar oppressa & violata: *Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens, & clamans.* In libro Ester cap. 4. de Mardochæo: *Scidit vestimenta sua, & indutus est sacro, spargens cinerem capiti.* Jeremiæ 6. dum invitat ad luctum; *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere; luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super nos.* Et cap. 25. *Ululate pastores, & clamate, & aspergite vos cinere, optimates gregis.* Thre-

Threnorum 2. *Consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis.* Ezech. 27. *Clamabunt amarè, & superiacient pulverem capitibus suis, & cinere conspergentur.* In aliena quoque calamitate moris id fuisse constat ex Scriptura: sic Ezech. 27. postquam Propheta prædixit vastationem Tyri, subdit quòd Magnates ipsius cinere se conspergent; nam pulveris aspersio, eiusdem damni communicationem importat, quæ solatium quoddam miseris afferre solet. Hac primùm ratione Jobum consolabantur amici; cùm enim eum vidissent, scissis vestimentis, tonso capite corruisse in terram, ac pulvere respersum dicere c. 1. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* c. 2. *Ipsi quoque exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus, sparserunt pulverem super caput suum in cœlum.*

Nota 2. non modo in Scriptura, sed etiam apud prophanos Authores, hunc morem fuisse usitatum in luctu, & mœrore summo: Ita apud Poëtam de quodam duce.

Canitiem multo deformat pulvere. Et id alij passim.

Nota 3. Hinc tractam fuisse illam ceremoniam, ad significandam & agendam pœnitentiam.

1. Quia pœnitentia gravissimus luctus est; nulla enim pœnitentia sine dolore; dolor autem iste debet esse omnium maximus; quia de summo malo, nempe de peccato: at nemo summum dolorem tenere potest, quin foras erumpat, & inter reliqua signa fuit illa cineris aspersio: Hinc illud Jobi capite 42. *Ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Et Jonæ 3. ubi fit mentio pœnitentiæ Regis Ninives, scribitur: *Surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum, à se & indutus est sacco, & sedit in cinere.*

2. Quia in pœnitentia tria potissimùm spectantur: imprimis, ut Deus offensus placetur. 2. ut peccator puniatur. 3. ut homo à peccato removeatur: quæ omnia maximè istâ ceremoniâ complentur. Nam quoad primum attinet, ut Deus offensus placetur, id impetrat homo. 1. ex cognitione suæ infirmitatis, cujus symbolum favilla, & cinis: quasi deprecetur veniam culpæ admissæ ex infirmitate. Ita Jobus capite 10. *Memento quæso quòd sicut lutum feceris me,* id est, ex pulvere coagmentatum, *& in pulverem reduces me.* Et cap. 30. *Comparatus sum luto, & assimilatus sum favillæ & cineri:* unde in fine historiæ excusans culpam, ait: *Et ago pœnitentiam in cinere, & favilla.* Quasi diceret, si non ob prioris vitæ delicta, at saltem propter loquendi imperitiam, his plagis meritò afficior: si non ob ea quæ mihi adversarij affingunt, at propter humanæ conditionis imbecillitatem sedere in cinere, ac pulvere non recuso. 2. cùm miser mortalis homo, pulverem, vel cinerem capiti suo aspergit, suam originem, & quid etiam de se futurum sit, Deo ex alto prospicienti ostendit, quo divinam misericordiam erga miserrimum, & pulverulentum hominem excitet; nam solet miseriæ ostentatio ad misericordiam incitare. Hoc validissimo argumento divinam opem Jobus implorabat: *Memento quæso quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.*

Hoc

Hoc etiam usæ sunt orationis rhetorico colore sanctæ mulieres Iudith, & Esther; de prima enim sic dicitur capite 9. *Iudith ingressa est oratorium suum, & induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum, dicens.* De altera verò legimus cap. 14. *Pro unguentis variis cinere & stercore implevit caput & corpus suum humiliavit ieiuniis, omniaque loca in quibus lætari consueverat: crinium laceratione complevit.* Ita Iobus cap. 16. *Saccum consui super carnem meam, & operui cinere carnem meam.* Ita Ninivitæ Ionæ 3. *Et prædicaverunt ieiunium, & vestiti sunt saccis*, &c. Denique de Tyriis & Sidoniis affirmat Christus Matth. 11. Si in illis factæ fuissent virtutes, quæ in Corozain, vel Bethsaida factæ fuerant, olim in cinere & cilicio pœnitentiam fuisse facturas. Igitur ex vilissima sui origine, & ex fine atque exitu, in quem redigundus est, ostendit se indignum esse, in quo destruendo Deus ostendat potentiam suam: ita divinæ iræ obiicit creatura propriæ abiectionis, & miseriæ assiduam meditationem. Iobus capite 13. *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris.* Et cap. 7. *Ecce nunc in pulvere dormiam, & si mane me quæsieris, non subsistam.* Cùm itaque peccator ostendit se Deo tanquam pulverem & cinerem, suam imbecillitatem Deo exhibet, ut qui sit *tanquam pulvis quem proiicit ventus à facie terræ;* & à quo nihil propterea sit timendum. 3. Eâ ratione ostendit se eò redactum, ut iam peiùs tractari non possit, quod optimè pulvere & cinere indicatur; duo enim mala, quasi cuidam urbi minatur unicuique Deus, incendium & ruinam. Ita Isaiæ 30. *Auditam faciet Dominus gloriæ vocis suæ, & terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris & flammæ ignis devorantis, allidet in turbine, & lapide grandinis.* Sed contra hæc potentissima divini brachij tela, scutum, & galeam adinvenit humana miseria, nempe cineres, quos non ampliùs comburit ignis, & pulverem quem non comminuit turbo, neque côterit grando, nempe nostri nihili considerationē. Ad hæc quid contra flammam devorantem meliùs ponas, quàm cinerem, qui ab igne non corripitur, cùm sit totius succi, & pinguedinis expers? contra turbinē & grandinem collidentem, quid meliùs obiicias, quàm pulverem, qui ulterius conteri, & collidi non potest? Vt igitur cinis ignem, & pulvis grandinem facile evadunt: ita Deum iratum facilè effugiunt pœnitentes & mœrentes.

5. Eâ ratione pœnitentes se Deo exhibent tanquam mortuos, & in pulverem redactos, ut sic divinam clementiam, atque misericordiam alliciant, quæ non patitur, ut in mortuos sæviatur.

Denique uti advertit Pineda in caput 32. Iobi: sicut igne & aquâ ita etiam aspersione terræ & cineris, criminum purgationis fiebant: quare parricidium quasi crimen inexpiabile, terrâ carere voluerunt, ut scribit Clemens Alexandrinus 3. pædag.

Quoad secundum quod spectat peccatoris pœnam, non dubium quin eâ ratione puniatur.

1. Quia sic abiicitur quidquid ad delitias pertinet. Quare fermè cineres & ci-

& cilicium conjunguntur in Scriptura Judith. 4. *Præcincti ciliciis offerebant sacrificia Domino, & erat cinis super capita eorum.* Et in libro Esther capite 4. de aliis Judæis: *Sacco & cinere multis pro strato utentibus.* Lucæ 10. *Olim in cilicio, & cinere sedentes pœniterent:* & alibi passim.

2. Quia sic anima humiliatur, dùm eò se redactam agnoscit, quasi nihil sibi superesset, nisi de incendio cinis, quò omnis sua gloria redacta sit. Sic illa apud Tragicum: Complete manus, hoc ex Troja sumpsisse licet. Et quidem anima, quę spiritus est immortalis, in pœnam sumere potest, & debet videre se junctam corpori perituro: nec meretur parùm, si id ex sensu humilitatis Christianæ patitur.

Quoad tertium, nempe hac ceremonià hominem à peccato removeri, jam antea diximus; nempe ob mortis memoriam: Nam ita indicat homo se consimili statu esse, quo mortuos, & redactos in cinerem, ac favillam; quare non alio habitu se Deo conspiciendum præbet, quàm sub cinere, sub pulvere, sub favilla: cùm itaque pœnitentiæ agendæ præceptum nobis sit impositum, & in vita nullum sit tempus determinatum, hoc nobis determinat Ecclesia in Quadragesimâ; atque ut illud indicet, nos ipso initio, & quasi à januâ, habitu induit pœnitentiæ, dùm cineres capiti imponit. Hinc in Epistolâ, verba Ioël Prophetæ vsurpat, *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, &c. Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo, inter vestibulum, & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent. Parce Domine, parce populo tuo.*

Quę cum ita sint, Auditores, in quale tandem tempus pœnitentiam differimus, cùm non jam consilij sit, sed necessitatis. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Nunc illud tempus, de quo dicitur: *In tempore accepto exaudivi te:* Ad quod nos Ecclesia ipso habitu, vocibus, & suis ceremoniis invitat: quorsum enim tibi cineres proponit, nisi ut te moneat eius statum, ad quem te vocat?


Certè cùm variæ tibi sint occasiones agendæ pœnitentiæ, 1. Sanctorum exempla; quid enim illi non præstiterunt? omnis generis, conditionis, ætatis, sexus 2. peccatorum nostrorum horror; nam cum aliquando pœnæ luendæ sint, num tibi videris satis nominum contraxisse? 3. Christi Domini Passio, ex quâ discis quid meruerint peccata & cui tandem similis esse debeas, ne sis parum conveniens sub spinoso capite membrum delicatum. 4. magnitudo gloriæ. Etenim Rom. 8. *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* 2. Cor. 4. *Momentaneum enim & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 5. Inferorum pœnæ, quid enim ad earum aspectum grave esse potest? Nihilominus tamen nihil magis mortales commovere solet ad pœnitentiam, quam mortis consideratio, & vitæ brevitas: Quid enim corpus, & carnem eximimus, quæ brevi in putredinem corrumpenda sunt, & in pulverem dissolvenda? Quid ad saginam vivis, ut mortem abundantiùs pascas,

ut vermibus convivium pares, ut majus & morti & ſepulchro trophæum inſtruas? times pallorem, mox erit unicus ille tuus color, vereris maciem, hic erit habitus corporis tui : vis oculis placere, mox eoſdem tuo cadavere offenſurus : Adi corpora mortuorum, etiam pulcherrima, quàm fœda, quàm horrenda: times carnem delicatam divexare? vide cuius ſit æſtimationis : etenim qui ſe blandiùs diligunt, in terram defodiunt, miſcent pulveri, vermibus exponunt: Quid ni itaque opus neceſſarium aggrederis ? nam ſi nunquam vis aggredi, neceſſe eſt ut pereas: ſecundùm illud Chriſti Domini. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Quod ſi aliquando, certè hoc tempore: niſi iſto facias, quæ ſpes unquam, cùm te ad hoc omnia premant.

Quod ſi facere decreviſti, vide quid aggrediaris? non habitum tantùm, ſed animum gere pœnitentis. Non tantùm ad ceremoniam ſint in capite tuo cineres, ſed de facto corpus tuum divexa, jejuniis, oratione, vigilia, cilicio, ſacco, flagellis, pœnitentiis. Neque hoc tantùm, ſed quia vera pœnitentia ſedem habet in corde. *ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*, germana pœnitentiæ eſt humilitas, atque animi demiſſio, quæ ſignificatur per cinerem ſecundùm illud Job. *Comparatus ſum luto, aſſimilatus ſum favillæ, & cineri.* Tu itaque animum gere humilem, atque demiſſum : vera pœnitentia vindictam neſcit, ſed veniam poſtulat. Tu omnibus ignoſce, ac tibi ignoſci poſtula: vera pœnitentia delitias neſcit, jocus, riſum, voluptates, ſed amat ſolitudinem, luctum, lacrymas, planctum, ſuſpiria, orationem.

***





FERIA QUARTA CINERUM,

CONCIO

DE CONVERSIONE HOMINIS, PER POENITENTIAM.

Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, &c. Quis scit si convertatur, & relinquat post se benedictionem? Joëlis 2.

QUAM dissimilis est hesternæ ac hodiernæ diei status: Illa fuit dissolutionis, hæc modestiæ. Illa peccati, hæc pœnitentiæ. Quid enim aliud præ se fert omnis ille Ecclesiæ apparatus? color iste in altaribus, in mensis jejunia, in templis conciones, lectiones, ac Evangelia, nihil itaque mirum si à pœnitentiâ initium ducam post petitum lumen. *Ave Maria.*

ECCLESIA nobis hodie proponit luculenta duo facinora, unum est Dei in creaturam; alterum est creaturæ in Deum: Primum teminantur ad conversionem hominis: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jeiunio, & in fletu, & in planctu:* Secundum terminatur ad conversionem Dei. *Quis scit si convertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem?* Vtraque autem cõversio fit per pœnitentiam, quæ homini, & Deo cõvenit, secundùm Ieremię verba cap. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui ut facerem ei.* Incipio à priori, atque hanc propositionem profero, conversionem hominis esse unum è maximis Dei facinioribus.

I. Ratio petitur ex parte principij, nẽpe omnipotẽtię, misericordiæ, & justitiæ, ut scias ab omnipotẽtiâ, habere, ut summum sit opus: à misericordiâ, ut sit summè amabile: à justitiâ, ut sit sanctissimum.

Quoad omnipotentiam attinet, canit Eccles. 10. Dominicâ post Pentec. Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas. Et Sap. 11. *Misereris omniũ quia õnia potes. & dissimulas peccata hominũ propter pœnitẽtiã.*

Et c.12. *Ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.* Et Ecclesiastici cap.2. *Secundum magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius, cum ipso est*: Et David Psal.61. *Quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia*, quasi dicat. Ideo ista, quia illa. Sed vide rationes.

1. est, Quia eius tantùm est posse parcere, qui punire potest: Is autem punire tantùm potest, qui superior est, & cui nemo resistere potest; verè itaque dictum est à Sapiente. *Misereris omnium quia omnia potes.* Miseretur enim qui se ulcisci potest.

2. Quia cùm possit omnia, summam & Regiam habet potestatem quæ per se non ordinatur ad puniendum, sed ad benefaciendum: itaque in parcendo ostendit suam potentiam; ideò enim parcit, & miseretur, quia punire potest, & non ulciscitur, quia potest ulcisci, nempe suâ utens potestate ad miserendum non ad ulciscendum, quâ ratione peccatores ad se revocat: præclaro Regibus documento, ut ad imperandum, clementiâ magis, quàm justitiâ uti velint; illâ enim splendidiùs coronâtur, quàm auro, & gemmis: quare propria Regum corona est Clementia. Vnde Seneca lib. de Clementiâ cap. vlt. Nullum ornamentum Principis fastigio dignius, pulchriusque est, quàm illa corona ob cives servatos: non hostilia arma detracta victis, non currus Barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia: hęc divina potẽtia est, gregatim & publicè servare. Quasi diceret, occidere, spoliare, vincere, humanum quid est, at servare, parcere, & indulgere divinũ: Idem lib.4. de Benef. cap.16. agens quomodò Deus Bonis & malis benefaciat; Bona sua per gentes, populosque distribuit, unam sortitus potentiam, prodesse.

3. Quia uti inferiores Iudices punire possunt, & non possunt parcere, sed is tantùm qui Regiam & summam habet potestatem; nam cæteri legibus tenentur, leges autem non parcunt, sed puniunt; at qui summæ est potestatis, is non tenetur legibus, itaque nec punire tenetur, sed potest parcere; quare si punit, secundùm leges facit, & in hoc non utitur summâ suâ potestate, sed si parcit, cùm non id faciat secundùm leges, id facit usu summæ potestatis: Ita Deus, &c. quare rectè dicitur *Misereris omnium, quia omnia potes.*

4. Rationem suggerit Sapiens cap. 11. *Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.* Cantacuzenus: optimum procurationis genus est sua non velle destruere.

5. Quia nimirum ostendit se vinci non posse, neque peccatis hominum, neque irâ ac vindictâ, quod solent homines, quos ira facit sui impotentes: Itaque Moyses sic eum compellat Exod.34. *Dominator Domine. Deus, misericors, & clemens:* priùs dominatorem, & Dominum vocat, posteà misericordem & clementem: & Apostolus Rom.9. *Volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ:* certè non posset alius præter Deum omnipotentem tot ac tam graves injurias tolerare: unde apud Osee cap. 11. *Non faciam furorem iræ meæ, non cõvertar, ut disperdam Ephraim. quoniã Deus ego, & non homo.*

6. Quia

6. Quia solius Dei est peccata dimittere:unde in Evágelio, *Quis est hic qui etiam peccata dimittit?* & Matth.9.Scribæ & Pharisæi Christum blasphemare dicebant cùm peccata remiteret:unde cũ miraculo id se posse confirmavit: *vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, tunc ait Paralytico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam. Videntes turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*

7. Quia id opus superat mundi creationem, hoc est, Angelorum, hominum, & rerum omnium creationem, immò rerum omnium possibilium in ordine naturę,unde non est opus à Deo ut authore naturæ, sed ut ab authore supernaturali.Cogita quanta sit latitudo ordinis natutalis, & quo progrediatur omnipotentia in rebus naturalibus,in miraculis, & in rebus extraordinariis: unius peccatoris conversio hæc omnia eò usque superat, ut sit alterius ordinis.

Quod ad misericordiam spectat id probatur 1.ratione veri, & summi objecti, est enim peccatum sola vera, & summa miseria, à qua liberati non potest homo, nisi solâ misericordiâ. Etenim finge Deum omnia habere præter misericordiam, certè nunquam parceret:Ita quibus misericordiam non impertivit,illis non dedit pænitentiæ locũ, & consequenter neque veniam: 2. Ratione modi, nempe per pœnitentiã, quæ à Deo, ut bono proficiscitur.Præclarum est quod legitur in Talmud Hierosolymitano in libro Macchot. idest flagelorum,ubi explicantur verba Psal. 24. *Bonus, & rectus Deus, propter hoc docebit errantes viam:* Illa enim via explicatur pœnitentia.Quæsitum quippe à sapientiâ, quæ sit peccatoris condemnatio?& dixit quærentibus, id quod scribitur Proverb.13. *Peccatores persequetur malum:* Quæsierunt à Prophetâ,quæ esset peccatoris condemnatio: Et dixit Ezechiel cap.18. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*: Interrogaverunt quoque Legem dicentes, Quæ est peccatoris condemnatio? & respondit ei, offerat sacrificium,ut remitatur ei,ut scriptum est Levit.1. Interrogaverunt denique Deum sanctum, & benedictum. *Quæ est peccatoris condemnatio? & dixit eis agat pœnitentiam, & ignoscetur ei,* & hoc est quod scriptum est in Psalm.24. *Bonus,& rectus, propterea dabit errantes vel peccatores viam, vel in viâ,quia ipse ostendet peccatoribus viam agendi pœnitentiam:* unde patet pœnitentiam venire à Deo ut bono, & misericordi.

Quod ad iustitiam attinet, idem facile probatur, Quia per solam peccatoris conversionem per pœnitentiam ponitur æquale, & reparatur injuria,& nunquam alio modo, nam per punitionem, etiam inferni, non ponitur æquale.1.Quia semper manet offensa.2. Quia non idem qui offendit satisfacit, neque enim creatura per libertatem satisfacit,sed per coactionem,non volendo,sed patiendo, unde necessitas æternitatis, quia Creatura semper debet,ac nihil exsolvit,sed per pnœitentiam æqualitas ponitur: nam per pœnitentiam perfectam tollitur offensa: idem satisfacit,qui peccavit;uti anima liberè

à Deo recesserat, ita libere redit ad Deum: Eadem ponit æqualitatem in pœnâ, unde Tertull. ait pœnitentiam idem facere, quod facit justitia, sæviendo in peccatorem: ex quo patet summum opus esse justitiæ.

Cùm itaque actiones Dei externæ proficiscantur vel ab omnipotentia, vel à bonitate, & misericordiâ, vel à justitiâ;(nam spectata in se,& absolutè, proficiscuntur ab omnipotentiâ: si spectentur relativè, vel sunt gratuita, vel debita: si sunt gratuita, originem habent à misericordiâ: si sunt debita, justitiam respiciunt:) facilè concluditur ex ratione principij, conversionem peccatoris esse magnum Dei opus.

II. Ratio petitur ex parte resistentiæ, quam Deus patitur, qualem non habet in operibus aliis, cui scilicet nec nihilum in creatione, nec ulla creatura obsistit: unde quælibet respectu Dei ad quidlibet habet potentiam, quam vocant obedientialem, *Tibi enim subest cum volueris posse*: sed cum liberum arbitrium alio modo moderetur, illud sine pugnâ quâdam & victoriâ non flectit: unde sic loquitur Sapiens: *Tu autem Dominator virtutis cum magna tranquillitate judicas, & cum magnâ reverentiâ disponis nos.* Porrò eiusmodi resistentia quam in peccatoris conversione experiri solet, ut & violentia quam infert, multiplex esse consuevit; sed triplicem tantùm afferre hîc placet.

1. Est ex parte diaboli, à quo invito, & repugnante suos electos Deus eripit secundùm illud Joan. 12. *Nunc judicium est, mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras: Et ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum:* Chysost. homil. 66. in Joan. Traham (inquit) tanquam à tyranno detentos, & per se minimè potentes eius manus effugere, ut potè repugnantis. Alio loco rapinam appellat. Nemo potest spolia fortis rapere, nisi priùs alliget eum, & tunc rapiat: Hæc autem ad illius violentiam ostendendam dicit, ut illic rapinam, illic tractionem appellaret. Huic principio innititur tota parabola de forti armato custodiente atrium suum: Hinc existunt illæ acres plerùmque pugnæ in quorumdam conversione: Ita cum primò castitatem vovit B. Ignatius, tota domus concussa est. Huc pertinet violenta vis quæ infertur domo, parentibus, amicis, amatoribus, qui modis omnibus bonum sæpè impediunt, secumdùm illud Christi Domini, Matth. 10. *Inimici hominis domestici eius*: vel suis lachrymis & eiulatibus conantur impedire: cuius figuram habes in Apocalypsi cap. 18. ubi ad conversionem Romani Imperij, quæ per casum Babylonis designatur: *& flebunt* (inquit) *& plangent se super illam Reges terræ, qui cum illâ fornicati sunt, & in delicijs vixerunt, cum viderint fumum incendij eius*: Et ut indicet idem, de ijs, qui aliquid emolumenti percipiebant, *Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam: quoniam merces eorum nemo emet amplius; merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci, &c. Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te, & omnia pinguia, & præclara perierunt à te, & amplius illa jam non invenient:* cuius rei possem varia exempla vobis afferre.

2. Ex parte vitiorum & concupiscentiarum, quibus vim infert Deus, homines

mines excitando ad illas mortificādas. Nam ab exaltatione Christi Domini in cruce, multò magis quàm à diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur: ubi mortificationis violentiam passim S S. Patres intelligunt: Quò enim Dei vocatio pertinet, nisi ad mortificanda membra super terram, in quibus regnat concupiscentia.

3. Ex parte ipsius voluntatis cui etiam violentia fit, ratione dispositionis contrariæ & reluctantis, quam debellat victrix gratia, & præpotens vocatio: unde ex eo commendatur, quod licèt obstacula reperiat & voluntatem contradicentem, omnem tamen difficultatem perrumpat, secundum illud orātis Ecclesiæ. Et nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates: dùm enim ex nolentibus volentes facit, nolentes aggreditur, quod verbum (trahendi) rectè significat, quandoquidē quandā coactionē importat. Chrysost. serm. 10. in Psal. 18. Attrahit nolentes: nemo dicat, non vult, quia & Abraham, ut offeret filium, colliavit: Et Loth Angeli ut subtraherent flammis, extractum manibus sustulerunt. Et Petrum Dominus, ut iret ad martyrium, quo nolebat, auxilij sui virtute, præcinxit dicens: *alius tecinget, & ducet quò tu non vis*: Et Pater cœlestis non solum volentes suscipit, sed attrahit & nolentes, dicente filio: *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eū:* Id significatum in parabolà invitatorū ad cœnam, ad quam invitati noluerunt venire, coacti autem venerunt: ubi adverte discrimnen vocandi, nam qui noluerunt venire, invitati tantùm sunt & admoniti temporis veniendi, quia omnia parata sunt: potuerunt autem venire si voluissent; sed non sunt introducti, & coacti. *At iratus Paterfamilias*, significatur affectus ad superandas difficultates, servo præcepit: *Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles & cæcos & claudos in introduc huc*; videlicet non iam expectans, ut ipsi venirent proposità sibi vocatione convivij; quia nec pauperes auderent, nec debiles ac claudi dossent incedere: nec cæci viderent lucem, ac ianuam, si servus vel momento dimitteret: opus igitur fuit ut manu traheret, donec ad cœnam venirent: Itaque in iis maioris virtutis elucet vocatio qui plus habent resistentiæ, utqui in viiis & sepibus erant, intrare compelluntur, qui eos significant, quos Deus permisit maioribus retineri impedimentis, & vitiis, quibus posteà coactionem, infert, ut mutentur: plerūque enim reluctantibus hominibus, à Deo, & ab eius ministris obtruditur opportunè, & importunè prædicatio veritatis, in crepatio, suasio, obsecratio, exempla, miracula, flagella, beneficia, occasiones salutis, immò etiam interiores illustrationes, vehementes impulsus, & exuberantes suavitates, quibus tandem efficitur, ut appetatur avidissimè quod anteà fastidium & nauseam peccatori provocabat: Orig. homil. 25. in Num. loquens de Christo: Liberi arbitrij est, anima, & in quam voluerit partem est ei liberum declinare. Subdit: Quodammodò vim nobis fecit, ut nos pertrahat ad salutem. Id probat infrà: quoscumque inveneritis, cogite intrare; sic ergò non solùm invitamur à Deo,

à Deo, sed & trahimur & cogimur ad salutem: quomodò autem id fiat, quis explicet? unde Prosper lib. contra Collator. cap. 14. Quis perspicere, aut enarrare possit, per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat, sequatur, quæ oderat, diligat; quæ fastidiebat, esuriat, ac subitâ commutatione mirabili, quæ clausa ei fuerant, sint aperta; quæ onerosa, sint levia; quæ amara, sint dulcia, quæ obscura, sint lucida: *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem spiritus dividens singulis prout vult.* Quantum exemplum habemus in Augustino, qui voluntatis suæ, & gratiæ pugnam tam scitè descripsit.

III. Ratio petitur ex parte victoriæ; & quidem si auderem, dicerem etiam in ipso Deo qui parcit? nam quantum illud est, ut Deus sic offensus, sic justus, sic rectus, odisse desinat? Exemplum in creatura. Certè ægerrimè parcimus offensi: itaque Apostolus Rom. 5. *Commendat autem Deus charitatem suam in nobis, quoniã cùm adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Neque enim Deus uno tantùm attributo, peccato repugnat, ut errori per sapientiam, infirmitati per potentiam, sed omnibus attributis, & ipsâ suâ naturâ. Itaque necesse est ut quasi seipsum vincat Deus, ut parcat. Sed vide alterã victoriam. 1. in vindicta, certè maior est quàm in inferno, ubi durante etiam pœnâ, non tollitur rebellio, unde non perfecta victoria: immò, quod maximè displicet, manet: & quod solum amabatur, punitur. Manet enim peccatum, & peccator punitur: quod cõtra fit per remissionem, & pœnitentiam; quapropter in Scripturis remissio peccatorum exprimitur per ruinas, per debellationes, per incendia, per conflagrationes, Isaiæ 34. *Indignatio Domini super omnes gentes, & furor super universam militiam eorum: interfecit eos, & dedit eos in occisionem, &c. Quia dies ultionis Domini annus retributionum judicij Sion, &c. Nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus eius.* Nomine Idumææ intelligit Montanus Romanum Imperium: Romam in urbe Bosra; incendium in igne Evangelij: Sophon 3. *In fine zeli mei devorabitur omnis terra, quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno:* de igne Evangelij interpretatur Hieronymus: item in Apocalypsi, cùm sub figura Babylonis, Romæ casus narratur, & dicitur fumus incendij illius duraturus in sæcula: non potest intelligi de materiali incendio, sed de spiritali. Item cùm dicitur decima pars Jerusalem corruisse, non intelligitur de materiali ruina, cùm tota fuerit destructa, quo tempore scripta fuit Apocalypsis: dicitur tamen Deus vindictam sumpsisse, cùm decima pars civitatis cecidit; quæ ruina mystica est, juxta Isaje vaticinium cap. 6. *Adhuc in ea decimatio, & convertetur.* Conversionem autem sic exprimit Apocal. 18. *Et igne comburetur, quia fortis est Deus, qui judicabit illam.*

2. Vide certam victoriam in dominio, & subjectione; cùm enim creata omnia Deo perfectè sint subjecta, una hominis voluntas, Dei voluntati rebellis esse potest, vi liberi arbitrij: ac licet trahi possit, quò non vult duci, manet tamen libera voluntas sui iuris: si vo-

ſi volet; non quidem Dei damno, ſed ſuo: ſed ſi perire volet, neceſſe eſt ut pereat: Porrò Deus non eſt Dominus liberi arbitrij, niſi per gratiam, & liberi arbitrij peccatoris per pœnitentiam; quâ ratione Deus, libro contra Collatorem cap.6. Non reſiſtentem invitumque compellit, ſed ex invito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatẽ reſiſtentis inclinat, ut cor audientis, obediendi in ſe delectatione generatâ, ibi ſurgat, ubi premebatur: ibi diſcat, ubi ignorabat: ibi fidat, unde diffidebat: inde velit, unde nolebat: etenim *Dominus dabit ſuavitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum:* unde congratulatio illa ſolemnis in cœlo: *Et maius gaudium ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.*

IV. Ratio petitur ex ratione terminorum, nempe ob diſtantiam; unde mirabilior mutatio: plus enim diſtat peccatum à gratia, quàm non ens ab ente: unde ſicut in productionibus omnium difficillima eſt creatio, propter terminorum ſummam diſtantiam; & ſicut in miraculis illud eſt maximum, ubi maior eſt mutatio, & illa maxima, ubi termini maximè diſtant: ita ſumma mutatio eſt ex peccato ad iuſtitiam, & hoc ſignificat, *maius gaudium ſuper uno peccatore, quàm ſuper nonaginta novem iuſtis qui non indigent pœnitentiâ:* Sic æſtimamus miracula, & plus nos movet aquarum ſoliditas in tranſitu filiorum Iſraël, quam ſoliditas terræ: plus aqua ſcaturiens è rupe, quàm magna flumina: plus ignis devorans filios Aaron, & rebelles in ſeditione Core, quàm Æthnæ, & Veſuvij incendia.

V. Ratio petitur ab effectu qui producitur, nempe a gratia ſanctificante, quæ formalis eſt peccatoris iuſtificatio, quæ quanta ſit, vel hinc æſtima. 1. quòd ſit re omni naturali ſuperior: cõſidera omnes creaturas ſpiritales, & corporeas, & vide in eis naturàm, & ſtatum earum moralem, internum ob virtutes, & perfectiones: externum, ob dignitates. 2. Quòd nemo per ſe tantũ bonum mereri poſſit, quacumque induſtriâ, quocumque labore, quòdque creatura nulla pervenire ad illam poſſit; & tamen in creaturis præſertim ſpiritalibus quot ſunt perfectionis gradus? Eòdem pertinet quod nulli creaturæ quantumlibet perfectæ connaturalis eſſe poſſit.


3. Quod ſit ſtatus divinus, & participatio quædam divinæ naturæ, iuxta illud S. Petri: *Divinæ conſortes naturæ.* Denique quod ſit certum ius ad gloriam, certa beatitudinis expectatio, quodque nullâ re aliâ, quàm ipſo Deo immediatè poſſeſſo compenſari, vel æſtimari poſſit. Ex quibus omnibus vide num rectè propoſuerim illud, converſionem hominis peccatoris eſſe unum è maximis facinoribus Dei?

Hîc paulum ſiſtamus, Auditores: *Cui loquar, aut quem conteſtabor?* quis tanti operis materia obiectum eſſe vult. *Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate,* &c. *à ſæculo confregiſti iugum, dixiſti non ſerviam.* Nonne ſatis eſt te Deum ut authorem naturæ, ut benefactorem neglexiſſe, & donis eius omnib⁹ abuſũ eſſe: & in eius offenſiones convertiſſe? an non ſatis te Deum ut Legiſlatorem contempſiſſe, hoc eſt, leges ipſius, & mandata? ſed quàm iuſta, quàm æqua,

quám naturæ conformia, quàm rationi consentanea, quám facilia! *Probe est verbum in ore tuo, &c.* Num satis quod sequitur: tum minas, tum promissa? sed qualia? sed quanta? & in hanc vitam, & in alteram: & tempus, & æternitatem spectantia? Quid est quòd etiam ut authorem gratiæ negligere pergis, hoc est, ut omnipotentem, ut bonum, ut justum? Quid tandem expectas? an nescis alterum è duobus esse necessarium, ut fias, vel iræ atque vindictæ vas, vel misericordiæ? Quid necesse est ut Deus aliquando ex tuo supplicio gloriam quærat? atque idem tibi dicat quod Pharaoni, uti dicitur Rom. 9 *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in universa terra:* quod præstitit insigni eius calamitate, & supplicio: Sophoniæ 2. *Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo, ego sum, & extra me, non est alia amplius:* de Ninive loquitur potentissima & amplissima urbe Assyriorum: *Quomodò facta est in desertum, cubile bestiæ? omnis qui transit per eam, sibilabit, & movebit manum suam.* Jeremiæ 19. *Et ponam civitatem hanc in stuporem, & in sibilum:* de Jerusalem loquitur destruenda à Chaldæis: *Omnis qui præterierit per eam obstupescet, & sibilabit super universa [illegible] eius:* vide quàm illud sit dissimile: *Et erit gaudium in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Et tu quidem quid expectas, quid moraris? *Ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis.* Nunc illud tempus est de quo dicitur: *In tempore accepto exaudivi te.* Ad hoc enim nos Ecclesia, ipso habitu, vocibus & ceremonijs invitat; nam ut cætera prætercam, jejunium, lugubres vestes, conciones quotidianas; preces longiores, quorsum ipso in aditu Quadragesimæ, cineres tibi proponit, nisi ut te moneat eius status ad quem te vocat, nempe ad pœnitentiam? quippe cùm pœnitentia sit gravissimus luctus; nulla enim pœnitentia est sine dolore, dolor autem ille debet esse omnium maximus, quia de summo malo, nempe de peccato: & nemo summum dolorem tenere ita potest, quin foras erumpat: at inter signa doloris, fuit illa cineris aspersio: hinc illud Jobi cap. 42. *Ago pœnitentiam in favilla & cinere:* Et Jonæ 3. ubi fit mentio pœnitentiæ Regis Ninives, scribitur: *Surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.* Tria enim in pœnitentia potissimùm spectantur. 1. Ut Deus offensus placetur: 2. Ut peccator puniatur: 3. Ut à peccato removeatur; quæ omnia istâ ceremoniâ perfectissimè designantur, uti alia jam concione diximus. In hæc igitur tria seriò, seduloque incumbe, ut Deo quem toties tot peccatis offendisti, placato, pœnis quas peccando meruisti, vel omninò, vel saltem ex parte ultrò assumptis, peccandi in posterum voluntate sublatâ, gratus sis Authori gratiæ, sicque ad gloriam pervenias, quò nos perducat Pater, & Filius: & Spiritus Sanctus. Amen.

* * *

FERIA



FERIA QUARTA VEL QUINTA CINERUM,

CONCIO

DE QUADAM CONVERSIONE DEI PER pœnitentiam; quæ est continuatio præcedentis.

Quis scit si convertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem. Joël. 2.

ECCLESIA (ajebamus heri) nobis exhibuit duo magna, luculentaque facinora: unum Dei increaturas; alterũ creaturæ in Deum. Primum terminatur ad conversionem hominis; secundum ad Dei conversionem terminatur. Utraque cõversio efficitur pœnitentiâ. A priore incœpi, superest ut de altera hodie loquamur, nempe de conversione Dei, de qua id pronuntio: Magni operis susceptionem esse homini, efficere ut Deus voluntatem mutet, sed multò amplius, etiam eum cogere, ut pœnitentiam agat, sicut ipse loquitur cap. 18. Jeremiæ: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* Verùm si facinus illud magnum est, non est impossibile. Argumentum hoc admodùm sublime ac eminens est, sed magnæ etiam consolationis. Prima conditio attentionem vestram, altera voluntatis studium postulat.

Certum est 1. voluntatem Dei absolutam communiter loquendo, semper impleri. Probatur, quoniam Deus operatur per voluntatem, hæc autem est omnipotens; ergo semper assequitur effectum quem vult. Probatur consequentia; quia si non assequeretur effectum quem vult, id necessariò proveniret ex defectu potentiæ; siquidem supponitur non deesse voluntatem.

Confirmatur 1. quia volitio Dei est eius ultima determinatio ad operandum; quare si hac determinatione positâ non sequeretur effectus, proveniret vel ex mutatione voluntatis: sed permanere illam supponimus, cùm diximus absolutam: vel ex defectu potentiæ, vel ex impedimẽto ipsius; quæ omnia Deo repugnant: *Quis enim restitit ei?* ait Apostolus post Jobum.

Confirmatur 2. quia omnipotentia Dei non poteſt impediri in ſcipſa; ut pote quæ neque deſtrui poteſt, neque minui, neque debilitari, quemadmodum aut extinguitur ignis, aut minuitur calor, aut quantitas illius: neque etiã poteſt impediri in mediis per quæ agit, tum quia poteſt agere independenter ab illis: tum quia cum illis utitur, utitur ſummo jure, & illa expedire poteſt, & vim augere ut infallabiliter agant: itaque ſic loquitur Iſaiæ 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et Pſal. 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit*: unde Fulgentius lib. 1. ad Monimum c. 12. non eſt aliud in illo, velle, quàm poſſe: hinc iſta in Deo dicuntur mutuò, virtus voluntatis, & voluntas ipſa virtutis. Ibi nunquam deeſt voluntatis effectus; quia voluntas ipſa non aliud invenitur eſſe, quàm virtus: quidquid autem vult, poteſt, qui quantùm vult, tantùm poteſt: proptereà de eo ſolo dignè dicitur: *Omnia quæcumque voluit fecit.* Et iterùm: *Subeſt enim tibi cum volueris poſſe*: Ideò dixi tantam ipſi eſſe virtutem voluntatis, quanta eſt voluntas ipſa virtutis: quia cui ſemper ſubeſt cùm volet poſſe, non aliud eſt in illo velle quàm poſſe.

Certum eſt 1. ex priori propoſitione, neminem ſe opponere poſſe, aut impedire abſolutam Dei Voluntatem, Eſther 13. *In ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati*; & Judith. 16. *Tibi ſervit omnis creatura tua, quia dixiſti, & facta ſunt, miſiſti ſpiritum tuum, & creata ſunt, & non eſt qui reſiſtat voci tuæ*: Alioquin enim, ut ait Auguſtinus in Enchiridio capite 95. Periclitatur ipſũ noſtræ confeſſionis initium, quâ nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur.

Hinc ſequitur 1. ut cùm abſolutè decrevit punire, impediri ipſe nõ poſſit, quemadmodum dicitur Jobi 9. *Deus, cuius iræ reſiſtere nemo poteſt.* Et Pſal. 75. *Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi?* Iſaiæ 14. *Juravit Dominus exercituum, dicens, ſi non ut putavi, ita erit, & quomodo mente tractavi, ſic eveniet, ut conteram Aſſyrium.* Et poſt pauca: *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare, & manus eius extenta, quis avertet eam?* quod Sanctus Hieronymus ſic interpretatur, non pro difficili debemus accipere, ſicut illud legitur: *Quis ſapiens, & intelliget hæc?* & cætera his ſimilia, ſed pro impoſſibili; nullus enim Domini poterit infirmare conſilium, & manum eius extentam, ſive ſublimem, ne percutiat, avertere.

Sequitur 2. ex contrario, neminem unquam impedire, ne aliquem ſalvet, cùm volet. Auguſtinus libro de corrept. & gratia capite 14. Cui volenti ſalvum facere, nullum reſiſtit arbitrium: ſic enim velle, vel nolle, in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem: de his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipſe quæ vult. Rationem horum omnium dat Apoſtolus Epheſ. 1. *Univerſa operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* In quæ verba ſic diſcurrit S. Hieronymus: Nos homines pleraq; volumus facere conſilio, ſed nequaquam voluntatem ſequitur effectus; illi autem nullus reſiſtere poteſt, quin omnia quæ voluerit, faciat, etenim cùm conſilium ad delibera-

berationem pertineat, importat mediorum electionem, quibus infallibiliter pertingit ad finem. Itaque rectè Boëtius, omnem modum paucis verbis concludit lib. 3. de consol. prosâ 12. Non est aliquid quod summo huic bono vel velit, vel possit obsistere; velit, referendum ad actus liberos; possit, ad reliqua.

Certum tamen est 3. maximam partem actionum Dei circa creaturam rationalem esse non posse voluntates absolutas, sed conditionatas. Ratio est; quia Deus operatur secundùm naturas rerum, itaque circa naturam rationalem sic ordinavit, ut non absolutâ voluntate eam regat, sed conditionatâ, ne vim faciat voluntati: & hoc sensu distinguit Damasc. quæ in nobis non sunt, & quæ in nobis sunt: prima dicit esse opera providentiæ, alia non tantùm providentiæ, sed etiam liberæ potestatis & arbitrij: Anselmus eodem sensu in verba illa Matth. 6. *Fiat voluntas Dei*; docet quædam opera esse providentię, alia misericordiæ; istis resisti posse, alijs autem minime. Hinc originem habet quòd creatura rationalis resistere possit voluntati divinæ in quibusdam. Exod. 10. ad Pharaonem: *Usque quò non vis subiici mihi? dimitte populum meum*. Roman. 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Et Jobi 9. *Quis restitit ei, & pacem habuit?*

Confirmatur hæc propositio ex eo quòd Deus circa creaturam rationalem agat, vel misericordiâ, vel justitiâ; nam vel illam benè disponit prope se; vel illam malè disponit longè à se: etenim necesse est, ut creaturæ benè sit, vel malè: Benè est per misericordiam, & gratiam: malè per justitiam. Ratio est, quoniam oportet ut creatura intra ordinem aliquem sit providentiæ, vel beneficiorum, vel suppliciorum. Porrò illo utroque modo creaturam ferè disponit voluntate conditionatâ. Dixi ferè; quia ratione gratiæ, multa facit quidem independenter ab omni conditione, & in seipso fontem invenit bonitatis, & causam bene faciendi, utpote, qui non tantùm sit bonus, sed etiam ipsa bonitas: ita primam gratiam, & initium fidei ipse largitur, & quædam bona; sed tamen maximã beneficiorum partem & omnia supplicia hominibus, & præparat, & irrogat, positâ conditione, unde illa vult voluntate non absoluta, sed conditionatâ.

Sequitur quartò, omissis variis circũstantiis & conditionibus, de quibus in præsenti non est nobis sermo; cùm in universũ Deus circa homines duo præcipuè moliatur, quædam quæ pertinẽt ad beneficia, alia quæ pertinent ad supplicia; in illis ut plurimùm ut conditionem includi, ad beneficia quidem impetranda, orationem; ad supplicia verò evitanda aut removenda, pœnitentiã.

Prima pars probatur ex necessitate orationis, quæ colligitur ex verbis Christi, & Apostolorũ doctrina, Lucæ 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere*. Chrysostomus, dum oportet dixit, necessitatem inducit. Item donum perseverantiæ nõ confertur, nisi orationi: Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 16. Constat (ait) Deum nobis aliqua etiam non orantibus dare, ut initiũ fidei: alia non nisi pro orantibus præ-

paraſſe, ſicut perſeverantiam in finem Ex eodem Auguſtino refertur in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 56. Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante, venire:nullum invitatum, ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante, operari; nullum niſi orantem auxilium pramereri Ex quibus verbis patet tàm ad ſalutem neceſſariam eſſe orationem, quàm auxilium Dei; quia illud nonniſi per orationem obtinetur. Iuxta quam doctrinam dixit Auguſtinus libro de natura & gratia capite 43. Deus impoſſibilia non jubet, ſed iubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.

Secunda pars probatur ex Scripturis omnibus in quibus paſſim promittitur pœnitentibus venia: Ezechiel.33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua*, &c. Et poſteà: *Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo*, &c. *vitâ vivet, & non morietur, omnia peccata eius quæ peccavit, non imputabuntur ei: iudicium & iuſtitiam fecit, vitâ vivet.* Jeremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitavi ut facerem ei.* Et certè cùm duæ ſint leges, divina & humana, qui legem humanam violavit ſine venia punitur: qui verò divinam, locum habet pœnitentiæ. Inter homines, ubi quis eſt ſummè offenſus ab alio, non ſibi ſatisfactum putat, ſi ille doleat de offenſa, licet iuſta ſit compenſatio propter ſummam æqualitatem: At Deus poſt quamcumque offenſam placatur, ſi accedat pœnitentia; unde illi canit Eccleſia: Cuius eſt propriũ miſereri ſemper & parcere: quare Ezech.18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit, Dominus Deus, ut non & convertatur à viis ſuis, & vivat?*

2. Probatur ex variis parabolis: filij prodigi quem pater redeuntem ſuſcepit occurrens ei: Ovis deperditæ, quam paſtor requiſivit, & inventam ſuſtulit in humeros: Drachmæ inventæ, quam mulier tam ſtudioſè requiſivit, & de inventa ita gaviſa eſt, ut vicinas etiam convocarit ad congaudendum: Ficûs infructuoſæ, cuius excidiũ diſtuit Dominus, & aliarum ſimilium.

3. Propatur à variis exemplis, ex quibus patet, neminem pœnitentem aliquãdo fuiſſe reiectũm; ſi vera, & non ficta fuit pœnitentia: Non Publicanũ, qui deſcendit iuſtificatus in domum ſuam: non Magdalenam, licet in civitate peccatricem, cuius patrocinium ſuſcepit Dominus, & cui dictum eſt: *Vade in pace.* Et quæ Simoni prælata eſt. Non Petrum, licet negantem: cui non ſolùm venia data eſt, ſed factus eſt omnium Apoſtolorum caput: *Paſce oues meas, paſce agnos meos.* Non Paulum licet blaſphemum, Eccleſiæ perſecutorem, & ut ſe vocat, *primum omnium peccatorem, in quo Deus oſtendit divitias gloriæ ſuæ.* Non Latronem in exitu tantùm pœnitentem, cuius primam orationem Deus exaudivit, nec vel unum diem dilatus eſt; ſed quo die pœnituit, eodem die in Paradiſum eſt admiſſus: unde Arnoldus tract. de ſeptem verbis Domini: Nullas omninò metas habet divina clementia: Sit qui invocet, erit qui exaudiat: ſit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat. Sed ut

ut omittam innumeros in utroque Teſtamento, unicum inter mortales ſceleſtiſſimum præterire non poſſum, eò illuſtriorem, quo nobiliorem, ut pote Regem: is fuit Manaſſes, de cuius criminibus ea ſcribit textus ſacer 4. Reg. cap. 21. quę terorrem incutiant. 1. enim in ſummo omnium peccatorũ ſummus fuit; nullum enim omiſit idololatriæ genus, conquiſitis undiquæ diis peregrinis aras inſtruxit, & eos adoravit, ædificavit excelſa quæ diſſipaverat Ezechias pater eius, *erexit aras Baal, & fecit lucos, ſicut fecerat Achab rex Iſraël, & adoravit omnem militiam cæli, & coluit eam.* Et quod eſt ſummus impietatis cummulus, in ipſo templo, cuius eo tempore ſumma erit ſanctitas & religiò, Gentium ſimulachris ſtatuit altaria. Ad hæc *traduxit filium ſuum per ignem, & ariolatus eſt & obſervavit auguria, & fecit pythones, & aruſpices multiplicavit, ut faceret malum coràm Domino, & irritaret eum*: atque ut mediocriter non eſſet impius, peccatum addidit ſcandali, Iudam modis omnibus & pellexit, & coëgit ad idololatriam: & poſt multa enumerata ſubdit Scriptura: *Quia fecit Manaſſes Rex Iuda abominationes iſtas peſſimas ſuper omnia quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, & peccare fecit etiam Iudam in immunditiis ſuis.*

2. Quod attinet ad crudelitates, audi quomodò loquatur Scriptura: *Inſuper & ſanguinem innoxium fudit Manaſſes multum nimis, donec impleret Ieruſalem uſque ad eos*: Metaphorâ ſumptâ à vaſe quod plenum eſt, cùm ad ſummum, & ad os liquor pervenerit, qui modus loquendi ſignificat magnam ſanguinis effuſi abundantiam. Porrò ſanguis fuit, & Prophetarum qui eum arguebant, & eorum qui illius mores, & inſtitutũ ſequi nolebant. Certè Ioſeph lib. 10. antiq. c. 4. In omnes, quotquot erant ex Hæbreis, iuſtos graſſabatur cædibus, nec à Prophetis quidem cruentas manus abſtinens; nam ex horum numero per ſingulos dies ſupplicio afficiebat. Inter cæteros Iſaiam prophetam medium ſerrâ ſecuit: qualem virum! regiæ ſtirpis, conſanguineum & ſanctiſſimum, ſed cuius reprehenſionem ferre non potuit homo crudelis. Denique tàm multa flagitia commiſit, ut de ſe ipſe fateatur in ſua oratione: *Peccavi ſuper numerum arenæ maris.*

Porrò hæc ſunt peccata Manaſſis fortunati & regnantis, ſed vide peccata captivi; nam Deus in pœnam Manaſſem captivum duxit in Babylonem, ubi poſt anguſtias carceris & catenarum, de quibus ipſe meminit in oratione ſua, uti Sanctus Hieronymus ait in traditionibus Hebraïcis, in vas æneum coniectus eſt, & admoto igne lentè & paulatim cruciatus: Quid eo loco feciſſe illum putatis, Auditores? cùm nullum exeundi, immò nec reſpirandi locum inveuiret, undique circumcluſus, ſuorum idolorum numina, quæ coluerat, invocare cœpit; ſed cùm vanas ſuas preces videret, venit ei in mẽtem, quod à parte Ezechia crebrò audiverat: *Cùm quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ*, uti dicitur Deuteronom. 4. Itaque cœpit ad Deum converti, ſicut dicitur 2. Paralip. cap. 33. *Poſtquam coanguſtatus eſt, oravit Domi-*

Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo Patrum suorum, deprecatusque est eum, & obsecravit intentè: Quid expectas, mi auditor? audi verba sequentia: *Et exaudivit orationem eius, reduxitque eum Ierusalem in regnum suum, & cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus.* At vide quomodò: id explicat Glycas in suis Annalibus, dicens adfuisse Angelum Regi oranti, qui rapto vase æneo in quod inclusus fuerat, eum Hierosolymam reduxit, & in pristinam dignitatem restituit. Quis credat sceleratum hominem, & tantorum criminum reum sublatum fuisse ab angelo, ut Prophetam? id tamen factum est; tãtum potest pœnitentia: quem mundi totius lachrymæ, quem omnia flumina, quem maria omnia abluere non potuissent, id fecit pœinentia: unde subdit Glycas: tot, tantaque facinora Manasses perpetravit, ut divinus ille Athanasius dicere non dubitarit; Si Manasse Deus servavit, equidem ausim dicere, quòd diabolum ipsum servaturus fuerit, si reverti ad Deum voluerit. Quid te igitur sperare non oporteat, mi Auditor, pœnitentiæ beneficio? *cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ:* sed unde tanta vis in pœnitentia?

Prima ratio petitur ex parte misericordiæ & bonitatis Dei, à qua originẽ habet pœnitentia. Præclarum est quod legitur in Talmud Hierosolymitano in libro flagelorum, ubi explicantur verba Psalm. 2. *Bonus & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via:* illa enim via explicatur pœnitentia, ut proximè superiori concione ostendi. Ex quibus verbis patet ipsam originem habere à Deo, ut bono & misericordi. Porrò cùm naturalis modus agendi Dei, sit à bonitate; quæ autem secundùm naturã sunt, ea afferunt voluptatem; propterea actio bonitatis, & miserendi in Deo maximam habet voluptatem; unde Deus vincitur Pænitẽtiã ratione cuius agit connaturaliter, cùm parcit.

Secunda ratio petitur ex parte iustitiæ, quæ cùm maximè violetur per peccatum, exigit necessariò reparationem: illa autem duplici tantùm modo fieri potest; vel vindictâ, seu inflictione pœnæ, vel pœnitentiâ, magis autem pœnitentiâ, quàm vindictâ.

Quoad vindictam attinet, certum est, cùm per peccatum violetur ius divinum, reparari per pœnam peccatoris; uti enim peccator aliquid molitus est contra Dei voluntatem, necesse quoque est, ut aliquid patiatur contra voluntatem suam, idque ad æqualitatem secundùm illud: *Quantùm in delitiis fuit, tantũ date illi tormentũ.* Vnde inæqualitas quæ facta est per peccatum, reducitur ad iustum per æqualitatem quæ fit per pœnam; & sic quidquid peccator faciat, in ordine continetur; nam ut aliquid intra ordinem sit, perinde est, an ordinem teneat, an in ordine teneatur: teneret quidem, si per obedientiam esset sub lege; sed si nolit, non tamen extra ordinem est, tùm tenetur sub pœna; cùm tam iustum sit peccatorem puniri, quam iustum est ut Creatori obediatur.

Certum

Certum est 2. cùm Deus benefaciendo magnam capiat voluptatem propter actionẽ naturæ ipsius conformem, & insuper nõ possit impediri ne voluptatem habeat sibi debitam, oportet ut quod non potest habere benefaciendo, id habeat ulciscendo, secundùm illud Deuter. 28. *Sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens*, &c. sic *lætabitur disperdens vos, atque subvertens*. His positis certum est quoad 1. attinet, licet per vindictam satisfiat divinæ iustitiæ quoad æqualitatem Pœnæ, non tamen omninò compensari iniuriam; quoniam ipsa in peccatore perseverat; unde licet peccator in inferno torqueatur contra suam voluntatem, idem tamen semper contra Deum nititur, secundùm illud Bernardi: Nunquam recto, pravoque conveniet; hæc enim sibi invicem adversantur, licet non invicem lædant; quare læsio alterius, est profectò non Dei. Quoad 2. etiam hæc Dei ulciscentis voluptas non in ipso habet originẽ, sed in alio; nam cùm bene facit, ex suo bene facit, cùm male facit, ex alio: per pœnitentiam autem, illam dico quæ ex Spiritus Sancti inspiratione concipitur, & quæ est perfecta pœnitentia, ius Dei, quod per peccatum violatum est, ex integro reparatur: nam quoad pœnam attinet, pœnitentia, ut ait Tertullianus, pro iustitia Dei, fungitur munere; itaque miris modis peccatorem discruciat: vide quomodo Magdalenã tractarit, sparsit eius capillos, fletibus ora & sinum complevit, vultum pudore & dolore accendit; sed præcipuè in ea parte, in qua peccatũ admissũ est hoc est in corde: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Iam quomodo anima se Deo in omnibus subiicit, quomodo priora damnat, & revocat? Quid dicam, quod anima sic Deo subditur, ut de ea proprium agat triumphum? Ad hoc significandum passim in Scripturis conversio peccatorum explicatur per clades, & excidia, Psal. 48. *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*. Augustinus per naves intelligit, diversas nationes, quarum superbiam Ghristus evertit, dum eas convertit ad fidem Psalm. 103 *Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita ut non sint*. Basilius, non ut pereant, orat, sed ut convertantur. *Psal.* 149. *Et gladij ancipites in manibus eorum. ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis*. Vide qui sint in Apostolorum manibus gladij, increpationes. Sophon. 3. *In igne zeli mei devorabitur omnis terra; quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno*. De igne Evangelij interpretatur Sanctu Hieronymus: ex quibus constat quod diximus, maximam victoriam de peccatore esse per veniam, quæ soli pœnitentiæ tribuitur. Quod autem inde Deo accedat voluptas ex naturali modo agendi pet bonitatem, faciunt hoc plurimæ Christi parabolæ, uti Patris filium prodigum reverentem suscipientis: & mulieris quæ drachmam reperit; unde gaudium Angelorum super uno peccatore pœnitentiam agente, nihil aliud significat quàm laudes quæ ab Angelis Deo dantur super conversione peccatoris: Vide non vulgare huius voluptatis Dei exemplum in insigni peccatore, nempe Achab, de quo dicit

Scriptura 3. Reg. cap. 16. *Fecit Achab malum in conspectu Domini super omnes, qui fuerunt ante eum;* quantumvis pessimi Reges ante eum præcessissent: nihilominus tamen ubi primùm de peccato suo dolens *scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite:* etiamsi omnia illa fuerint tantùm pars quædam, eaque minima pœnitentiæ, Deus sic afflictum videre non potuit, quin de subjugato sibi adversario gloriari cœperit apud Eliam: *Nonne vidisti humiliatum Achab. coram me? quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus eius.* Ita Deus facilem se præbet ad pœnitentiam.

Quæ cùm ita sint, quis jam peccatori excusationis locus esse potest ubi tã facilis est venia? Age enim quid cessas? cur pœnitentiam non agis? quid times, quid vereris? an Dei judicio & minas, an supplicia? Ignoras quòd sola pœnitentia te ab illis liberare potest? an peccatorum tuorum multitudinẽ, an gravitatem? tu ne pœnitentiæ vim, ac virtutem nosti ut decet? post tot promissa, post tot exempla: nova, vetera, omnis generis, ubique gentium, in omni hominum conditione? Cogita Deum iratum, minas jactantem, supplicia intentantem; cogita eius potentiam, majestatem, immò furorem, ac in pœnas effusum, si adfuerit, si obstiterit pœnitentia, de Deo irato, de tam potente, triumphum aget. Sed tibi odiosum est, vel pœnitentiæ nomen. Certè si Deus pro peccatorum condonatione postulasset omnia bona nostra, quis dare nõ debuisset? si petiisset, ut omnia supplicia, & omnia adversa toleraremus, quis pati non debuisset? Jam cùm ei pœnitentia sufficiat, quis ab ea excusare se potest? quod si non ambigis, quid expectas, vel in quale tempus remittis? *Ignoras quod quoniam benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit?* tu verò, ait Apost. Rom. 2. *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicij:* qui enim opponit duritiam suam Dei benignitati, & impœnitentiam pænitentiæ, meretur, ut Deus convertat divitias bonitatis suæ in thesaurum iræ, ac suppliciorum: sed qui confugit ad pœnitentiam, nihil habet quod metuat; nam sicut impœnitentia jungitur thesauris iræ, ita pœnitentia divitias bonitatis experitur: verè enim Deus dives est in misericordia quæ pœnitentiam inspirat, pœnitentiæ veniam concedit & gratiam, & gratiæ gloriam subnectit. Amen.

***

FERIA

FERIA QUINTA CINERUM,

CONCIO

DE VOLUNTATE DEI QUOAD SALUTEM hominum: ubi de subrogatione quorumdam in locum aliorum.

Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in regno Cœlorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Matthæi 8.

IN Centurionis, hominis Gentilis, servo, qui jacebat in domo Paralyticus, statum habemus populi Gentilis cuius propè erat salus conclamata. In accessu Centurionis ad Christum per Judæus, vocationem gentium per Judæos, *quia* (Isai. c. 2.) *de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem:* Et c. 60. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo.* In fide Centurionis superante fidem Judæorum, mirabilem gentium conversionem suprà Judæos secundùm illud, *Non inveni tantam fidem in Israël*: In puero Centurionis sanato, vocationis gentium figuram, sicut in altero Centurione eadem gentium vocatio & fides cœpta est: uti dicitur Actor. 10. In Christi sermone ut ait Chrysost. Sententiæ cujusdam ac Judicij pronuntiationem. In miraculo, ut idem Chrysost. ait, fidem verborum signo confirmat, quia doctrinā planè admirabilem afferebat, de quâ nobis hodie sermo instituendus est, si prius lumen è cœlo accersiverimus. *Ave Maria.*

IN Christi sanationibus & miraculis aliud fuit quod intendebat vel petens vel accipiens, aliud quod volebat qui faciebat ac operabatur. Qui petebat, salutem attendebat, ac liberationem ab aliquo incommodò, itaque vel misericordiam eius, vel potentiam sollicitabat, ut ille, *si vis potes me mundare.* Item *si quid potes adjuva nos.* Item *filij David miserere nostri.* Qui verò sanabat ac faciebat miraculum, longè aliquid majus intendebat, itaque facto & miraculo doctrinam addebat, & verbum, & utroque aliquid significabat. Ac ne vager per singula & in hodierno hæream

tum, unde apud Augustinum vocatio secūdùm propositum semper habet effectum:&Isaiæ 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*: & Joan. 10. de Ovibus suis. *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*.

Probatur 2. Ex Sap. 12. *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, & cum magnâ reverentia disponis nos, subest enim tibi cùm volueris, posse.* Ex quibus verbis discimus cùm in Dei potestate sit omnibus modis movere liberum arbitrium sic movere potest ut faciat ut velit, quapropter rectè dicitur, *subest tibi cum volueris, posse.* Itaque licet multi nolint vel malitiâ, vel ignāviâ, ita tamen quosdam vocat, ut infallibiliter veniant. Ita cùm multi ad cœnam invitati venire noluissent, alios sic vocavit, ut uenierent; quod significavit cùm dixit Dominus servo, Lucæ 14. *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare ut impleatur domus mea.* Ista compulsio, est peculiaris vocatio cui nemo resistit, & quæ suum semper habet effectum.

Probatur 3. Quia sic naturâ comparatum est, ut quod quidam respuunt, alij plurimùm faciant. Itaque licèt in tanto hominum numero multi sint qui vel malitiâ, vel ignaviâ salvari nolint, illi tamen efficere non potuerunt, quin aliqui salvari velint auxiliante gratiâ: ut in figuli manu, vasa multa franguntur, sed quædam cohærent & conservantur: Er hic valet argumentum Apostoli Rom. 3. *Si quidam illorum non crediderunt, nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit*? absit. Ita si quidam noluerunt salvari, non tamen Dei de hominibus salvandis consilium periit: nā uti dicitur Rom. 11. *Sine pœnitentiâ sunt dona, & vocatio Dei*: Cùm itaque dare gloriam hominibus decreverit non ideò consilium mutat, quod accipere nonnulli recusent, sed ea voluntas semper perdurat, & in aliquo effectum tandem habebit.

2. Proposito est, Deus generatim statuit certam & quoad numerum determinatam hominum multitudinem salvare.

Probatur 1. Ex verbis Christi Jo. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Igitur ut concludit Nazian. orat. 1. Theol. non una tantum, sed plures: Age vero (inquit) eas ne putas omnes impleri, an quasdam quidem impleri, cæteras autem minimè; ut inanes, & frustrà paratas? utique omnes. Nec enim à Deo quidquam temerè, atque incassum factum est: Et hoc conveniens est Dei bonitati ut plures ad vitam illam beatam ordinarentur, nec unus aut pauci admodùm. Idem docuit Augustinus Epist. 106. ad Bonifac. ubi de prædestinatis sic loquitur: Quorum ita certus est numerus, ut nec addatur ei quidquam, nec minuatur ex eis: Prosper Epistolâ de libero Arbitrio ad Ruffinum, certum docet esse definitumque numerum prædestinati in vitam æternā populi, & secundùm propositum Dei vocantis, electi. Quod quidem (inquit) tam impium est negare, quàm ipsi gratiæ contraire.

2. Probatur ex illo Apocal. 3. *Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam*: quod explicans Augustinus lib. de Corrept. & Grat. cap. 13. Si alius non est accepturus, nisi iste perdiderit, certus est numerus: Ex quo loco hoc efficax trahitur argumentum: Si alius non

est accepturus coronam, nisi iste perdiderit, id fieri oportet, ne prædestinatorum multitudo crescat ultra certum numerum prædefinitum, igitur illius hominis prædestinatio pendet ex eo, quód certus numerus prædestinatorũ fuerit prædefinitus, & ab eo numero defecerit alter.

3. Probatur. Ex communi Theologorum sententiâ quam ex Augustino sumunt, tunc demum finem habiturum mundum cum impletus fuerit numerus prædestinatorum, & in hunc sensum afferunt responsionem datam Martyribus poscentibus vindictam Apocal. 6. *Et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum qui interficiendi sunt, sicut & illi.* Cum itaque mundus sit finiturus illo numero completo, oportet illum numerum esse determinatum, ante quem mundus non finiat, post quem mundus non duret, etenim propter electos mundus creatus est.

Et hoc conveniens est divinæ sapientiæ & providentiæ quæ Civitatem illam præparavit certo ordine comprehensam, & in illâ tot mansiones, & convivium sic instruxit ut tot loca præpararit: Vnde cùm invitati fuissent aliqui, & ex iis quidam venissent, alij non venissent, respondit servus, *Domine factum est ut imperasti, & adhuc locus est: Cui Dominus: Exi in vias & sepes & compelle intrare, ut impleatur domus mea:* certè ante impletam quoslibet invitat, illâ autem impletâ neminem vocat.

3. Propositio est. Quamvis multi suâ culpâ nolint esse eo ex numero: impedire tamẽ non possunt quin numerus ille, compleatur, unde fit ut ex nullo pendeat in particulari. 1. pars probatur ex dictis. Quia cum Deus neminem cogat, multi sponte suâ nolunt venire, itaque verum est, quod dicitur, *Multi vocati, pauci verò electi*, nam plurimi ad cœnam Agni vocantur, sed ut ait Evangelista: *Noluerunt venire*, nemo itaque excluditur nisi culpâ suâ, quia omnes vocantur, & sincerè vocantur, nempe ut veniant.

2. Pars probatur 1. Ex Parabolâ invitatorum ad cœnam Lucæ 14 Nam cum dixisset multos fuisse invitatos, de illis ita subdit, *Et cœperunt simul omnes excusare.* Nè tamen crederes frustrà paratam esse cœnam: *Tunc iratus Paterfamilias, dixit servo suo. Exi citò in plateas & vicos Civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos, introduc huc. Et ait servus, Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est: Et ait Dominus servo. Exi in vias, & sepes & compelle intrare, ut impleatur domus mea:* Ex quibus verbis colligitur, eos qui venire renuerunt, privatos quidem fuisse illo honore, iuxtà illud: *Dico autẽ vobis quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*: sed tamen minimè effecisse, ut frustra parata fuerit cœna quia alij vocati sunt, qui venirent, & qui defacto venerunt, iuxta illud, *ut impleatur domus mea.*

2. Probatur ex verbis S. Ioannis Baptistæ, Matth. 3. *Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham, Dico enim vobis quoniam potens est de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, jam enim securis ad radicem arborum posita est.* In quibus verbis includitur cogitatio Iudęorum & Joannis responsio: cùm enim Joan-

Ioannes ad pœnitentiam Iudęos vocaret, si perire nollent, ipsi hæc aqud se cogitabant, se esse filios naturales Abrahæ: Deum autem fœdus cum Abraham pepigisse, ac semini eius salutem, atque hæreditatem esse pollicitum, itaque nil esse quod timerent venturam iram, non enim posse perire, nec Deum promissa sua posse abscindere, cùm propter suam iustitiam, tùm propter Abrahæ Patris ipsorum sanctitatem ipsi acceptissimam: Quibus rectè Ioannes respondet. Posse Deum illis omnibus perditis adimplere promissiones Abrahæ factas, de semine ipsius: Nam qui olim ex lapideâ & sterili vulvâ Saræ excitavit Abrahæ filium, cuius deinde posteritas arenę maris còæquata est, is modò ex illis quos Ioannes ostendebat lapidibus, eidem suscitare poterit semen in quo præstet, quæ sunt Abrahæ promissa. Itaque lapidum potius fecit mentionem, ut scirent Deum simili olim modo, Abrahæ filios dedisse, & aliquando daturum: sic enim appellat Scriptura sterilem Saræ vulvam, & emortuum corpus Abrahæ Isaïæ 51. *Attēdite ad Petram unde excisi estis, & ad cavernam laci de quâ præcisi estis: Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos:* quod & factum est, cum Deus ex Gentilibus saxa pro dijs colentibus, eisque secundùm Davidem assimilatis, & in vitijs suis jam obduratis, plerosque per fidèi imitationem fecit esse filios Abrahæ: neque enim, ut ait Apostolus Rom. 9. *Omnes qui ex Israël sunt, ij sunt Israëlitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non qui filij carnis, Hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* Ex quibus omnibus conficitur eos Abrahæ filios qui converti noluerūt, non evacuasse Dei promissionem, sed vel ex lapidibus Deum suscitare potuisse filios Abrahæ, in quibus facta ipsi divina promissio impleretur: unde Apostolus Rom. 9. *Non quod exciderit verbum Deï, non enim omnes qui ex Israël sunt, ij sunt Israëlitæ*, quia unis pereuntibus, alij substituuntur. Itaque quod proposuimus verum est, nempe qui ex electorum numero esse nolunt, minimè impedire quin ille numerus impleatur, ut qui nolunt fidem Abrahæ imitari nec esse filij secundùm promissionem impedire non possunt, quin promissio ipsi facta impleatur, nam etsi omnes filij Abrahæ secundùm carnem perirent, posset tamen ei Deus multiplici ratione filios dare, etiam èx lapidibus. Unde...

3. Pars facilè probatur nempe illius numeri prædefinitionem nullo modo pendere à determinatâ prædestinatione alicuius singularis hominis. Quia hoc homine deficiente, substituendus est alius ad eum numerum explendum: In eo igitur tota est fundatoris, & Architecti sapientia, atque prudentia, ut definierit, quanta sit futura Civium multitudo, ut nec maior, nec minor: & quód in Templo vel ædificio, tot mansiones assignentur extruendæ, nec plures, nec pauciores: non autem ut isti potius quā isti homines eligantur, ut eā Civitatem aut illas mansiones impleāt. nā si nō habeant aptitudinē, relinquēdi sunt, ut aptiores eligātur, nō deerunt autē in tātâ multitudine possibiliū qui apti existant: Ita in lapidum electione

bemus in Scripturâ Exodi 32. cum enim populus absente Moyse in idololatriam prolapsus fuisset, inter cætera quæ Deus iratus in populum dixit Moysi hoc fuit. *Cerno quod popolus iste dure cervicis sit, dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam:* Certè si Moyses Deum non placasset, repudiato Israële, aliam gẽtem in suum populum assumpsisset, & Jsraëlis repudiatio fuisset alterius gentis evectio: sed quod illo tẽpore factum non est, id postea mutatione graviore factum est: Nam licet Christus in omnium hominum bonum venisset, quia tamen peculiariter illi populo promissus fuerat secundùm illud Deuteron. 18. *Prophetam de gente tuâ, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*: unde Apostolus Rom. 9. *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium & promissa, quorum Patres, & ex quibus est Christus secundum carnem:* & propterea cum venisset dicebat Matth. 15. *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël.* & Matth. 10. Apostolus missurus, ità præcepit. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potiùs ite ad oves quæ perierunt domus Israel:* idque Apostoli initio observarnnt: (Non quod Christus pro omnib⁹ mortuus non fuerit, omnesque non redemerit, & omnium curam non gesserit, fuit enim propitiatio pro peccatis totius mundi, & redemptor universalis, sed quia hæc salus & redemptio non eodem ordine annuntianda, & cõmunicanda fuit, sed priùs Iudæis & posteà gentibus, unde futurum erat, ut gentes, quibus eo tempore salus non annuntiabatur, fructu redemptionis, privatæ essent, quam omninò percepissent, si salutis verbum citiùs eis esset notificatum) quia, inquam, Iudæi verbum illud neglexerunt hinc factum est ut è gratu suo dejecti sint, & in eo gentes collocatæ: & ita ordo prædicationis per Iudæorũ in credulitatẽ mutatus est; ipsis enim non credentibus, Apostoli ad gentes statim conversi sũt, & factum est, ut citiùs eis annuntiata sit salus, & multò plures eam receperint: Quam doctrinam docuere Paulus & Barnabas Actor. 13. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus:* Nota illud primùm, quod Christus etiam docuerat Luc. 14. per parabolam invitatantis multos ad cœnam magnam, nam cùm sd excusassẽt, *dixit Pater familias exi citò in vicos & plateas*: hæc vox citò significat gentes etiam vocandas, sed non ita citò, sicut factum est propter iudęorum incredulitatem: Porrò non solum citiùs salus gentibus est annuntiata ex Iudæorum incredulitate, & primi facti sunt Gentiles, secundùm illud. *Et erunt novissimi primi, & primi novissimi*, sed etiã loco Iudæorum gentes subrogatæ sunt & insertæ Christo & Ecclesiæ: fractis enim naturalibus Olivæ ramis, inserti sunt rami oleastri: Quod si Iudęi omnis credidissent, gentes quidem posteà vocatæ fuissent, sed multæ interim periissent, nec loco Iudęorũ fuissẽt subrogatæ: Deus itaque ex incredulitate Iudæorum perfecit celerem gentium salutem, & per eam Judæorum ruinam implevit: Hoc significant

S illa

illa Apostoli verba Rom. 11. *Illorum delicto salus est gentibus, ut illos æmulentur:* Et postea. *Delictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum, divitiæ gentium.* Quia quò pauciores ex Iudæis crediderunt, eò plures ex gentibus: Et postea. *Amissio eorum, reconciliatio est mundi.* Item *Aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis*: idest, loco illorum; eorum enim casus, tuæ exultationis occasio est. Hoc itaque cogita primos Christianos è gentibus, qui tamen primitivam Ecclesiam composuerunt, perituros fuisse, nisi iudæi fidem repulissent, sed illis cadentibus in eorum locū magno suo bono sunt positi, & Christi prophetia effectum habuit, *Dico autem vobis quòd multi ab Oriente, & Occidente venient,* (nam undique gentes convocatę sunt) *& recumbent cum Abraham, Isac & Iacob in regno Cœlorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Atque ex horū ejectione oritur, quod illi introducantur, adeó verum est, quod diximus, unius casum esse alterius evectionem. Itaque in universum sic pronuntiat S. Tho. 1. p. q. 23: art. 6. ad 1. Non permittit Deus aliquos cadere quin alios erigat: sic in locum Angelorum cadentium substitui sunt homines, & in locum Iudæorum Gentiles, quod quâ ratione factum sit, ex Apostoli doctrinâ ostendimus.

5. Propositio est. Talē dispositionē valde esse mirabilē, unde ne ullus de eâ dubitaret, eā Christus & verbo & facto confirmavit.

1. Pars probatur quod stupenda sit eiusmodi dispositio. Hæc enim in eâ cōtinētur 1. nō omnes æqualiter diligi, quod patet, quia quorumdam est electio, itaque & prælatio: 2. quosdam ex prima intentione non salvari, sed tantùm ex secundariâ, qui enim alterius loco ponitur, non suo loco sedet sed alieno: 3. quosdam ideò salvari quod alij pereant, quid ita? nonne ambo salvari poterant? Ita quidem si Deus voluisset: sed cùm numerum salvandorum determinasset, tàm multos minimè creasset, nisi primi defecissent: quod hinc patet, quia mundi consumatio tūc erit, cùm numerus ille fuerit impletus, sed quādiu locus erit in convivio tamdiu vocabuntur ad cœnam: 4. Hinc fieri ut quibusdam expediat, alios perire, ut ipsi salutem assequantur, quid enim Apostolus Iudæos appellat mundi divitias, & eorum amissionem mundi reconciliationem, nisi quia ipsis pereuntibus, gentes salve factæ sunt.

2. Pars probatur. Etenim id verba Christi sonant. *Dico vobis quod multi ab Oriente & Occidente venient & recumbent, cum Abraham, Isaac & Iacob in regno Cælorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Gloriam exprimit per Convivium, ad quod primùm vocati Iudæi, sed quia venire noluerunt, gentibus locum dedere: Nonne Iudas filius regni erat, cui cum alijs discipulis dictum fuerat *super sedes duodecim sedebitis*, factus est autem gehennæ filius: At vero Æthiops quamvis barbarus, & unus eorum qui ab ortu, & occasu erant, unà cum Abraham, Isac, & Jacob æternis bonis fruetur: Quod autem verbis dixit, id miraculo cōfirmavit; nam absens servum Centurionis iam in extremis positum verbo solo sanavit. quia enim

enim erat admirabile quod dicebatur, reipsâ ostendit ,& miraculo;reipsâ, dũ esse declaravit in homine Gentili maiorem fidem quam in ullo Iudæo. *Amē dico vobis non inveni tantam fidem in Israël;* miraculo autem , dum servum repente sanavit:prius dixit prophetiam , tum signum adjunxit, ut à rebus præsentibus fidem orationi acquireret , minus majore confirmans : nam quod studiosi virtutis salventur, his oppositi pereant,nihil inconveniens sed rationi consentaneum , & legum præscriptis congruens est:verùm membra fluxa ac resoluta roborare , & mortuum excitare , maius quàm secundum naturam erat , eiusque vires excedens:In quâ re admirabilem rerum conversionem agnoscit Chrysost. nam uti tunc prophetiam miraculo confirmavit,ita eventu prophetiæ , signa verè facta fuisse creduntur : illi miracuulum viderunt , ut crederent quod prædicebat, nos ex rerum eventu factũ miraculũ certo cognoscimus.

6. Propositio est: Ita mirabilem esse eiusmodi dispositionem , ut tamen iustissimæ rationes non desinit , atque utilitates maximæ. *1.* enim id pertinuit ad summam Dei Sapientiam , ut suo fine non excideret , quantũcumque homines impedire conarentur:cum itaque certum hominum numerum salvare decreverit , *ac dona Dei sint sine pœnitentiâ*, quod aliqui noluerunt,id in alijs consecutus est : Immò hoc fuit opus summæ Sapientiæ,ut ex unorũ ruinâ occasionem sumeret salutis aliorum , bonũ ex malo eliciens , & ex Iudæorum incredulitate fidem gentium accellerans, ut ex istorum fide , alios aliquando salvaret : qui procedendi modus , tam admirabilis visus est D.Paulo ut exclamarit.Rom.11.*O altitudo divitiarum Sapientiæ & scientiæ Dei!* ipse enim solus id scivit per scientiam , & per sapientiam disposuit ; *Quàm incõprehẽsibilia sunt iudicia eius , & investigabiles viæ eius !* Judicia Dei appellat quæ mente facere decrevit de singulis hominibus.Vias autem, modos per quos deducit ad effectum quæ facienda statuit : utraque autem vocat incomprehensibilia. quia omnẽ nostrum captum longè superant.Atque ut de re præsenti loquamur , de quâ etiam & Apostolus loquitur,ad iudicium Dei pertinet quod decrevit , quot homines essent salvandi sive ex iudæis essent , sive ex gentibus : via autem & modus perducendi quos decrevit ad salutem , is fuit,ut iudæi primò & per se ad salutem vocarentur , Gentiles autẽ non nisi secundariò, & ex occasione lapsus Judæorũ,secundùm illud : *Iudæo primũ,& Græco* , unde factum,ut populũ fecerit nõ populũ,non populum autem fecerit populum,secundùm illud Osee, quod citat Apostolus Rom.9. *Vocabo non plebem meam , plebem meam:& non dilectam , dilectam:& non misericordiam consecutam , misericordiam consecutam :* & hæc iudicia sũt inscrutabilia,& investigabiles viæ:nam quis unquã cogitasset, per hanc viam salvandas gentes, ac magnâ ex parte perituras nisi maximâ ex parte perituras nisi maximâ ex parte Iudæi periissent,in quo magna fuit scientiæ,& sapientiæ Dei profunditas.

2. Id pertinuit ad summam comendationem divinæ bonitatis & justitiæ, secundũ illud Rom.11.*Vide ergo bonitatẽ & severitatẽ Dei,In eos quidẽ qui ceciderunt*

servitatem: In te autem bonitatem Dei: Nam quæ maior severitas quam erga Judæos quib⁹ minimè pepercit ? ut quæ major bonitas quam erga Gentiles quorum non modò non fuerunt ulla merita, sed magna demerita, cùm eos tamen loco Judæorum subrogarit ? Nam si severus esse voluit, cur non erga Gentiles, uti erga Judæos? si bonus, cur ut Gentibus non etiam Judæis fuit ? sed potius unde occasionem sumpsit unos puniendi, inde ansam arripuit alios salvandi, erga primos severus, id est, non utens misericordiâ : erga secundos bonus, ultrò illis benefaciens : est enim bonitas, græcè *grislótis*. virtus quædam quâ aliis benefacimus sponte, & non requisitis eorum meritis, uti dicitur ad Titum 3. *Apparuit benignitas, &c. Non ex operibus quæ fecimus nos,* & hâc Deus usus est cum conversis ex Gentibus.

Jam quod attinet ad utilitatem, aliis ex aliis per æmulationem Deus opitulatus est : Cùm enim Gentes Judæis posthabitæ intellexissent, sibi etiam aditum patere ad Evangelij virtutem, & se Judæorum loco subrogandas esse, docente eas Paulo Actor. 13. *Posui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ :* ex eâ re æmulationem in se conceperunt, ac faciliùs ad fidem venerunt, quod sic exprimit Lucas in verbis sequentibus: *Audientes autem Gẽtes gavisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam:* è contrario verò Judæi cernentes se loco suo excidisse, eumque à Gentibus occupatum, æmulatione gentium venient ad fidem, dicente Mose uti eum citat Paulus Rom. 10. *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem :* Et ipse cap. 11. sic loquitur, *Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo. si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, & salvos faciam aliquos ex illis*, quod sanè continget in fine mundi, cum plenitudo Gentium intrarit: Tunc enim, ut ait Paulus, *Omnis Israël salvus fiet*, id est numerus totus Judæorum salvandorum perficiendus est : quare sicut Gentiles ex Judæorum ruinâ salvati sunt, ita Judæi & Gentium salute salvi fient. Ex quibus omnibus patet eiusmodi dispositionẽ & æquissimam fuisse, & fructuosissimam, licèt planè admirabilem.

Sed quàm in hoc sermone partẽ accipis, mi Auditor ? maximam planè, immò & te quoque, tota quãta est, hæc spectat oratio : aut enim justus es, aut peccator : si justus, audi Apostolum eâ de re disserentem, Rom. 11, *Noli altum sapere, sed time, si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, nè fortè, nec tibi parcat:* Nemini virtus, nemini gratia naturalis est: quilibet potest excidere. Nemo itaque vel glorietur Parentum suorũ virtute, vel ratione cognationis, vel ratione professionis : Hoc Judæis minimè profuit, quibus nihil attulit *adoptio filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa*, & quod Patres eorum fuerint Patriarchæ, & quòd ex ipsis Christus secundùm carnem, nam uti dictum est, *Repulit Deus plebem suam*, & rami ob incredulitatem fracti sunt. Nemo item glorietur quod sit fidelis, ipsi enim hoc quandam fuerunt, sed nunc infideles : itaque Apostolus, *Tu autem vide stas, noli altũ sapere. sed time.*

Nemo

Nemo de virtute præteritâ glorietur, id enim eis non profuit, sed cum recessere, rejecti sunt: Unde Apostulus tibi, *si permanseris in bonitate*, id est, si te dignũ servaveris bonitatis Dei, ne te immobilem putes, alioquin & tu excidêris. Quid enim, si Judæo non pepercit tibi parcet? immo minùs: *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, nè fortè nec tibi parcat:* Certè plus timendum est justo, & diu justo, quàm alteri, nè beneficio abutatur quod accepit. Quam multorum casus vidimus & naufragia? Quàm multi plurium annorum pudicitiã perdidere, aut justitiam, aut probitatem? Erant illi quidem filij regni, quibus ut ait Chrysost. regnum fuerat præparatum; sed *filij regni eijcientur in tenebras exteriores: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Quia illa parata est, alicuius erit: *Etenim dona Dei sunt sine pœnitentiâ.* Tua quidem est quia & mereri incæpisti, & tibi primùm oblata est, sed si indignum te præbueris, erit qui illam accipiat; si vocatus non venis, erit qui veniat: nam numerus salvandorum ex eius voluntate complebitur. Vide ne tuo casu fias alterius salus, & tuo damno alterius lucrum: Judæorum similis, de quibus Apostolus: *Illorum delicto salus est Gentibus:* Et postea, *delictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum divitiæ gentiũm*: fuerat quidem hæc Dei intentio ut salvareris; parum est, fuerat ut ad sanctitatem venires: certè tot tibi adjumenta dederat, tot gratias, tot motus: sed quia te indignum iudicasti, putas fore ut bona in nihilum recidant? nequaquã: id alterius bono fecisti. Tuã coronã, id est quæ tibi parata erat, alius accipiet, ut multiplici dolore afficiaris. Quò Judæi deiecti? In Gentium conversione perculsi sunt, cùm illud Christi fuit impletum, *Multi ab Oriente, & Occidente venient: & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores:* In quo successu multiplex istis evenit pœna, his autem lætitia & gaudium. Judæis quidem dolendum fuit, 1. quòd exciderunt: 2. quod suis & propriis exciderunt, filij enim dicuntur regni quibus regnum fuerat præparatum. Quæ res (inquit Chrysostomus) majorem poterat ipsis inferre dolorẽ, cum sinum Abrahæ repromissione suum quasi è manibus eorum extorqueri sibi viderint? Gentibus verò certè gaudendum, tùm quia bonorum compotes facti sunt, tùm quia hæc quæ non sperarunt consecuti sunt. His quoque tertium adiici posset, ait Chrysost. quod illi videant negligentiâ sibi ea excidisse, quæ isti studio rapuerunt. Quartum ego adiiciam quòd eos magnoperè percellere deberet: nimirum maximum amborũ discrimen: qui sunt enim qui excludũtur? filij regni: qui sunt qui à sinu Abrahæ reiiciuntur? Israëlitæ, & filij, qui de eâ filiatione sic gloriabantur. Qui verò sunt illi qui cum Abraham recumbunt? alienigenæ & gentes, sine nomine populi, itaque dicuntur ab Oriente & Occidente vocati, id est qualescumque tandem fuerint ac sine discrimine: nam Pater familias servo præcepit Lucæ 14. *Exi citò in plateas & vicos Civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Exi in vias & sepes, & compelle intrare ut impleatur domus mea.* Quid autem duriùs, quàm hos admit-

admitti, illos expelli: filios regni eiici in tenebras exteriores, alienigenas, hoc est, idololatras, vitiis omnibus coopertos, à Deo tot sæculis aversos in sinum Abrahæ recipi? Et quid justè cõqueri poterunt, nisi de se conquerantur? nam si ulli patebat sinus Abrahæ, non dubium quin filiis patuerit: unde igitur ipso sunt exclusi, nisi quia vitio suo intrare noluerunt? Si Abraham non rejecit quoscunque venientes ab Oriente & Occidente, quomodò filios suos repulisset?

Ab hoc exemplo, ad te quæso convertere. Quàm erit illud tibi grave aliquãdo cum te videris dejectum à gloriâ quæ tua pænè fuerat, si perdurasses, quanto tempore filius regni fuisti? tibi enim paratum erat regnum, & quæ fuerat Dei voluntas: nam cur tot te gratijs prævenisset, nisi te magnæ gloriæ paravisset? Illum Abrahæ sinum sperare debueras, cuius aliquandiu filius fide & imitatione extiteras, sed tot bona unica hora dissipavit. Et quàm illud gravius, cùm videris alterum, tuam coronam accepisse, tibi priùs destinatam, sed tuâ negligentiâ deperditam? cùm videbis alium tuo loco sedere, nec nisi tuo damno fœlicem? 1. Reg. 2. *Et videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israël, ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua.* Sed illud erit super omnia, gravissimum cùm videris hominem abjectissimum, & aliquando in vitâ sceleratissimum, ac longè positum à regno Dei, in sinu Abrahæ requiescentem, te autem dejectum: Quàm grave fuit diviti Epuloni, cùm siti in flammis discruciaretur in summâ rerum omnium inopiâ, videre Lazarum in sinu Abrahæ lautissimè epulantem, scitur (ait Chrysologus) quod te plus cruciet visus in requie Lazarus, quam tua tormenta. Nemo itaque confidat: nemo se stabilem putet, atque immobilem, nemo securitate corrumpatur, nemo alium despiciat, quilibet deiici potest, ne se dicat stare, quilibet frangi potest, ne se insertum olivæ jactet. Te quotidie ad perseverantiam hortare, quam Deus nemini donat nisi volenti nisi conãti, quamquam neque voluntas sufficiat, neque cursus, nisi adsit misericordia Dei miserentis: *Tene itaque quòd habes, ne alius accipiat coronam tuam.*

Quod si peccator es, imò si sceleratus, & regno planè indignus, noli tamẽ animum despondere, quasi redire non possis. *Numquid qui dormit, non adiiciet ut resurgat?* Gentes quondam idololatræ ad veritatis agnitionem venire potuerunt, tot mores mutati, tot victæ consuetudines, tot vitia deleta, tot prostrata monstra; Quid post hæc exempla dubitas? Si primis votis regnum cœlorum ambire non potes, sed potes secundis. Quàm multi quotidie pereunt, quàm multi cadunt, quàm multi franguntur? Illi tuo lucro atque emolumẽto pereunt, si occasione uti velis. Tam multis pereunt coronæ, quæ possunt esse tuæ si velis. Nemo est tam vilis, sed nec tam impius, nec tam sceleratus, quo peiorum non mutarit gratia, non receperit cœlum. Tot justos circumspice, nemo est illorum quem æquare non possis. Et illud parum est: nemo est, quẽ superare non possis. Cœlum ingredere, Beatos circumspice, quot ego video olim histriones & mimos, olim adulteros ac turpes, olim injustos & raptores

res, olim impios & idolorum cultores, ut nemo jam audeat desperare. Illi sunt qui cum Abraham epulantur, & in eius sinu quiescunt, dùm filij regni in tenebris exterioribus lugent, atque tristantur: Quàm hæc vox justos terrere, & peccatores consolari debet, quæ dicit Matth. 21. *Amen dico vobis, quia Publicani & meretrices præcedent vos in regnũ Dei:* Et Matthæus olim publicanus factus est Apostolus, & Paulus, & olim blasphemus, & persecutor, factus est Prædicator & Apostolus. En Magdalena Mulier in civitate peccatrix, plus cęteris amavit, mulierē partē elegit, & Virgines ipsas superavit: ita scilicet: *Regnũ Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Neque enim datur aut sanguinĩ aut stirpi, aut conditioni, aut professioni, sed virtuti, & quoquisque est violentior, eò etiam certiùs illud rapit. Nihil Judæ profuit filium fuisse regni, cum factus sit gehennæ filius. Nihil nocuit Æthiopi barbarum fuisse, & unum eorum qui ab ortu & occasu fuerunt, quandoquidem in Abrahami consortium fuit admissus, & cum Patriarchis, æternis bonis fruitur, quę nobis donet Filius Dei qui est benedictus in sæcula. Amen.



FERIA QUINTA CINERUM,

CONCIO PRIMA,

DE FIDE.

Amen dico vobis. Non inveni tantam fidem in Israël. Matth. 8.

INn hodierno Evangelio, in quo agitur de sanitate restitutâ servo Centurionis, multa sunt valde notabilia. 1. est, mira Christi potentia, qui licet absens solo verbo, hoc est solo imperio Centurionis servum sanavit. 2. Magna Centurionis humilitas, qui non ausus est sistere se præsentem Christo Domino, & rogare coràm, sed per alios rogavit, profitens se non esse dignum, ut id per se faceret: & cum sciret nihilominus Christum ad se venire, id excusavit, negans se dignum esse ut in eius domum veniret. 3. Admirabilis eius fides, quæ Christum etiam rapuit in admirationē: nam uti dicitur in textu: *Audiens autem Jesus miratus est*, de quâ re S. Chrysologus serm. 10. Creator mirabilium miratur, aurium conditor, quasi qui non audita nesciat, sic stupet audita. 4. Prælatio fidei gentilium supra Judæorum fidem: Unde Christus. *Non inveni tantam fidem in Israël.* 5. Tacita

Tacita Judæorum reprehensio de incredulitate, cum tot rationes haberent credendi: itaque Chrysologus loco cit. Cum Gentilem sic credidisse miratur, incredulitatem corripit Judæorum: sed quia hæc omnia tractare nimis longũ esset? hoc unum mihi tractandum proposui. quid causæ fuit cur Christus adeò extulerit Centurionis fidem: quod uti vobis explicem sicut oportet, egeo gratiâ Dei, quam ope Virginis postulo. *Ave Maria.*

MAGNUM quid & singulare prorsus esse in fide oportet, cùm ea sola fuerit argumentum causáq; admirationis Christi Domini, dùm vivebat in terris. *Audiens autem Jesus miratus est, & sequentibus se dixit, non inveni tantam fidem in Israël.* Ita cap. 15. Matthæi, eumdem illum sensum testificatus est de fide Chananææ. *O Mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Totòque in Evangelio non comperimus illum rem ullam nisi hancce virtutem miratum fuisse. Porrò cum in nobis admiratio significet, nos rei novitate deprehensos, cum aliquid anteà nobis ignotum, posteà cognoscimus: Admiramur enim ea quæ audimns, & videmus, aut aliâ ratione cognoscimus: cum anteà non solum ignoraremus, sed nec ita esse cogitaremus: in Christo admiratio non significat eius ignorationem antecedẽtem, & notitiam consequentem cùm nihil potuerit ignorate: ac multò minùs fidem Centurionis, cuius ipse author fuisset, ait S. Augustinus: sed significat rem esse insolitam, & magnam: Unde etiam exterius dedit testimonium magnitudinis rei; uti igitur in Scripturis dicitur Deus irasci, commoveri, & misereri: non quod Deus istos in se sentiat motus, & passiones: sed ratione effectuum, nam punit; & opem fert miseris: ita admiratio fuit in Christo per demonstrationem externam, & æstimationem magnitudinis rei: quâ sic egit, & ita locutus est: uti facere solent admirantes, voce, oculis, nutu, gestu, & laudatione & modo loquendi. Non est tamen illud quod quæro, quomodò in Christo potuerit esse admiratio, sed quid tandem sit in fide, quod Christo potuerit esse admirationis causa: nam si fidem miratus est in Centurione, oportuit admodum graves esse huius admirationis causas, quas hodie investigo.

I. Ratio, & causa quæ mihi occurrit, est nobilitas, & sublimitas actus fidei, super omnes actus qui sunt, vel qui fiunt in homine; hæc autem sublimitas ex multis capitibus oritur.

1. Ratione potentiæ in quâ est fides, quæ est intellectus.

Nota 1. in actibus considerari posse duplicem nobilitatem, una est generis, altera speciei: generis petitur à principio: ita dicimus visionem esse nobiliorem tactu: quia oculus nobilior est sensu tactus: & intellectus nobilior est phanthasiâ. Speciei nobilitas petitur ab objectio. Nam actus specificantur ab objectis, objecta enim sunt mensuræ actuum.

Nota 2. fidem esse actum intellectus, unde Paulus Hebræorum 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.*

Nota

Nota 3. intellectum esse omnium potentiarum nobilissimam: unde Aristoteles 1. de anima cap. 5. docet nihil esse præstabilius intellectu: & sic concludit? Maximè rationi congruum est, intellectum omnia præcessisse, & præstãtissimum omnium, & naturâ dominum esse: & lib. 12. Metaphys. cap. 7. intellectio secundùm se, eius est quod secundum se optimum est, & maximè est eius quod maximè est. Ratio est. Quia cùm vivens non vivente sit Præstabili⁹, habet enim in se sui motus principium: Quæ autem vivunt? aut vegetant sicut arbores, aut sentiunt, ut animalia; aut intelligunt, ut Angeli: insuper cùm intellectio melior sit sensu; certe intelle⁹ est potentia nobilissima: est enim prima vita animæ rationalis, & radix cæterarum facultatum ut voluntatis, & memoriæ. Cùm itaque fides sit actus intellectus, & intellectus sit nobilissima potentia: sequitur ex parte potentiæ fidem esse actum nobilissimum: & hinc vides nobilitatem generis.

2 Ratione objecti unde sumitur specifica nobilitas actuum, quia ab objectis, actus specificantur. Nam sive spectetur objectum materiale fidei, seu formale, est Deus ipse, & perfectiones Divinæ: Porrò à Deo petitur omnis fons, & origo nobilitatis, uti docet S. Chrys. homil. 1. ad Rom. Probatur major. Nã ut primó loquar de objecto materiali, quod Philosophi subjectum appellant, non aliud est quam Deus, definiente Apostolo fidem his verbis, *fides est substantia rerum sperandarum:* sed illud quod primò speratur est beatitudo, illa autem est ipse Deus. 2 Quia id quod est primo revelatum, & propter quod cætera revelata sunt est subjectũ fidei: sed Deus est eiusmodi, nã fine non cognito frustrà cætera cognoscerentur: 3. Quia omnia quæ fide creduntur, aliquem ordinem habent ad Deum, vel enim sunt eius proprietates, vel effectus, vel viæ quæ ducunt ad eius possessionem & cognitionem, unde Deus est primariũ subjectum fidei. 4. Quia virtus Theologica, primò & per se Deũ attingit ut finem: cætera autem dicunt attributionem ad Deum: unde fides immediatiùs Deum attingit, quam aliæ cognitiões: nam fides sine medio Deum attingit: aliæ verò cognitiones mediatè per objecta à Deo remota.

Iam quod pertinet ad obiectum formale quod, fidei. Dico esse Deitatẽ, authoritatẽ Dei, revelationẽ ab ipso factam, & res revelatas. Probatur de Deitate. Quia ante actum, quo credimus rebus revelatis, propter authoritatem Dei: & ante actum quo credimus ipsã authoritatem Dei, debet ordine naturę præcedere actus credendi Deitatẽ, seu existentiam Dei: Nam prius quàm dictis alicuius credamus, oportet ut eius existentia priùs cognoscatur, & priùs etiam quàm eius authoritatem cognoscamus.

Idem probatur, de eiusdem authoritate. Quia credere aliquid, est assentiri alicui propositioni ob authoritatẽ dicentis, quia existimatur talis, ut fallere non possit: unde authoritas dicentis, est ratio, cur ei fidès adhibeatur: Id docet Augustin: libro de utilitate credendi cap. 11. Sicut quod intelligimus, rationi debem⁹: sic quod credim⁹ authoritati.

non tantum sensus, sed etiã intellectus: Vnde certior est, experiẽtia & scientiis, immo etiam primis principiis, seu intellectu primorum principiorum, quæ sunt per se nota & ex terminis evidentia. Nam scientiæ quidem nituntur naturis rerum: fides autem essẽtiâ divinâ, quæ maiorem habet in essẽdo necessitatem, quàm essentiæ creatæ: Iam experientia ferè nititur sensibus, qui omnes falli possunt, & quos sæpe oportet per rationem corrigere: cùm divina veritas, & motiva credendi non possint nos fallere, saltem prima. Denique intellectus principiorum nititur evidentiâ immediatâ: fidei autem certitudo oritur ex præmotione divinâ, quæ ad fidem necessaria est, uti docent Consilia: Inde fides dicitur donũ Dei: unde Christus Ioannis 8. *Propterea vos non creditis, quia ex* Deo *non estis*: *Qui autẽ spiritu Dei aguntur*, ait Apostolus Rom. 8. *Hi sunt filij Dei.* Vt autem omnis de fidei certitudine doctrina supra omnẽ aliam benè intelligatur.

Nota 1. Certitudinẽ actus intellectus nihil aliud esse, buam necessariam ipsius connexionem seu conformitatẽ cum obiecto, quæ provenit non ex ipsâ obiecti materialis, aut formalis necessitate aut immutabilitate; cum circa eius modi obiectum versari possit opinio, quæ dubitationem, & formidinem pati potest: sed provenit ex peculiari modo attingendi obiectum cum quo necessariam habet necessitudinem.

Nota 2. Hanc necessariã & essẽtialẽ actus intellectus cum obiecto conformitatem provenientẽ ex modo attingendi obiectum, quæ rectitudinem actus constituit, in naturalibus non aliunde oriri, quàm ex clarâ obiecti propositione & evidentia actus: Ille enim enim actus est evidẽs. qui nititur perfecta applicatione obiecti realiter præsentis aut per se, aut per speciẽ, seu imaginem, ab ipso immediatè, au mediatè, effectivè, vel exigitivè ab ipso prodeuntem, ejusdemque in actu primo repræsentativam: unde si imperfecta sit prævia illa obiecti applicatio, quo actus ille nititur, op-ortet illum a:ctum inevidentem esse, atque obscurũ Hinc enim fit ut potentia intellectiva perfectè in se vitaliter exprimere nequeat id quod per speciem impressam implicitè, & in actu primo repræsentatur, & consequenter nequit esse clara vitalis imago, quàm tunc illa in se format quæ est actualis cognitio.

Nota 3. Cum actus fidei Theologicæ essentialiter sit obscurus, & consequenter eius certitudo peti non possit ex clarâ obiecti propositione, & evidentiâ actus, aliunde petendam esse: quod satis difficile est ut explicetur, nisi aliquid detur, quo suppleatur imperfecta obiecti applicatio ad potentiam; quod in sequntibus explico.

Nota itaque 4. Actum obscurũ qualem diximus esse fidem, dicere essentialem ordinẽ ad potentiam externam, & diversam ab intellectu, quæ compleat quodammodo applicationem obiecti eiusdem actus, seu quæ moveat & determinet intellectum ad operandnm circa obiectũ actus obscuri: cum enim obscuritas actus oriatur ex imperfectâ obiecti propositione, uti diximus, & aliũde intellectus ex suâ naturâ in verũ propẽs, nõ possit per se solũ, elicere

ullum actum, ex intrinseco modo in obiectum tendēdi, falsitati expositum, qualis est ille qui elicitur circa obiectū imperfectè applicatum, necesse est intellectum non satis per intrenseca principia determinatum ad actum obscurū, ad eum determinari ab extrinseco per motionem alicuius potentiæ ab eo distinctæ, quæcūque tandē illa esse possit.

Nota 5. Potentiam externam valentem determinare intellectum, ad actum obscurum, esse duplicem: una est quæ non potest movere ad actum falsum, sed tantum ad verum: altera potest etiam ad falsum determinare, licet etiam possit ad verum.

Nota 6. Eum actum esse intrinsecè certum, & necessariò, qui ex suo modo intrinseco tendendi in obiectum dicit essentialem ordinem ad potentiam intellectui extrinsecam, non valentē determinare ad ullum actum, nisi verum: sive ille actus est intrinsecè certus, qui ex intrinseco modo attingendi obiectum, nulli falsitati est expositus, sed est necessariò conformis obiecto: at talis est ille actus obscurus, qui eo modo in obiectum tendit, ut dicat essentialiter ordinem ad potentiam intellectui externam, cui essentialiter repugnet, intellectum, à quo ille actus elicitur, movere ad obiectum falsum ex intrinseco modo in obiectum tendendi, ei conformi, nulli prorsus falsitati exposito.

Nota 7. Duplicem esse in Deo potētiam influendi in actus creatos intelligendi, unam quæ influat, influxu non debito intellectui: hoc est quem nullæ causæ secundæ exigunt determinantes Deum ad illum influxum: alteram quæ influat influxu debito: hoc est quē exigat aliqua causa secunda: Hic postremus influxus potest respicere falsū assensum ab intellectu nostro elicitum; sed prior non potest: Quia influxus in assensum quo Deus influit influxu non debito causis secundis, seu quem nulla causa secunda exigit est virtualis quædam assertio obiecti eiusdem assensus, Deo autē essentialiter repugnat, quidquā falsi aliquo modo testari; alioqui careret summâ in loquendo authoritate, quæ tamen est perfectio simpliciter simplex. Ad hæc, Quia quælibet falsi assertio, etiam virtualis, habet intrinsecam disconvenientiam respectu cujuslibet naturæ intellectualis, positam in difformitate assertionis externæ cum internâ, in quo sita est malitia mendacij. Ex dictis:

Duo sequuntur 1 actū fidei esse supernaturalem: non tantum, quia inter res creditas multæ sunt supernaturales, ut Trinitas, & Incarnatio: res autē supernaturalis attingi non potest, nisi per actum supernaturalē: Sed quia ordinē habet ad Deum, ut habentem potentiā influendi in actus nostri intellectus influxu non debito: sed excedente omnium causarum secundarū exigentiam.

2. Sequitur illum actum summā habere certitudinē: certitudo enim nihil aliud est, quam quædā in objectū tendentia, nulli falsitati exposita, sed inducens in actum intellectus necessariam conformitatem cum objecto. Nulli autem falsitati exposita est tendentia illa in objectū, quæ dicit essentialem habitudinem ad potentiam Dei,

Dei, quatenus valentis influere in actus nostros, influxu nobis non debito, quem nulla causa secunda exigat, illum ad sibi coagendum determinans. Et patet. Quia influxus Dei, quo influit in actus creatos intelligendi, non determinatus ab exigentiâ ullarum causarum secundarum, est assertio, & testificatio quædam saltem virtualis objecti eiusdem actus: Nulla verò Dei assertio cadere potest in objectum falsum. Quod autem actus fidei respiciat in genere potentiam aliquam externã, ab intellectivâ distinctam, quæ ei coagat: vel potius quæ intellectum determinet ad actũ fidei, hoc habet præcisè ex sui obscuritate: cur verò obscuritati jungatur certitudo, est ratio specifica potentiæ externæ non valentis influere in actum falsum: quæ ratio competit soli potentiæ Dei, ut potentis influxu quem non exigat ulla causa secunda: Tunc enim influit non tantũ ut causa prima, & universalis, sed etiã ut causa secunda, & particularis. Quemadmodum igitur quando objectum non est sufficienter propositum in naturalibus, intellectus non potest agere assentiendo, sed opus est externâ potentiâ nempe voluntate, quæ determinat intellectum ut assentiatur: ita quia in fide est obscuritas, non potest intellectus assentiri, nisi determinetur ab externâ potentiâ, nempe divinâ, quæ præmovet volũtatem ut velit producere actum credendi, qui actus etiam non elicitur, nisi præmoveat Divina potentia, quæ ad falsum inclinare non potest, & quæ maiorem habet repugnantiam cum falsitate, quàm quælibet naturalis evidentia, & certitudo: Vnde sequitur quod à me dictum est, actum fidei certiorem esse omni scientiâ & naturali cognitione.

V. Causa nobilitatis fidei petitur ex eius efficacitate, & potentiâ. Et primò quidem quoniam fidei nihil est impossibile, Matth, 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Vnde Christus ad miracula, rogantium fidem deposcebat. Lucæ cap. 8. cùm ad Archisynagogum, mors filiæ nuntiata fuisset, dixit ei. *Noli timere, crede tantũ, & salva erit.* Tùm eam suscitavit: & in hodierno Evangelio Matth. 8. dixit Centurioni, *Vade, & sicut credisti, fiat tibi, & sanatus est puer in illa horà*: & cap. 9. ubi agitur de duobus cæcis, qui ab eo sanitatem petierant. *Creditis, quia hoc possum facere vobis: dicunt ei, utique Domine: tunc tetigit oculos eorum, dicens, secundũ fidẽ vestrã fiat vobis, & aperti sunt oculi eorum:* ita Març. 9. Patri dæmoniaci muti, & surdi ita locutus est, *si potes credere, omnia possibilia sunt credenti, credo Domine, adjuva incredulitatem meam.*

2. Non solum magna est fidei efficacia ad patranda miracula, sed etiã magnum habet robur ad præclara facta cuiuscumque generis, quod non faciunt scientiæ: nam vel sunt speculativę; vel practicæ: primæ non movent ad opus: aliæ parùm possunt: vide enim quò tandem philosophos morales perduxerint, cùm etiam in illis summis magna vitia reliquerint, in Socrate, in Platone, in Aristotele, & aliis quos vetustas tantopere demirata est: sed ad quæ facinora fides homines non deduxit? lege cap. 11. Epistolæ Pauli ad Hebræos, ubi catalogum ponit illu-

strium virorum, qui per fidem ad summa quæque pervenere. *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo: fide Henoch translatus est ne videret mortem.* Tũ loquitur de Noë, de Abraham, de Isaac, de Iacob, de Ioseph, de Moyse: de Iudicibus, de Regibus, de Prophetis, de quibus omnibus mira narrans, eorum omnia præclara facinora, fidei tribuit. Quid de innumeris Martyrib⁹ loquar? quid de Confessoribus, & aliis sanctis, qui omnes fidei beneficio tales evaserunt, quæ illos suprà mortalem conditionem evexit?

Denique quanta vis fuit fidei ad persuasionem, quæ universum orbem terrarum ad se convertit? Nonne hoc planè admirabile est, quod advertit Theodoretus sermone 9. de Græcorũ affectionibus, ubi agit de legibus. Cum tot fuerint in omnibus nationib⁹ legislatores, vix tamen illos potuisse singulis urbibus, aut nationibus suas leges persuadere: finitimis tamen non potuisse, & eas omnes iam esse abrogatas: Christi autẽ leges in omnes nationes, beneficio fidei transisse, & adhũc post tot sæcula permanere, & cæteras omnes leges abolevisse: licèt Reges, & Imperatores suis edictis obstiterint, & innumeris atque inauditis suppliciis se opposuerint: sed nimirum uti dixit S. Ioannes, Apostolus in suâ primâ Epistolâ cap. 5. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.*

Illud ipsum est quod advertit S. Ambros. lib. 1. de Fide cap. 5. Fidei Christianæ cessisse argumenta Philosophorum, quorum dogmata vix ad posteros transierunt: cùm fides Christiana toto orbe viguerit: unde sic ait. Aufer hinc argumenta, ubi fides quæritur: in ipsis gymnasiis suis iam Dialectica taceat: Non quæro, quid loquantur Philosophi requiro quid faciant: soli in suis gymnasiis remanserunt: Vide quam fides argumentis præponderet; illi quotidie à suis consortibus deseruntur, qui copiosè disputant. Isti quotidie crescũt, qui simpliciter credũt. Nõ creditur Philosophis: creditur Piscatorib⁹ non creditur Dialecticis, creditur Publicãis: illi voluptatib⁹ & delitiis orbẽ ligarũt, isti ieiuniis, & doloribus exuerunt. Ex quo successu patet virtus fidei.

Et hæc sufficere possunt ad ostendẽdam nobilitatem & sublimitatem actus fidei, & ut respondeatur eorum falso iudicio, qui dicunt fidem esse virtutẽ abjectorum hominum, humilium ingeniorum, & ignorantium: sed nimirum ut ait S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 18. Non capiunt fidei magnitudinem angusta impiorum pectora: Tantùm enim abest ut fides sit depressio intellectus, ut potiùs sit summa eius elevatio, quò enim nullus intellectus potest attingere, eò fides pertingit. Idem lib. 4. in Luc. cap. 5. Quod mens humanâ rationis investigatione non potest cõprehendere fidei plenitudo complectitur. Altera causa ob quam Christus tanti fecit Centurionis fidem, est magna actus fidei difficultas, & consequenter magna eius raritas.

Quod pertinet ad eius difficultatem.

1. Petitur ex naturâ objecti supernaturalis, quod superat omnem intellectum creatum, secundùm illud Davidis. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, cõfortata est, & non potero ad eam.* Quæ enim nobis credenda proponuntur,

ma

ximâ ex parte sunt eiusmodi, ut Trinitas, Incarnatio, Eucharistia, peccatum originale, Sacramenta, & infinita alia, ad quorum cognitionem, nulla creatura rationalis per se potest pervenire, unde sequitur elevandam esse ope Divinâ, & supernaturali: itaque oportet ut intellectus seipsum erigat super se, & super omnia creata, ut eò perueniat, quod non fit sine magno conatu, & consequenter cum difficultate. Eodem pertinet quod Deus ut fidem nostram magis probet, semper proponat res difficiles, & arduas, immò id affectare videatur, difficultates augendo. Rationē reddit S. Leo serm. 10. de Passione. Vt mirabilior fieret constātia fidei ex difficultate credendi: ita cū Genes. 15. Abrahamo posteritatem promisit, id fecit cum iam de posteritate desperaret: unde de eo dicit Apostolus Romā. 4. *Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium*: Nam contra spem naturalem, credidit Abraham in spem quā concepit ex promissione Dei cui credidit: Hac etiam re non contentus, plus eum probavit, majora eius fidei opponens: Cum enim ex Agar filiū suscepisset Ismaëlem, putavit Abrahā in eo completam esse factam sibi à Deo promissionem, sed cùm Dei esset propositum, dare illam posteritatem Abrahamo ex Sara ipsius vxore, noluit tàm citò rē illi aperire, sed illud tēpus expectavit, cùm nihil ei amplius sperandum videretur, nempe eius senectutem, cùm esset annorum ferè centum, hoc est nonaginta novem, & jam esset in habilis generationi, & haberet corpus emortuum: & cum esset uxor eius Sara, præter sterilitatem, multorum annorum experientia comprobatam, eâ ætate, ut naturaliter, neque concipere, neque parere posset, cum ei muliebria desiissent, & esset annorum nonaginta. Et illo tempore illi significavit semen illud quod promiserat, se per Saram illi daturum. Expectavit itaque Deus illud tempus, in quo plus esset difficultatis, & res minùs esset credibilis, & minùs speranda videretur, ut ex rei difficultate, mirabilior esset Abrahæ fides: quod ita commendat Apostolus Roman. 4. *Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide.* Eodem modo cum esset ab eo petiturus, ut filium suum immolaret, illud tēpus expectavit, cùm jam esset habilis matrimonio, & ab eo proles sperari posset, ut magis fidem eius probaret, ut nimirum à mortuo expectaret, quod non habuerat à vivo, unde tantum abest ut obiectorum difficultas fidem impediverit, ut tunc maximè eam Deus exegerit cum res difficiliores proponeret, ut mirabilior fieret constantia fidei, ex difficultate credendi. Patet itaque difficultas fidei ex ratione obiectorū.

2. Difficultas credendi petitur ex assuetudine agendi intellectus, qui non solet assensum suum præbere, nisi propter rerum evidentiā: vel immediatā, ut in intellectu principiorū, vel mediatam ut in discursibus, & conclusionum deductione.

Hinc factū ut mundi huius sapientes, fidem repulerint, nam ut ait Apostolus 1. Cor. 1. *Græci sapientiam quærunt.* Sed quid

1. Cor. 1. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo: ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Non tantum ratione rerum propositarum, sed ratione procedendi, nempe per fidem:&hunc modum idem Apost.2. Cor. 10. vocat captivitatem intellectus,&obedientiam fidei: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* In eo autem fuit obedientia quod intellectus subdiderit se fidei, credendo incredibilia, & assentiendo ijs quæ non comprehēdebat. Sanè cùm omnes potentiæ subditæ sint voluntati: solus intellectus non est ei subditus in rebus sibi clarè propositis, & in dando suo assensu cum firmitate, quem naturaliter non dat nisi rebus evidenter cognitis: sed fides hunc ordinem invertit,&rebus etiam obscuris assensum donat eâ firmitate, ut major sit eâ quam dat evidentia: Id tamen non fit sine magnâ difficultate, & magnâ victoriâ fidei intellectum sibi subiicientis.

5. Difficultas est in eo, quod oporteat intellectum non tantùm superare sensum, & phantasiam, sed etiam seipsum: quæ enim vulgò cognoscimus, ortum habent à sensibus,& semper intelligentiam comitatur phantasia, in quâ rerum species conservantur, sed fides cùm sit *substantia rerum sperandarũ, & argumentum non apparentium*, alia proponit quam quæ à sensibus, aut à phãtasiâ percipiuntur: dicente Apostolo 1. Cor. 2 *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus ijs qui diligunt illum. Seipsum* autem etiam superat, quia fides est argumentum seu convictio non apparentium, cum intellectus secũdum naturalem modum suum agendi non convincatur nisi rerum evidentiâ.

4. Difficultas est in eo quod necesse sit ut fides non tantum sensum atque rationem superet, sed etiam ut aliquãdo oppugnet: uti enim in scientiis intellectus repugnat sensibus per rationem, ut cum sol oculis nostris pedalis apparet: cum baculus in aquâ ex parte immersus apparet incurvus, aut fractus, cùm objecta in speciem geminantur: cùm innumeri colores apparent per vitra triangularia:sic possumus per fidem repugnare,& sensibus & rationi: hoc enim habent cognitiones superiores, ut corrigant inferiores. Quid non correxit fidesTrinitatis circa principium universale totius humani discursus, Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se? Quid Incarnatio circa naturam subsistentiæ,& personalitatis? Quid mysteriũ Eucharistiæ circa naturam quantitatis, & separationem accidentium,& corporum locabilitatem; Vnde factũ ut quidquid nobis verũ videatur per rationem naturalem, & humanum discursum, illud corrigamus per fidẽ:Et hoc est propriè perdere sapientiã sapientiũ,& prudentiã prudentiũ reprobare: Non quod veritas veritati sit contraria:sed quod sum̃a veritas omne mendacium redarguat.Hinc sancti tam multa aggressi sunt, contra cõmunem hominum sensum, & multa fecerunt quæ in speciem videbantur quid fecitDeus ut fidem stabiliret,contrariam viam inivit, unde scriptum est esse

esse irrationabilia: quare Ambrosius in cap. 5. epistolæ ad Rom. Pretiosa est fides, quia contra id quod scit, aut videt, credit futurum, hac spe consolans se, quia Deus est qui promittit, de quo sentiri plus par est, quam humana imbecillitas capit: Tum allato exemplo Abrahami, qui credidit in spem, contra spem, hæc subdit: Magni meriti est apud Deum, qui contra scientiam suam Deo credidit, non dubitans posse illum, ut potè Deum, quòd scit secundum mundi rationẽ fieri nõ posse: pro certo enim habet Deũ ultra mũdi rationẽ esse: Nemo enim intrà id esse dicendus est, quod creavit: Ideò huiusmodi remunerandus est à Deo, quia authori suo plus tribuit quàm sapit. Inde credendi laus crescit, si quod incredibile est, & mundo stultum videtur, credatur: Quia quantò plus impossibile putatur, quod creditur, tantò magis honorabilior erit credens: Et verè tamen stultum esset hoc credere, si sine Deo fieri diceretur.

Hinc itaque non mirum si Christus tanti fecerit Centurionis fidem, ob rei difficultatem. Addidi & raritatem. Unde subdidit Christus: *Non inveni tantam fidem in Israël*, idque post tot miracula à Christo patrata, post tot documenta, & Christi prædicationes: sed uti aliquis dixit, Magnum argumentum raritas: Quod autem rarum est, admirationem inter homines parit.

Ex dictis sequitur 1. si Christus in homine Ethnico fidem tanti fecit: te eamdem, & in te, & in aliis plurimùm æstimare debere, nec pati ut quisquam illam tibi auferat, aut ut illius jacturam ullâ de causâ facias. Quin potius cogita te in rebus omnibus nihil melius habere quam fidem; bonum supernaturale; tuarum actionum esse nobilissimam, uti ostendimus, & rerum tuarum pretiosissimã. Si quis tibi aurum, si possessiones auferre conaretur, nõ sineres, sed contradiceres & decertares: Cur nõ idẽ facis respectu fidei? Ut alia bona conserves, vitã quoq; tuã exponis: an fidei tuæ conservatio, minus aliquid meretur? Audi quid suo discipulo Timotheo dicat Apostolus Paulus, *Certa bonũ certamẽ fidei, apprehende vitã æternam.* vide quale certamen fidei, sancti Martyres decertarunt: Maluerunt omnia perdere quàm fidem: bona possessiones, officia, munera, dignitates, domum, familiam, patriam, libertatem, immò & vitam: Maluerunt omnia sustinere: verbera, catastas, enses, gladios, cruces, rotas, ignes, sartagines, incendia, quam fidem sibi eripi, vel in uno aliquo articulo mutari: Quantum oriens totus pro unâ literulâ, aut uno accentu decertavit? quàm multi inde sanguinem profuderunt? Minima te difficultas, minima te ratio, minima te commovet authoritas, & te à veteribus abstrahit institutis: Quamlibet novitatem sequeris: Quælibet te nova propositio ad se pertrahit, fidem mutas, ut opinionem: fidem tuam deseris ut quodlibet consilium: quasi non te graviores causæ in fide stabilivissent, quam quælibet rerum humanarum occasio, & conditio: Quod miracula fidem tuam confirmarunt? quot prophetiæ, quot gravissima doctissimorum hominum testimonia?


Quantorum hominum sanguine constituta est? Quot exempla in omnibus nationibus te præcesserunt? omnis conditionis, & status? Quot sæcula te docuerunt? Quantæ sanctorum hominum myriades, in eâdem fide, gloriam, & beatitudinem consecutæ sunt? Quot tu quotidie inter beatos colis, quorum tu quotidie opem imploras, & protectionem, qui omnes in eâdem fide, in qua educatus es, vixerunt, nec decepti sunt, nec errore devio delusi sunt? Tu post hæc ad unam aliquam levem objectionem, aut parvam aliquam difficultatem tibi propositam, eorum sensus aspernaris, & fidem mutas? Vide an id facias jure aliquo, vel injuriâ? Quid faceres si tibi objecta essent majora, & graviora: bonorum spoliatio, exilium, carcer, servitus, verbera, tormenta, & mors ipsa? Quàm fortiter te gereres hominum ignavissime, & imprudentissime? Te vana simulatæ pietatis, falsæ misericordiæ, & ementitæ vitæ rigidioris species decipit: Te unius loci, aut ex sacris Scripturis, aut ex aliquo Sanctorum Patrum desumpti obscuritas ita commovet, atque percellit, ut tot credendi titulos, & innumera fidei tuæ testimonia negligas, & novitatem sequaris. *Certa bonum certamen fidei*, nec tibi patiaris, aut errore, aut violentiâ, aut ullâ aliâ ratione fidem eripi. Acceperat Naboth à majoribus suis hæreditatem quam possederant: Rex Achab eam concupivit, & pro eâ habendâ, possessori, aut pecuniam, si vellet; aut alium fundum, si mallet, obtulit: ille constanter recusavit se quod à majoribus suis acceperat deserturum: Jesabel uxor Regis, eius constantiam fortioribus armis aggressa est. Mortem ei nisi consentiret, minitata est: sed vir fortis, mortem non timuit, mori maluit, quã paternam hęreditatem deserere: itáque nec perdere illam potuit, nisi cum vitâ, ratus se non posse vitã simul & honestatem conservare, si quod à majoribus acceperat metu mortis desereret. Tu à maioribus fidem tuam accepisti, tot sæculis firmatam, tot testimoniis roboratam, tanto martyrum sanguine stabilitam, & eam tam facilè perdes, atque deseres? & eam tibi eripi sines, minimâ causâ, & levissimâ occasione? Certè si eius pretium nosces, si tanti doni magnitudinem scires, si cogitares quanti Christo quanti Apostolis, & viris Apostolicis, & quanti antecessoribus tuis constiterit, ut eam puram, illibatã, atque integram ad te transmitterent; quot eam lachrymis, quantis sudoribus, quantis laboribus, quot itinerib⁹ quot certaminibus, quot tormentis, quanto sanguine illam stabiliverint: Nulla equidem te ratio, nulla te causa, nulla spes, nullus metus, nullus respectus, nulla te difficultas commoveret, sed usque ad extrema omnia, pro re omnium nobilissimâ & pretiosissimâ conservandâ decertares, illud implens Apostoli, *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam.*

Sequitur 2. Actus fidei sublimitatem difficultatem, & raritatem, nõ modò non deberè te à fide abstrahere, sed potiùs ad eam invitare. Nam rei alicuius dignitas, & sublimitas acuere debet ingenia, & quæ summa sunt, animum generosum solent erigere: nempe ô Chri-

ô Christiane ad majora destinatus es, quàm natus, & originem tuam, téque ipsum, naturamque totam superare debes. Id per gratiam potes quod per naturam non potes: fides est gratiæ opus, non naturæ: Itaque te ipsum supra te erige: Duplici parte constas, animâ, & corpore, parte sensibili, & parte intellectuali: Intellectu omnia corporea superas. Jam intellectu distinguere etiam potes partem inferiorem & superiorem: Inferior ita omne corporeum potest attingere, ut etiam superet: superior ad omnia quæ supra sensum sunt, ascendere potest. Sed pars superior, aut suis viribus naturalibus agit, aut supernaturalibus, quas aliunde accipit: si viribus agit naturalibus, usque ad fidem pertingere non potest: si viribus agit supernaturalibus, omnia naturalia transcendit, fides autem tota supernaturalis est, & ad eam pervenire potest: tu verò per eam ad omnia, quò naturaliter assurgere non posses, nec aspirare. Noli itaque secundùm naturam te spectare, sed secundum gratiam, nec vires tuas aspice, sed Dei potentiam, nec te moveat fidei difficultas aut sublimitas, quia omnia potes in eo, qui te confortat, te autem confortat per gratiam.

Eodem modo quæ in te maximam habent difficultatem, ea virtutem solent exacuere. Quæ difficilia sunt, non semper sunt impossibila, sed majorem exigunt conatum: ille autem majoris est, & gloriæ, & meriti: ad utrumque te invito tot exemplis quæ te præcesserunt. Tu non poteris, quod isti, & istæ? quod viri potuerunt, & fœminæ? quod omnis ætatis, & sexus homines? quod pueri, & puellæ? quod summi, & infimi? quod pauperes, & divites? quod servi, & liberi? quod fortes, & debiles? quod benè educati, & barbari? quod in urbib' nati, & in sylvis generati? quod docti, & indocti? quod tot sapientes, & insipientes? Et ut nullam excusationem prętexas, neque illi omnes in suis viribus potuerunt: neque à te exigo ut id tuis viribus perficias: præsertim cùm eadem sit omnium vocatio, communis prædicatio, eadem omnium illuminatio; communis gratia, idem auxilium, & idem omnibus propositum præmium, eadem remuneratio, nempe eadem beatitudo, quæ est gloria cœlestis, ad quam nos perducere dignetur, qui cum Patre, & Spiritu sancto, vivit, & regnat, in sæcula sęculorum. Amen.

***



FERIA QUINTA CINERUM,

CONCIO SECUNDA

DE FIDE.

In quâ prærogativæ actus Fidei exponuntur.

Non inveni tantam fidem in Israël. Matth. 8.

QUAMVIS nihil oculis nostris plusquàm lux effulgeat, nihil tamen ingeniis nostris eâdem luce forsitan magis abstrusum est: res universas efficit nobis aspectabiles cùm se nobis abscondit: proinde Philosophi minimè potuerunt adhuc de illius naturâ consentire. Pythagoræi ajunt eam divinum quidpiam esse, Platonici spiritalem faciunt; nonnulli ex ipsis illam nominant aspectum Dei, perinde ut si eius oculorum radij, ad nos astrorum canalibus venirent: Eruditus Ficinus in lib. 7. de Republicâ Platonis, illam inter spirituale & corporeum intermediam statuit. Verum quidem est, eam usque adeò se à materiâ sejungere, ut cùm corpora opaca & densa nanciscitur, ab iis se removeat quàm maximè potest, ac se reflectat, & ad suum primum principium revertatur, ad quod ita adhærescit, ut ab eo se nunquam separet, illud insequens usquequaque, cum eo periens, sectando si recedat, nũquam post ipsum restando, contra rationem agendi quam cæteræ qualitates tenent, quæ quidem in subjectis extraneis subsistunt à suo principio sejunctæ: uti accidit calori, omnibusque qualitatibus quæ corporeæ sunt. Illa est, quæ præcipuam universi pulchritudinem efficit, quæ vel facit colores omnes, vel saltem eos nobis visibiles reddit. Sine illâ nihil gaudij, neque securitatis habemus in vitâ. Ideò Filius Dei nobis inferos, extremamque hominis miserã per tenebras exteriores depingit.

Si lux oculorum quæ nonnisi corporea est, adeò nobilis est atque pretiosa, quid de animæ luce quæ spiritualis est, sentire debemus? Longè autem amplius de eâ quam Deus solus potest

potest in ipsam mentem infundere, quę fidei lux est, de quâ iterum vobis habeo dicendum. Id tamen aggredi non ausim, absque Spiritus sancti luce, quã similiter expectare nequeo, sine precibus & subsidio B. Virginis, à qua vobiscum illam suppliciter efflagito. *Ave Maria.*

MINIME arbitror me heri malè conclusisse, cùm dixi vobis, oportere fidem esse quid magnum aut valdè rarum, quandoquidem ex Evangelio non constat, Filium Dei quidquam nisi virtutem illam admiratum fuisse, uti fecit in Centurionis personâ. *Audiens autem Jesus miratus est, & sequentibus se dixit. Amen dico vobis, Non inveni tantam fidem in Israël.* Matt. 8. Et 15. in personâ celebris illius Chananeæ, *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Diximus autem huius tam insolitæ admirationis, oportuisse graves admodum fuisse causas: duas attulimus, prima fuit sublimitas, & nobilitas actus fidei, super omnes actus qui sunt in homine in hac vitâ: altera eiusdem actus fidei difficultas & raritas. Hodie.

Tertiam vobis causam affero ob quam Christus tanti fecit Centurionis fidem, scilicet innumeras fidei prærogativas; ex multis paucas attingo.

1. est, Quia primus est hominum ad Deum accessus. Hebr. cap. 11. *Sine fide autem impossibile est placere Deo: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est;* quippe quæ sit primus motus supernaturalis animæ in Deum: nam sicut in rebus omnibus moralibus principium totius motus, est cognitio, quæ præcedit omnem motum voluntatis, Ita initium omnis motus in Deum est fides, quia est prima Dei cognitio supernaturalis: Hinc etiam, prima est unio animæ cum Deo: est enim prima ad Deum elevatio, & posteà adhæsio: (sibi enim intellectus unit objectum suum.) Ad hæc fides est initium in homine totius entis supernaturalis: unde nihil supernaturale in animam ingreditur ante fidem, & eâ sublatâ nihil remanet, itaque nihil induci potest, nisi priùs fides, saltem naturâ, introducta sit, & cætera omnia tolli possunt, illâ etiam superstite: sed fide destructâ cætera omnia corruunt, spes, charitas, dona Spiritus sancti: ex quo fit ut omnia quæ geruntur, tribuantur fidei; non quòd sola fides omnia perficiat, sed quòd sine fide nihil fiat: & quòd fides rebus omnibus se interserat: quare ab Apostolo definitur Hebr. 11. *Substantia rerum sperandarum:* quod exponens S. Ambros. lib. 2. de pœnit. cap. 3. Bona substantia fides, in qua spei nostræ est patrimonium: Dicitur etiam substantia rerum sperandarum, ut sit quiddam stabile, quod sit fundamentum salutis: & ideò meminit rerum sperandarum: quæ vox significat primarium fidei objectum, quod est Deus, finis noster supernaturalis. Quod autem additur *argumentum non apparentium*, significatur argumenti effectus qui est convictio quædam, quâ quis rebus non apparentibus, non minus, immò magis adhæret, quam illis quæ per argumenta naturalia apparent.

2. Fidei prærogativa est, quia Deus voluit hominem salvare & justificare per fidem, & non alio modo, unde dixit Apostolus Hebr, 11. *sine fide impossibile*

est placere Deo: quæ doctrina ferè est materia totius Epistolæ D. Pauli ad Romanos. Cum enim Iudæi legem à Deo accepissent, putarunt se legis acceptæ observatione salvari posse, & inde aliis gentibus quibus à Deo lex data non fuerat, se anteponebant: contra quam falsam opinionem fusè disputat cap. 3. 4. & 5. illius Epistolæ docens hominẽ nõ justificari per opera, sed per fidem: Nam licet Deus potuerit homines variis modis salvare, secundùm ordinem sapientiæ suæ: vel solâ condonatione extrinsecâ, uti docent multi Theologi, sine alicuius doni interni communicatione: vel infusâ immediatè justitiâ, seu gratia sit, seu charitas, aut alia qualitas: vel per opera quæcunquæ: vel alliis modis innumeris soli Deo notis; omninò voluit homines salvari per fidem: Exemplum huius rei illustre habemns Numerorum cap. 21. Cum enim in murmurantem populum Deus ignitos serpentes immisisset, quorum morsibus multi peribant, ipsis veniam à Deo petentibus, iussit Moysi ut in sublime serpentem æneum erigeret, hoc addito, *Qui percussus, aspexerit eum, vivet*: unde etiam subditur, *Et aspicientes sanabantur*. Certè percussos à serpentibus poterat Deus multis modis sanare: noluit tamen illos aliter sanare, quàm ænei serpentis aspectu: Ita Deus noluit homines aliter salvare, quàm per fidem in Christum, quasi per aspectum serpentis, uti dicitur Ioannis 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Vt autem meliùs intelligatur qua ratione id fiat.

Nota 1. duplicem esse salutem, unam inchoatam, alteram completam: Inchoata est huius vitæ, & fit per remissionẽ peccatorum, & justificationem, quæ nõ fit, uti malè docuit Calvinus, per imputationem justitiæ Dei, sed per infusionem gratiæ quæ est vera sanctitas. Cõpleta ad alteram vitam pertinet, & fit per donationem gloriæ, seu per visionem beatificam.

Nota 2. salutem inchoatam esse dispositionem completæ, nam datur gloria gratiæ, secundùm illud Ioan. 1. *Gratiam pro gratia.*

Nota 3. salutis inchoate causam efficientem esse *Deum*: instrumentalem aut meritoriam esse Christum: formalẽ esse ipsam gratiam, quia ipsa est sanctitas, & justificatio: sed dispositionem esse fidem in Christum: Quoniam itaque fides est dispositio & instrumentũ iustificationis, ideo dicimur salvari per fidem, quia nec sine fide salvamur: & per fidem salvamur: sicut itaque percussi cùm sanitatem recuperabant, formaliter sanabantur per sanitatem seu temperamentum humorum: sed à serpente æneo, ut à caussâ instrumentali, & mediante visione, neque enim serpens æneus sanabat, nisi visus: Ita mediante fide seu per fidem, homines salvantur, quia fides, est dispositio ad justificationem.

Nota 4. fidem solam non esse integram & totalem dispositionem ad justificationem: quippe præter fidem requiritur etiam pœnitentia, quæ sine spe, &

spe, & dilectione Dei non fit, uti explicat Conciliũ Trident. sess.6.cap.6. Nam considerando Dei misericordiam in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore: illùmque tanquam omnis justitiæ fontẽ diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per pœnitentiam: Nam uti fides est dispositio intellectus: Ita pœnitentia est dispositio voluntatis, per quas homo recipit justitam per quam formaliter justificatur.

Nota 5. Scripturam sacram plus meminisse fidei, quam aliarum dispositionum, Quia uti docet Concilium Trident. sess.6.cap.8. fides est salutis humanæ initium ac fundamentum, & radix omnis justificationis, & consequẽter aliarum dispositionum: Dixi 1. esse initium. Quia fides semper præcedit: nisi enim peccator, se contra Deum peccasse, & per Christum justitiam sibi esse oblatam credat, nec timet, nec sperat, nec dilligit, nec se peccasse dolet: Vnde sequitur fidem, eorum omnium esse initium.

Dixi 2. esse fundamentum, Quia ipsi cætera innituntur: ablata enim fide, cætera corruũt, nec possunt subsistere: cæteris verò ablatis, non continuò fides destruitur, uti docet Concil. Tridẽt. sess.6. cap.15. sicut ablato, & evulso fundamento ædificium corruit, non tamen collapso ædificio, statim destruitur fundamentum.

Dixi 3. esse radicem. Quia cæteras dispositiones inducendas concurrit: non quód necessariò ipsæ consequantur fidem, nec quod fides eas necessariò inducat, sine ulteriori adjutorio supernaturali; sed quod ex parte, ad hos actus producendos concurrat fides, una cum axilio gratiæ divinæ: seu physicè id fiat, seu moraliter, codẽ modo quo in naturalibus, actus intellectus, seu cognitio, concurrit ad producendos naturales actus voluntatis: Charitati enim proponitur per fidem Deus amandus: Spei perfidem proponitur Dei misericordia speranda. Timori justitia Dei metuenda: Pænitentiæ peccatum dolore & contritione detestandum, ac puniendum. Hinc Apostolus Paulus in Epistola ad Rom. cap.3 tribuit fidei vim justificãdi. *Iustitia autem Dei, per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes qui credunt in eum:* & ibid. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu quem proposuit Deus propitiationem, per fidem, in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionẽ præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ eius, in hoc tempore, ut sit ipse iustus, & justificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.* Cuius rei veritatem ostendit idem Apost. cap. 4. eiusdem Epist. in exemplo Abrahæ, quem negat per opera sua, sed per fidẽ justificatum fuisse, cuius magnitudinem ostendit. Id autem probat certo testimonio Scripturæ Genes.15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam:* hoc est ratione fidei justificatus est: non quia sola fides sit justitia; sed quia fides est inchoamentum justitiæ, & ad eam complendam deducit: Vnde ita concludit cap.5. *Iustifi-*

Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & habemus accessum per fidem, in gratiam istam, in quâ stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: Quorum omninm verborum sensus non est, fidem esse ipsam justitiam seu sanctificationem: sed sequentia innuuntur.

1. Fidem esse initium iustitiæ: Quia ipsam sic præcedit, ut inchoët: & sic inchoat, ut sit etiam pars ipsius, non aliter quám vestibulum, ita est initium domus, ut sit etiam pars domus.

2. Fidem esse totius nostræ justificationis fundamentum, secundum verba illa Hebr. 10. cùm vocatur *substantia rerum sperandarum*, ut non putes totum illum statũ supernaturalẽ esse aliquid fictitium, sed initi firmissimo alicui fundamento, nempe fidei divinæ: sicut enim basis totius entis naturalis est substantia, cui innituntur proprietates, accidentia, actiones, & cætera quærentibus attribuũtur: Ita basis totius entis supernaturalis est fides. Ac ne putes ista omnia incerta esse, quia neque videntur, neque tanguntur, propterea ibid. subdit Apostolus, *Argumentum non apparentium*, ut scias convictionem esse, & summam certitudinem, non ex ipsâ rerum evidentia petitam, sed aliunde, scilicet à dicentis authoritate.

3. Esse radicem nostræ iustificationis: Quia ab eâ pullulat, & sucrescit omnis iustitia nostra, uti docet Trident. sess. 6. cap. 10, Vnde ex Ambros. lib. 1. de Vocatione Gentium cap. 8. Fides bonæ voluntatis, & iustæ actionis est genitrix.

4. Fidem impetrare, & quodámodò mereri ex congruo iustificationem: unde expressè dixit Apostolus, hominem justificari per fidem: Quia intuitu fidei, cætera dantur, quæ necessaria sunt ad justificationẽ: Sic Augustinus, Non opera, sed fides inchoat meritum: Et Ambros. lib. 2. de Vocat. Gentium cap. 9. Fides quâ justificatur impius, non nisi ex Dei munere habetur, eaque nullis meritis præcedentibus tribuitur, sed ad hoc donatur, ut principium possit esse meritorum ut cum ipsa data fuerit non petita, ipsius jam petitionibus bona cætera conferantur.

5. Quod fides nos Christo immediatè coniungat, qui nos gratis justificat, secundùm illud Apostoli ad Titum 3. *Iustificati gratiâ ipsius.* & Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius:* & cap. 5 *Iustificati ex fide.* Et hæc causa est cur Deus fidei potiùs quam operibus vim justificandi tribuerit: Quia in ea magis manifestatur hominem non propriâ virtute sed Christi meritis justificari: sicut enim in deserto, homines à serpentibus vulneratos, noluit aliter sanare, quam æni serpentis aspectu, ut scirent se à virtute serpentis sanari, non ab opere proprio, aut ab aliquâ medicinâ: quid enim potest esse virtutis in solo aspectu: cum aspectus ex suâ naturâ, sit tantum obiecti præceptio. Ita fides ostendit homines iustificari merito, & virtute Christi in quem credunt, non autem propriis meritis. Et eâ de causâ Paulus fidei tribuit justificationem, ut à justificatione excludat opera legis, & humanum meritum; & eâ ratione omnẽ iustificandi efficaciam collocet in solâ Christi virtute, & merito. Hinc dicit Aposto-

Apostolus, nos justificari gratis per gratiam ipsius: ut doceat fidem, donum esse gratuitum, nobis datum gratis, quod nos nullis nostris meritis, & nullâ nostrâ virtute justos facit, & ideò utrumque cõjunxit, gratis, & gratiam, quia non ex nostris meritis nobis datur hoc donum quo justificamur, & grati simus: quod ut melius adhuc intelligatur.

Nota 1. Fidem, ut est actus noster, nullam ex se habere efficaciã reconciliandi nos cum Deo, sed virtutem totam reconciliationis procedere ex objecto ipso, nempe Christo, cuius meritum Deus non applicat ad justificandum, nisi per fidem: ut aspectus serpentis ænei in deserto, non ex se habebat vim sanandi, sed efficacia erat ex serpente, quem ad sanitatem Deus per Moysem proposuerat: Idem dicendum est de fide quæ ex suâ naturâ non habet vim faciendi justificationem, sed Deus per eam in credentibus justitiam operatur vi meritorum Christi: Quia igitur fides ex divino beneplacito est medium quoddam, per quod virtus Christi operatur justitiam, idcircò fides non impedit, quin gratis detur justitia, quia non ex merito fides datur, sed ex ordinatione Dei, qui sic voluit justitiã nobis dare. Quod etiam ut melius intelligas.

Nota 2. Nullam talem dispositionẽ ex suâ naturâ absolutè fuisse necessariam, sed tantùm ex divinâ dispositione, & voluntate: potuit enim Deus justificationem nobis dari, etiam nihil operantibus: uti justificat infantes per baptismum sine aliquo illorum actu: noluit tamen nos salvare sine actibus nostris. Verùm aliud est Deum nos justificare non sine actibus nostris: aliud nos justificare ex merito actuum nostrorum: primum quidem verum est: secundum autem falsum: voluit autem potius per fidem, quam per aliam actionem, quia illâ ratione melius ostenditur quod justificatio fiat ab alio, in quẽ fides tendit, ut sciremus nos gratis justificari: unde Apostolus Ephes. 2. *Gratiâ estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: donum enim Dei est, non ex operibus, ne quis glorietur.* In quibus verbis tota superior doctrina continetur, nempe salutem nostram tribuendam esse gratiæ, non operibus nostris, tamen mediante fide, quæ primum est Dei donum, & primus effectus gratiæ: sic enim voluit Deus homines salvare, & sanctificare, ne quis sibi suam salutem tribueret, sed omnia referret in Deum.

Ex quibus omnibus patet, cur in Scripturis fidei potissimùm tribuatur hominis justificatio, & salvatio.

Hinc factum ut in id præcipuè Christus incubuerit, ut fidem stabiliret, & homines ad fidem perduceret. Huc tendit omnis ipsius, & Apostolorum prædicatio: hoc unum spectarũt omnia miracula: Prophetarum oracula, & omnes Scripturæ: In fide tota lex nova fundata est, & semper fides nobis prædicatur ob rationes allatas.

Nulli itaq; mirum videri debet, quod Christus, ut fidei dignitatem ostẽderet, miratus sit fidem Centurionis: cuius rei causas ostendimus, 1. sublimitatem huius actus: 2. eius difficultatem, & raritatem: denique mirabiles fidei prærogativas, quia nimirum ex fide omnia bona nobis oriuntur: primò quidem

X omnis

omnis ſtatus ſupernaturalis : deinde omnes virtutes morales: Hæc eſt enim quæ nos facit ſperare:cum ſit *ſubſtantia rerum ſperandarum*: quæ nos facit Deum timere : nobis enim proponit Deum juſtum, & non volentem iniquitatem: quæ nobis repræſẽtat ſupra res omnes formidabile judicium, ignes inextinguibiles, & ſuppliciorum atrocitatem, & æternitatem. Hæc nos facit Deum amare, proponendo eius perfectiones, bonitatem,charitatem,miſericordiam, beneficia : Per illam facilè contemnimus temporalia : & æterna, atque immortalia perſequimur, eſt enim *argumentum non apparentium*. Siquidem,ut ait Apoſt.2.Cor.4. *Quæ videntur temporalia ſunt : quæ autem non videntur, æterna ſunt*. Eleemoſyna fructus eſt fidei, mortificatio,rerum omniũ deſpicientia,& derelictio,pœnitẽtia,martyriũ, præclarè geſta, actus heroïci, & omnia egregia facinora : quorum omnium habemus exempla cap. 11. epiſt. ad Hebræos in omnibus Sanctis veteris Teſtamenti, quos Apoſtolus ait fidei teſtimonio probatos fuiſſe. Hinc videmus paſſim in hominibus omnes virtutes creſcere, aut decreſcere, prout fides in illis eſt aut major,aut minor : itaque non mirum ſi omnia apud nos frigent, quia vel modica eſt fides,vel penè extincta, vel omninò nulla. Certè res omnes reſpectu naturæ intellectualis, non aliud habent eſſe, quàm per cognitionem, alioqui penes illam perinde ſe habent entia, atque non entia, unde dicuntur res omnes quoddam eſſe habere in intellectu, immò corporalia nobiliùs exiſtunt in intellectu,quàm in ſeipſis: multò magis id dicendum eſt,de iis rebus,quæ nullo modo cadunt ſub ſenſũ. Sed quia quædam ſunt, quæ non tantùm ſenſus ſuperant,ſed etiam vim naturalem intelligendi,ideò ejuſmodi,reſpectu noſtri non ſubſiſtunt,niſi per cognitionem ſupernaturalem,quæ in hac vitâ nulla alia ſolet eſſe, quàm fides, unde dicitur ab Apoſtolo, *ſubſtantia rerum ſperandarum*, quaſi in nobis res illæ non habeant aliter eſſe quam per fidẽ, quâ collapſâ res illæ omnes quaſi eſſe deſinunt,ſeu amittunt eſſe. Ita infideli nullus eſt Deus. *Dixit* enim *inſipiens in corde ſuo,non eſt Deus*. Nulla divina potentia,nulla æternitas,nulla immortalitas,nullus finis & beatitudo,& conſequenter nulla vera virtus, nulla ſpes, nulla charitas, & nihil ſupernaturale. Hinc nos videmus tantoperè rebus tẽporalibus affixos, & cœleſtium contemptores; Hinc plus facimus hominũ gratiam,& favorem quam Dei:& ſi alterutrum amittere neceſſe ſit, quotuſquiſque eſt qui malit aulam relinquere, quàm conſcientiam deſerere? Quid nõ facis ut diteſcas, ut in honoribus creſcas,ut familiæ dignitatem augeas? Iam cogita quid facias, ut Deo placeas, ut in virtute creſcas, ut gloriæ cœleſtis ſecurus fias:Hoc maximè caves, ut res ſtatus aut familiæ non decreſcant, aut aliquid detrimenti accipiant, ſed ut religio aut minuatur,aut creſcat,non laboras:unde hæc omnia proficiſcuntur, niſi quia in te, aut nulla eſt fides, aut extincta,aut ſopita? Ac nè forte putes me tibi injurioſum eſſe, quaſi non ad Chriſtianos verba habeã,ſed ad infideles,vide num iſtas habeam ita loquẽdi cauſas.

Nam

Nam præter quam quod 1. passim homines sibi sufficere putant quod fidem infidelitate non amiserint, unde fide habituali contenti sunt, & pauci admodùm sunt, qui habeant actualem fidem, cùm tamen fidei habitus, non possit esse principium alicuius actus, nisi actus fidei, cùm in nullos alios actus influat: ita ut si fidem actualem non producat, omninò inutilis sit, cùm nihil producat: quod de fide actuali dici nō potest, quæ influit in ōnes actus supernaturales, & in omnes actus virtutum, unde rectè dixit S. Ambros. lib. 2. de pœnitentia cap. 8. fidem esse bonæ voluntatis, & justæ actionis genitricem, quod de fide habituali dici non potest, sed de actuali.

Præter quàm quod 2. pauci sunt, qui fidem vivam habeant: Non solùm, quia eorum fides charitate non animatur, quare nihil confert ad meritum: unde charitas à S. Thoma vocatur forma fidei, quod fit cum actus internus charitatis imperat actum fidei, atque ita confert valorem quendam, quo vitam æternam promereatur, qui valor est forma extrinseca actus fidei, quâ vitalis fit vitalitate quadam morali, quæ dicit vim promerendi vitam æternam: Non solùm iterùm, quia carent operibus sine quibus fidem mortuam esse docet S. Jacobus in sua Epistola cap. 2. *Sicut enim corpus sine spiritu mortuũ est: ita & fides sine operibus mortua est*, hoc est sine voluntate operandi: nam ipsa opera sunt effectus fidei vivæ, sed radix horum operum, nempe bona voluntas, seu charitas, aut perfecta, aut inchoata, est forma, seu vita fidei: Sed ideò quia penè omnes, ut videre est, qui se maximè Christianos profitentur, & verè fideles se putant, fidem tamen exercent tantùm circa obiectum materiale fidei, seu res revelatas, non autem circa formale, quod est authoritas divina, seu prima veritas: unde vix formant actum fidei, sed res propositas, ex assuetudine, & quia ab infantia sic audierunt, sibi persuadent, sed non ex vero motivo fidei: Non aliter quam multi opera virtutum moralium exequuntur, sed non ex motivo virtutis: Ita multi justum faciunt, sed non justè, unde nec justi sunt: Multi eleemosynas faciunt, sed non ex motivo virtutis: unde nec studiosi sunt, nec laude digni. Aut quia non distinctè sed confusè sibi proponunt quæ credenda sunt. Nam si distinctè & explicitè cogitares de animorum nostrorum immortalitate, de futuro judicio, secundùm omnes circumstantias, quas Christus exposuit in Evangelio: de æternitate tormentorũ inferni: de verme qui non moritur, de igne qui non extinguitur; quid inde concluderes? quo esses animi sensu, quo metu, quâ mentis commotione, & morum mutatione? Aut deniq;. Quia pauci sunt qui agant ex motivo fidei, ita ut fides sit principium operum: & hinc fortasse dixit B. Jacobus, *Fidem sine operibus mortuam esse*. Nam uti vita est principium internum operationum, & motus: & sicut à posteriori colligitur vita ex motu, & operationibus: & contrà; sicut ex negatione omnis motus, & operationum, colligitur aliquid non vivere, nam vita secunda sunt operationes, & vita prima est principiũ internũ operationũ, ita nisi fides impellat

ad actionem, & fit principium operationum, censetur mortua. Sed vide quàm pauci sint, qui ex fide operentur, & consequenter quàm sint pauci quorum fides sit viva.

Ut inquam hæc omnia omittam, duo maximè sunt quæ me impellunt, ut dicam, Nullam passim esse in hominibus fidem.

Primum est, Cũ fides divisionẽ non patiatur, & pauci sint qui habeant plenitudinem fidei, de quâ loquitur Apostolus cap. 10. Epistolæ ad Hebr. *Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei;* hinc pauci sunt qui fidem habeant, nam si plenam non habent, nullam habent. Ut hoc bene ab omnibus intelligatur.

Nota fieri posse, ut quoad objecta materialia, seu quoad res quæ creduntur, divisio fieri possit: & hoc modo contingere potest ut quis fateatur unitatem Dei, sed non Trinitatem personarum, sicut fecit Arius: Macedonius fassus est Dei filium esse Deum, & Patri consubstantialem, sed negavit divinitatem Spiritus sancti. Nestorius, & Apollinaris errarunt circa Incarnationem Verbi, non circa Trinitatem: Pelagius benè sensit de Trinitate, & Incarnarione: malè de necessitate gratiæ: Et pauci sunt hæretici qui circa omnia errarint. Sed ad hæresim sufficit error in uno: Itaque circa objecta fidei, potest esse divisio. Sed fides quoad objectum suum formale non patitur divisionem. Est autem divina authoritas, & prima veritas: Quia est idem objectum formale respectu omnium objectorum: Itaque non potest nos movere divina authoritas ad credenda aliqua ex iis quæ proponuntur, aliis reiectis: Qui enim agnoscit primam veritatem, credit habere authoritatem infallibilem, ad confirmandum quodlibet suo testimonio: Itaque qui non credit unum articulum, nullum credit. Non dico quod alios neget: sed dico quod alios non credat ex divinâ authoritate, sed quod unos velis credere, & alios nolit: quod enim semel agnoscitur infallibile, agnoscitur tale circa omnia; alioqui non habet infallibilitatem, si circa aliqua possit errare, & falli. Itaque unam fidem pronuntiat Apostolus Ephes. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Babtisma.* Vide autem in quàm paucis, talis fides reperiatur: nam quàm multi varios errores in suâ fide habent admixtos, de Prædestinatione, de Gratiâ, de Libertate, de concordiâ liberi arbitrij cum divinâ gratiâ: de potestati summi Pontificis circa definitionem articulorum fidei: de pœnitententiæ Sacramento, & modo illud administrandi: de necessitate contritionis, vel attritionis ad valorem Sacramenti, de bonis operibus, de satisfactione, de Purgatorio, de Ecclesiæ infallibilitate circa doctrinam credendorum, & faciendorum: de qualitate Redemptoris, & universalitate, & alijs innumeris, circa quorum singula, vel unicus error, omnem fidem abrogat, quia fides indivisibilis est ratione objecti sui formalis, quod est prima veritas, quæ si in aliquo eorum quę ab Ecclesiâ proponuntur nos non reddit securos, in nullo potest: unde sequitur hæreticos quoscunque, licet non negent omnes articulos, sed vel unicum tantùm, nullum tamẽ credere fide divinâ,

divinâ, ſed tantùm quia credere illos volunt. Et in illis locum habet illud S.Jacobi cap. 2. *Qui offendit in uno factus eſt omnium reus;* non quod omnia neget, ſed quod nullum omninò articulum credat fide divinâ. Hinc judicium ferre potes de novis hæreticis,qui cùm tales ab Eccleſiâ ſint judicati, eos tales eſſe credere certò debes, & conſequenter eos nullum articulum credere fide divinâ,non Trinitatem,non Incarnationem,non Euchariſtiam, & alia eiuſmodi:Itaque nos Catholici, *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.*

Alterum quod me impulit ut dicerem paucos eſſe, qui fidem habeant,eſt quod cum prima veritas ad nos non perveniat immediatè, ſed per revelationem nobis à Deo factam,& hæc re-revelatio ſit quædam Dei locutio: & cùm duplex ſit Dei locutio, una immediata, altera immediata: & Dei locutio immediata ad nos non perveniat, ſed mediata: hęc autem non fit, niſi per Eccleſiam, ſecundum illud Chriſti Domini Luc. cap. 10. *Qui vos audit, me audit.* Et illud Matt. 18. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Cumque Eccleſia nobis non loquatur niſi per paſtores, ſed maximè per Paſtorum Paſtorem, ſancti Petri ſucceſſorem, quem S. Chryſoſt. appellavit os Apoſtolorum: ſequitur eos qui non audiunt Eccleſiæ definitiones, quas per ſummos Pontifices ut per os ſuum nobis loquitur, non audire Deum loquentem ſeu revelantem,& conſequenter non attingere objectum fidei formale, quod eſt prima veritas revelans, quæ ad nos nō pervenit immediatè, ſed tantùm mediatè: unde fit, ut qui Pontificum Deciſionibus non acquieſcunt, non etiam acquieſcant Deo revelanti, & conſequenter non credant fide Divinâ: Unde vides quid de noſtris novis Hæreticis ſentire debeas, qui definitioni Pontificis acquieſcere recuſant: an fidem habere, dici debeant: Etenim fidē non habet, qui primæ veritati non acquieſcit, cùm prima veritas ſit objectū formale fidei, non quidem in ſe abſolutè ſpectata, ſed quatenus poteſt movere intellectum per revelationem obſcuram. Nam quodlibet objectum conſtituitur cognoſcibile, ut poteſt movere intellectum, ſeu immediatè, per ſe producendo ſpeciem: ſeu mediatè per authoritatem dicentis: qui autem dicit, aut immediatè per ſe loquitur, aut mediatè per alium quo utitur, & quem dirigit, ut ſuam mentem manifeſtet: Deus autem voluit nos docere per Eccleſiam, cuius caput, eſt Pontifex, & conſequenter per quem nos inſtruit,ac docet: ſicut enim in capite, eſt lingua, ita in ſummo Pontifice eſt authoritas ſumma docendi, & definiendi: unde cum illa locutio dupliciter ſpectari poſſit, primò ut humana, atque ab homine profecta: deinde ut ab ipſo Deo directa: primo modo, authoritatem tātùm habet humanam: ſecundo modo authoritatem habet divinam, quia eſt quædam Dei locutio: & ita ab eo dirigitur & ordinatur: & hac ratione habet infallibilitatem: ita Caïphæ reſponſum interpretatus eſt S. Joānes cap. 11. cum dixiſſet. *Expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.*

Hoc autem à semelipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente.

Quid ex his omnibus convenientius possum colligere, nisi ut firmi, & cõstantes permaneamus in eius fidei possessione, in quâ sumus, nec nam nobis eripi sinamus, cum sit optima omnium nostra possessio: est enim fides, *Rerum sperandarum substantia:* & ut diximus ex Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 3. Bona substantia fides, in qua spei nostræ est patrimonium: Quasi fides sit hominis Christiani optima possessio, cuius ne minimam quidem partem amittere oportet, ne tota amittatur: *Accedamus ergo ad Deum, cum puro corde, in plenitudine fidei.* Hanc ne fideles amitterent, bonorum omnium, & vitæ jacturam facere, & sanguinem profundere maluerunt in omnibus Ecclesiæ sæculis: intelligebãt profectò fide amissâ, se omnia perdidisse: illâ salvâ, & integrâ, se habere omnium bonorum fontem, atque radicem. Cùm autem nobis auferri possit, vel deceptione, vel violentiâ; nobis providendum est, ne nos vel decipi sinamus, vel deijci: decipere nos volunt, qui novis dogmatis, & speciosis rebus illudunt. Sed quoad dogmata, meminerimus, nos fidem habere per revelationem: illam autem ab Ecclesiâ, Ecclesiam autem loqui, os autem habere in capite, caput autem Ecclesiæ esse summum Pontificem. Noli itaque mihi afferre, aut doctores & magistros, aut sanctos Patres, quicunque illi sint, tanquam fidei regulas, vel authores: sed Ecclesiam, sed Petri Cathedram, sed Pontificum definitiones. Decipere etiam volunt, qui morum reformationem, qui sanctitatis speciem, qui opera misericordiæ, qui eleemosynas, qui pœnitentiam, qui corporis austeritates obtendunt. Ego quidem morum reformationem, non reijcio, sed eam quæ fidei est conformis: sanctitatem, veneror sed nullam agnosco sine fine, dicente Scriptura. *Justus enim meus ex fide vivit:* Et ut loquitur sanctus Ambrosius in cap. 6. Epistolæ ad Hebr. Perfectum illum vocamus, qui in fide vitam habet rectam. Scias fundamentum omnis justitiæ esse fidem, ex Tridentino. Misericordiæ opera & eleemosynas omnibus ulnis amplector: sed ut notat idem S. Ambrosius l. 6. in Lucam c. 8. Deus fidem prætulit misericordiæ, quæ tunc habet meritum, si fide præcedente conferatur: alioqui nec Gentilibus profuerunt eleemosynæ nec Judæis opera legis, & ceremoniæ, & jejunia, & corporis afflictiones, nec Mahumetanis copiosæ largitiones, quia uti dixit Apostolus Hebr. 11. *Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Ne vos itaque ista exteriora decipiant, quia omnia externa sunt æquivoca, nec vim habent placendi Deo, nisi quatenus à fide procedunt: *Justus enim meus ex fide vivit;* non quidem sola, sed tanquã à radice: *Quòd si subtraxerit se*, uti loquitur Paulus cap. 10. Epistolæ ad Hebræos, qui locus sumptus est ex Propheta Abacuch, & in Hebræo legitur: Quòd si elatus sit, seu superbiat: pro quo Sanctus Hieronymus sic vertit: Quòd si incredulus sit; quæ omnia idem omninò significãt, sicut enim credere verbo Dei, est humiliantis se: ita nolle credere, elati ac superbi

perbi animi. Non credens autem subducit se divinæ obedientiæ: *Non placebit animæ meæ.* In Hebræo: Non est recta anima eius in ipso: quæ verba concordant cum istis: *Accedamus ad eum cum puro corde, in plenitudine fidei. Nos autem* (pergit Apostolus) *non sumus subtractionis filij in perditionem; sed fidei in acquisitionem animæ.* Cætera enim non proderunt ad salutem: fides autem est initium salutis. De ea jam deijcere nos volunt, qui vel promissis, vel minis, vel calumniis & persecutionibus, vel authoritate pugnant: sed nobis Deus unus est spectandus, eius promissiones attendendæ, eius minæ timendæ: sola gehenna metuenda, eius authoritati deferendum, in qua omnis nostra fides fundata est, sicut in fide omnis spes nostra. Nunc credamus, ut aliquando videamus: nunc speremus, ut aliquando & possideamus, & fruamur: utrumque tantùm fiet in gloria, ad quam gratiâ suâ nos perducat CHRISTUS JESUS Ecclesiæ Sponsus. Amen.

FERIA QUINTA CINERUM

CONCIO TERTIA

DE FIDE.

Cur Deus voluit homines regere per fidem.

Non inveni tantam fidem in Israël. Matth. 8.

IN concione præcedenti pauca diximus in lucis commendationem, sed præcipuè in laudem fidei, veri luminis animorum; sed sicut reperti sunt homines adeò lucis osores, ut sicut ait Jobus cap. 3. *Maledicant diei,* & sint, ut dicitur cap. 12. *rebelles lumini;* ita inventi sunt homines qui fidem damnarunt, cuius ego hodie defensionem suspicio, sed non sine lumine Sancti Spiritus, quod nonnisi per Virginem nobis affulgere posse spero, sic Ecclesiâ canente, Tu porta lucis fulgida. *Ave Maria.*

QUis unquam credidisset post tam multa fidei elogia, repertos esse homines qui dicerent fidem esse actum humilem & abjectum, & præclaris ingeniis indignum, quæ non cœco modo procedere solent, sed cum rerum cognitione, & solam ubique rationem sequun-

sequuntur: cùm intelligant, ideó homines natos esse rationales, ut ratione utantur; non autem ut incredibilia sibi persuadeant, ea tantùm de causa, quia hæc ipsis dicta sunt: quæ ratio procedenti, propria esse videtur, aut belluarum, quæ alieno imperio, atque ductu reguntur, aut puerorum, & hominum ignarorum, & abiectorum, qui non suo judicio ducuntur, sed alieno: unde magnopere mirantur, quòd Deus voluerit homines gubernare, etiam in rebus maximi momenti per viam fidei, cùm magis decorum foret, atque honestum, tùm ipsi Deo, tùm hominibus, ut homines quos fecit rationales, gubernaret ratione, non fide; rerum ipsarum cognitione, non ignoratione. Et hinc profecta est nova quorumdam hominum secta, qui se vocant rationales, ut nos â fide fideles, qui in rebus, quæ nobis credendæ proponuntur, eas dijudicant ratione, non fide, eas admittentes quæ cum ratione concordant, alias autem rejicientes quas cum ratione pugnare judicant. Sed nimirum, uti dixit Ambrosius libro de Spiritu Sancto capite 18. Non capiunt fidei magnitudinem angusta impiorum pectora: tantùm enim abest ut fides sit depressio intellectus, & propria humilium & abiectorum ingeniorum, ut potius sit summa eorum exaltatio, uti in prioribus concionibus ostendimus, quò enim nullus intellectus potest attingere, si solus sit, & solâ ratione utatur, eò fides pertingit: Ambrosius libro 4. in Lucam cap. 5. Quod mens humana rationis investigatione non potest comprehendere, fidei plenitudo complectitur. Sed quoniam, ut ait Apostolus Rom. 5 *Sapientibus, & insipientibus debitor sum*; ac ne videar cum illis summâ authoritate agere, eos etiam audiamus, & cum rationibus, in sola ratione sistentibus, rationem adhibeamus, atque ostendamus, non tantùm eos esse fidei inobedientes, sed etiam rationi.

Quærunt itaque 1. cur Deus voluit homines in rebus quoque maximi momenti regere per viam fidei, hoc est per ignorantiam, & cœco modo; fides enim habet obscuritatem, non evidentiam.

Respondeo 1. cum Apostolo Roman. 9. *O. homo, tu quis es qui respondeas Deo?* Vox Græca significantius aliquid dicit, qui ex adverso respondeas, seu disputes cum Deo. Nam si Deus nobiscum ageret pro summa potestate, nullus posset conqueri: itaque etiam si quilibet consideret quid fecerit Deus, non tamen licet causam inquirere cur fecerit; nisi Deus, & rem, & causam nobis aperuerit. Ita Incarnationē revelavit, & finem Incarnationis, nempe hominum redemptionem: sed cùm Deus aliquid non revelavit, non licet ultra inquirere: unum sufficere nobis debet, nihil de justitia Dei, aut de eiusdem potestate ambigi posse: sic ferè Deus voluit nos rerum existentiam scire, modum autem & naturam voluit ignorare: ita ut ait Sanctus Ambrosius libro 6. in Lucam capite 9. Non licet mihi scire divinæ generationis seriem; non licet tamen nescire generationis fidem. Et in talibus id observandum est, quod docet idem Doctor l. 1. de vocati one gentium c. 7. Quæ Deus occulta

occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, nō sunt neganda; ne & in illis, illicitè curiosi; & in istis damnabiliter inveniamur ingrati. Itaque roganti cur voluerit Deus homines regere per fidem, hæc responsio sufficere deberet, Deum ita voluisse: idem enim est, atque si dicerem, justè voluisse.

Respondeo 2. si homines cum aliis hominibus agentes, ab eis fidem exegerunt, cur Deus ab hominibus fidem exigere non potuit? Certè Pythagoras Italicæ sectæ Dux, hanc legem discipulis suis sanciverat, ut quinque annis silentium servarent, & tantùm docentem audirent, quibus toto illo tempore, nulla alia dictorum ratio dabatur præter illud verbum, *autos epha*, ipse dixit. Nonne turpe est nos tantumdem Deo non tribuere, quantum Phythagoræ tribuebant, qui se disciplinæ eius addixerant? Plato in Timæo circa Deorum genealogiam Poëtis fidem adhiberi voluit, Homero, Hesiodo, & aliis: nullamque ab eis rationem exigi, licet eorum scripta plena fabulis esse sciamus. Et irrationabile judicabitur, ait Theodoretus serm. 1. de Græcorum affectionibus, ut docenti Deo credere, homines adhortemnr? Ipse Plato libro 1. de legibus, sibi credi vult à junioribus in iis quæ scripsit, sive benè, sive perperam se habeant. Et Philosophis tam diversa docentibus, tam multi fidem habuerunt, cum de rerum principiis, de animorum immortalitate, & de aliis rebus scripserunt; & mirabimur Deum ab hominibus fidem exegisse.

Respondeo 3. omnes disciplinæ & scientiæ, & artium cognitiones ortum habent à fide; nam ut ait Theodor. sermone 1. de Græcorum affectionib⁹, par est ut priùs credat, qui velit addiscere: nunquam enim prima elementa perdiscet, qui literatori fidem non habeat, primam, aut secundam literam sic appellari: nam si neget, dubius errabit, & falsū pro rero sumet: & si obsequatur, statim fidem cognitio, ac scientia subsequetur. Ita & Geometræ fides habenda dicenti, punctum esse cuius pars ulla non sit, & longitudinem carere omni latitudine; hoc autem nullus unquam sermone demonstrabit: nam si latitudine privaveris longitudinem, utique cum latitudine, simul omnem tolles longitudinem: sed tamen ita jubet intelligi Geometra, cui facilè fidem habet, qui lineares illas figuras avet perdiscere. Idem probat in Astronomia, & in omnibus artibus, in quibus per fidē tyrones statim addiscunt. Idem ostendit in ægrotis respectu Medicorum: in Mercatoribus: in Nautis, & aliis omnibus; unde subdit. Est itaque fides, velut primaria quædam basis, & crepido scientiæ: & sic concludit. Insulsum igitur planè facinus est non ferendum, ut velimus cunctarum artium magistris convenire scientiam, discentibus autē fidem; ut scilicet cognitionem fides præcedat, subsequatur autem fidem cōgnitio: & in sola divinarum rerum doctrina factum hoc inverti, ita ut hìc tātùm fidei scientia præponatur: in iis enim reb⁹ quę videri nō possunt, fidei oculis maximè indigem⁹; unde bene monet Isaias, ex versione septuaginta Interpretū: *Si non credideritis, non intelligetis.*

 Respon-

'. Respondeo 4. non tantùm in scientiis, & in artibus, sed etiam in rebus ferè omnibus humanis, opus esse fide, uti agnovit Sanctus Augustinus. Quis enim sciat, quo patre, & qua Matre si natus, & à quibus maioribus sit ortus, nisi ex alieno testimonio; ut scias in omnibus rebus fidem esse necessariam: & nos privandos non fuisse fide sine magno nostro dispendio. Cur itaque miramur, si Deus fidē à nobis exigat? Quòd si in tam multis rebus fidem habemus hominibus, cur non etiam Deo habeamus? nam ut ait Sanctus Ambrosius libro 4. in Lucam capite 5. Si Deo non credimus, cui credemus? omnia enim quæ credimus, vel visu credimus, vel auditu: visus sæpe fallitur, auditus in fide est: an asserentis persona discutitur? si viri boni dicerent, nefas putaremus non credere: Deus asserit, probat Filius, refugiens sol fatetur, tremens terra testatur.

Respondeo 5. innumera esse, quæ aliter à nobis scieri non possunt, quàm fide, ut omnia super naturalia, qualis est Trinitas, Incarnatio, Eucharistia, & similia. Cum enim Deus hominem evexerit ad statum super naturalē, necesse fuit ut daret cognitionem supernaturalem, nam fundamentum entis moralis, est cognitio: talis autem cognitio non debuit esse evidens, quia est status alterius vitæ: igitur debuit esse obscura; talis autem est fides: unde Apostolus 1. Corinth. cap. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Cùm itaque Plurima obiecta superent omnem capacitatem creatam, necesse fuit mentem attolli, quod fit per fidem: Psalm. 137. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Et quidem tanta est imbecillitas ingenij nostri, ut ne formicę quidem naturam, formationem, indolem, vitam, ætates cognoscere possimus, aut alterius rei maximè obviæ essentiam, immò neque rerum, quæ in nobis sunt, aut geruntur: quomodo igitur de divinis rebus & supernaturalib' iudicare potuissemus, nisi divina sapiētia solâ fide ea nobis patefecisset Ambrosius libro 4. in Lucā capite 5. Quod mēs humana rationis investigatione non potest comprehendere, fidei plenitudo complectitur.

Respondeo 6. cùm ad salutē necessariū sit Deum nosse, illi inservire, atque eius voluntati obedire; id autem nemo facere possit, nisi eius voluntatem norit: nemo autem hominis voluntatem sciat, nisi ipse aperiat, sequitur nullum etiam Dei voluntatem scire posse, nisi aperiat; non manifestè, uti diximus, quia non est status huius vitæ, igitur occultè, ea autem cognitio est fides: de qua agens Theodor. lib. 1. de Græcorum affectionibus, eam sic definit, latentis & obscuræ rei quædam visio, & contemplatio, *aphanous prágmatos theoría*, vel rerum invisibilium apprehensio quædam naturæ compar & congruens. Et sanè suavem admodum esse istam Dei dispositionem, vel hinc patet; quia cùm hominum ingenia sint diversissima, & pauci admodum rerum sublimium sint capaces: Nam quis ad notitiam Trinitatis pervenire potuisset? quæ tamē omnia facilè credi possunt: ad Dei bonitatem pertinuit,

ut ad

ut ad earum rerum ſcientiam nos non obligaret,ſed ad fidem. Ad hæc cùm ſcientiæ ſint adeò incertæ, unde in ſcientiis tam variæ opiniones exiſtunt, ut ſcias nihil ferè eſſe certum,cùm nullum ſit ingenium,quod omni errore careat; quàm melius & ſuavius fuit,ut in fide, in qua ſunt omnia certa,atque indubitata conquieſceremus, cuius author eſt Deus, de quo nemo dubitare poteſt

Quærunt 2. noſtri rationales. Cùm Deus potuerit, earum rerum, quarum cognitionem obſcuram nobis dedit per fidem, dare evidentiam, cur non iſtam potiusdedit, quàm cæcitatem, cùm homines,eò quod ſint rationales, ita potiùs eſſent tractandi:nam quia fides eſt obſcura, idcircò id verè neſciunt, quod credunt quod neſciunt : in quo eſt in certitudo, vacuitaſq; rationis, incertitudo quidem propter ignorantiam; hæc autem propter obſcuritatem,cum ſcientia in evidentia conſiſtat : rationis vacuitas eſt, perſuadere ſibi,& pro certo habere, quod minimè ſcitur, quandoquidem acquieſcendi cauſa, eſt evidentia & demonſtratio.

Poſſem, Auditores,ſecundam illam impugnationem refellere iiſdem rationibus,quas adverſus primam adhibui: cum ſatisfaciant penitus difficultati, quam mox propoſui, ſed ut nullam abſque reſponſo proprio relinquam.

Reſpondeo 1. eiuſmodi homines, neſcire quid ſit fides, necquid ſit ſcientia noſtra,& evidentia. Ignorant quidē quid ſit fides,quaſi mera ſit ignorantia, quia fides obſcura eſt, nec habet evidentiam : idem enim faciunt quod illi quos Ariſtoteles reprehendit, qui in Metaphyſicis, & aliis ſuperioribus ſcientiis,eandem quærunt evidentiam, quam habēt Mathematicæ diſciplinæ, & qui in rebus moralibus eodem modo procedunt,quo in Phyſicis & naturalibus, cùm tamen in omnibus ſcientiis,& diverſæ ſint abſtractiones,& diverſa principia. Quod potiſſimum intereſt in cognitione, eſt certitudo,quæ aliunde petitur in fide, quam in ſcientiis;quæ ſi ambo comparentur, certiora ſunt fidei principia, quàm ſcientiarum; unde ſic fidem definit Theodor. orat. 1. de Græcorum affectionibus: *Eſt inſita credentium animis, citra ambiguitatem aliquam diſpoſitio* ? & Apoſtolus Paulus fidem vocat, *argumentum*, ſeu convictionem *non apparentium*:quod ſi,uti dixit Ariſtoteles, minima rerum divinarum cognitio, melior eſt & jucundior perfectiſſima rerum inferiorū ſcientia. (Verba eius libro 1. de partibus animalium capite 5. ſic ſe habent. Res namque illas ſuperiores, tametſi leviter attingere poſſumus, tamen ob eius cognoſcendi generis excellentiā, amplius oblectamur, quàm cum hæc nobis iuncta omnia tenemus:) quid de fide noſtra ſentire debemus, cuius obiectum,ſcientiarum omnium obiecta præcellit.Ignorant etiam quid ſint ſcientiæ noſtræ, de quibus ita loquitur Ariſtoteles lib.2. Metaph. cap.1.Quēadmodū veſpertilionū occuli,ad lumen diei ſe habent; ita & intellectus animæ noſtræ ad ea quæ omniū manifeſtiſſima ſunt. Certè id probat tāta opinionū diverſitas in ſcientiis,& multiplicitas ſectarū.Quod ſi quidā ex veterib⁹ in apib⁹ dignoſcēdis quatraginta años inſūpſit,

nec id potuit perfecte assequi, quid de cæterarum rerum cognitione putandum est? si vel culicem perfectè non potes cognoscere, quomodo poteris res supernaturales, & quæ Angelorum captum superant, comprehendere? quæ tamen omnia, *Filius qui est in sinu Patris nobis enarravit.* Deinde omnes scientię ortum habent à sensibus, in quibus miræ sunt illusiones, & errores innumeri; quare oportet eos à ratione sæpe corrigi: hinc fit, ut *animalis homo non percipiat ea quæ sunt spiritus:* Fidei autem principium petitur à revelatione & authoritate divinâ, quæ nec falli potest, neque fallere; unde dictum est Petro Christi divinitatem profitenti Matth. 16. *Quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est:* quæ verba exponens Sanctus Ambrosius lib. 6. in Lucam capite 9. Caro enim & sanguis non queunt nisi quæ terrena sunt, revelare; at verò qui spiritu loquitur mysteria, non carnis, & sanguinis magisterio, sed divinâ inspiratione fundatur: noli ergo acquiescere carni, & sanguini, ne carnis & sanguinis haurias præcepta, atque ipsi sanguis & caro fias: qui enim carni adhæret, caro est; *Et qui adhæret Deo, unus spiritus est.* Denique si inter se comparentur istæ cognitiones, nempe scientiarum, & fidei, licet in scientiis sit evidentia, in fide autem obscuritas, non sequitur tamen in scientiis majorem esse certitudinem: nam quid iuvat evidentia in scientiis, nisi ad certitudinē? atqui maior est in fide certitudo, quàm in scientiis, propter obiectum magis necessarium, ob principia magis infallibilia, & ob modum procedenti minùs errori obnoxium, uti in prima concione à nobis explicatum est. Quin etiam, uti in ista diximus, nemo ad scientiam pervenit, nisi per fidem; quam idcircò Epicurus appellare solebat ex Theodoreto sermone iam toties laudato, præsumptionem rationis, atque discursus, anticipationem quandam, & quasi ad sermonem, rationemque, ingressum. Sic ab Aristotele *kritírion espisimis*, iudicatiorum scientiæ appellatur, hoc est, scientiæ iudicium, censura, & probatio, seu fundamentum ratiocinationis, quia fides ad acquirendam & examinandam, discutiendamque sciētiam necessaria est: quod ipsâ experientiâ, & usu rerum demonstratur. Nam sicut lux, quæ per se est manifesta, non sufficit vespertilioni, ad bene videndum (licet enim nihil desit ex parte obiecti, deest tamen aliquid ex parte potentiæ) ita non sufficit evidentia in objecto, sed requiritur aliquid ex parte intellectus, ut nimirum rectè partes apprehendat, quas per judiciū connectit.

Jam nec illud omittere volo, fidei quoque suam non deesse evidentiam: si enim fides humana aliquam habet evidentiam, ut esse urbem Romam, & Constantinopolim, licet nullam harum videris; certè multò magis fides divina suam habet evidentiam: quæ enim primo modo creduntur, nituntur authoritate humanâ, ita tamen ut nemo sanus dubitare possit: nam quis credat tot homines tam diversis temporibus existentes, tot locis, & rebus omnibus separatos, nullo lucro, atque emolumento, nullâque causâ in id convenisse ut tibi imponerent? Sed quæ secundo modo

do

do creduntur, authoritate divinâ nituntur; plus autem Deo credendum est, quàm homini, Joan. 1. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.* At testimonium divinum multiplex est, & præcipuè in miraculis, ac Prophetiis. Quod pertinet ad miracula, Ambrosius in cap. 5. epistolæ ad Roman. Quia fidei nostræ rationem humana verba asserere non valent, virtutum testimonio, quæ cùm tacent, clamant, rationalis approbatur. Et certè quis asserenti Deo repugnet? & quæ fortior asseveratio, quàm miraculorum patratio? Joannis 11. Lazarum Christus suscitaturus, sic ad Patrem orat: *Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti: Hæc cùm dixisset, voce magnâ clamavit: Lazare veni foras; & statim prodiit qui fuerat mortuus.* Et Matth. 9. *Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico: surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, & surrexit, & abiit in domum suam.* Sanè non fuerant necessaria miracula, si homines faciles fuissent ad fidem: sed quia ferè homines non assentiuntur, nisi habeant aliquam evidentiam, Deus adhibuit miracula, ut jam non dubitarent de Dei testimonio. Unde pergit Sanctus Ambrosius. Nam sicut peregrini hominis, improbabilis origo in terra aliena est, ita & fidei nostræ veritas peregrinatur in terris: & quia natura eius, verbis explicari non potest, virtutis quæ maior res est, testimonio commendatur. Idem dico de Prophetiis; nam ut Sanctus Joannes Apocalyp. 19. *Testimonium Jesu est spiritus Prophetiæ:* unde Sanctus Ambrosius in cap. 12. ad Roman. Prophetia prima probatio est rationabilem esse fidem nostram: denique credentes accepto Spiritu prophetabant: itaque Sanctus Doctor concludit, indubitabilem esse fidem nostram, quæ tot testimoniis stabilita sit, sermone in festo Sanctorum Nazarij, & Celsi. Non sine magno discrimine, de religionis veritate dubitamus, quam tantorũ sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterum fidem, quasi novellam discutere præsumas; & post tam manifestos duces, in errore permaneas; & post morientium sudores, otiosâ disputatione contendas. Uno verbo si apertè Deum videremus revelantem, jam esset aliqua evidentia non in re revelata, sed in revelante; sed si sit non manifestus revelans, sed manifesta revelatio: quis dubitet quoque esse aliquam evidentiam: at miraculorum patratio manifesta est revelatio; cùm constet solum Deum miraculorum esse authorem. Cùm itaque omnis nostra fides resolvatur in Dei revelationem, & authoritatem, sequitur ita esse obscuram, ut tamen aliquam habeat evidentiam: nam manifestum est Deum non posse testificari falsum; quia Deus prima est veritas, quæ nec fallere potest, neque falli: hinc patet in fide suam quoque esse evidentiam: unde, uti diximus, Sanctus Ambrosius fidem nostram rationabilem appellat ex miraculis. Vide ergo an sit in fide incertitudo, & irrotionabilitas: incertitudo quidẽ cùm nitatur primâ veritate

irrationabilitas:inmotivis credendi:& num benè dictum fuit à S. Prosp. si decepti sumus, à te decepti sumus, quia tanta facta sunt, ad credendorum probationem, quæ nonnisi à te fieri potuerunt. Tu non dubitas credere fuisse aliquando Alexandrum Maced. Regem,& eius victorias, & prælia, quia tot habes authores, qui id asserunt, quos non potes judicare ex composito mentitos esse:idque tam certum putas, quàm quod oculis tuis vidisti: & quidquid tibi dicatur de vanitate famæ,& scriptorum mendaciis, non tamen potes hoc à tuo judicio impetrare,ut dubites ea omnia vera esse:quantò magis debes credere, quæ tot miraculis, & tot testimoniis confirmata sunt? *Si testimonium hominum accipimus, majus est testimonium Dei.* Certè,uti dixit Ambrosius lib. 4. in Lucam capite 5. Si viri boni dicerent, nefas putaremus non credere: Deus asserit,probat Filius,refugiens sol fatetur, tremens terra testatur,& tu posteà dubitabis.

Respondeo 2.cum Sancto Ambrosio in cap.5.epistolæ ad Romam. Ideò Deum homines per fidem regere voluisse, non per rationis evidentiam: quoniam cùm mundus certâ lege, & potestate gubernetur, & regamur modo definito à Deo, homines autem, circa rationem carnis studiosi, Deum huius mundi opificem neglexerunt, Deus ut errorem auferret, & Dominum se omnium demonstraret,hoc se posse, & fecisse prædicari voluit, quod mundo impossibile est, ut qui hoc crederent, damnatis iis qui ratione mundi inflati, Deum neglexerunt, discreti salvarentur, Dei dominio mancipati. Eandem rationem attulit Paulus 1. Cor. cap.1. *Nam quia in Dei sapientia, non cognovit mundus per sapientiam Deum:* Hoc est postquam Deum, qui seipsum in opificio mundi, tàm sapienter disposito,& in creaturarum inspectione ostēdit,mundus non agnovit, quod tamen facere debuisset; *Placuit Deo,per stultitiam prædicationis, salvos facere docentes:* Visum est Deo aliam planè viam inire, & homines per fidem ad se allicere, eis proponendo, quæ secundùm communem rationem intelligendi, videbantur reijcienda,& contraria rationi. Unde patet cur Deus non per evidentiam obiectorum homines rexerit; sed per fidem,& obscuritatem: quia enim homines in rerum evidentia cæcutierunt, per rerū revelatarū obscuritatē illuminati sūt,& sic *justificata est sapiētia à filiis suis* Mat.11. dū eos modis omnib9 adjuvit.

Respondeo 3.ideò Deum regere homines per fidem, ut captivantes intellectum nostrum in obsequium fidei, illum totum Deo subiiciamus, & agnoscentes imbecillitatem mentis nostræ, & divinæ sapientię altitudinem,Deum sic honoremus: est enim fides nostra Deo gloriosissima,propter summam ei subiectionem principalis potentiæ.Sicut enim *scrutator majestatis opprimetur à gloria:* Et sicut summa est superbia Deum velle comprehendere: uti summa temeritas fuit in Eudoxo, cupere Solem è propinquo intueri, quamvis sciret se eius radiis, & nimiâ luce consumendum: ita è contrario summa est humilitas suum intellectum per fidem subiicere. Certè Isaias Angelos vidit coram

coràm Deo faciem suam obvelare, quasi contra aspicere non auderent. Summus Sacerdos in Sancta Sanctorum ingressurus, Thymiamate nebulam faciebat, ne Arcam nudam aspiceret: Exodi 3. cùm Moyses ad rubum ardentem accessisset, abscondit faciem suam: *Non enim audebat aspicere contra Deum.* Et ut agnovit Salomon in sui Templi dedicatione, cùm nubes implesset domũ Domini, *habitavit Deus in nebula.* scientiæ quidem suis obiectis dominantur: at fides se subiicit suo obiecto; & hoc etiam ipsi homini honorificum est: uti enim magis honorificum est suo Regi reverentiam exhibere, quàm suis servis imperare: Ita longè majus est Deo per fidem se subijcere, quàm per scientias earum obiectis dominari.

Respondeo 4. cũ vita æterna ad quã homines sunt evecti, sit supra naturam ea quoque quæ ad illam ducunt, debuerunt captum nostrum superare, ut esset proportio inter finem, & media: hinc tantoperè in scripturis sanctis donum fidei commendatur, & ex divinâ illustratione haberi dicitur.

Ex his omnibus patet luce clarius fidem non esse irrationalem, neque ex parte Dei, cũ tot sint rationes, ob quas decuit Deum regere homines per fidẽ: neque ex parte hominum, qui cùm tam multa credant propter hominum testimonia, multò magis credere debent quæ Deus attestatur. Nam, ut ait Sanctus Ambrosius libro 1. de Abraham capite 15. Quàm in dignum ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus. Et apud Sanctum Ioannem: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.* Hoc saltem Deo concede, quod concedis hominibus.

Quærunt 3. nostri Rationales: si natura earum rerum quas à nobis Deus credi voluit, talis erat, ut à nobis non aliter sciri possent, quàm per fidem; an non satius fuit ea à nobis penitùs ignorari, quàm ita sciri; cùm hoc non sit scire, sed ignorare: præsertim cùm eius generis cognitio nobis sit inutilis. Quid enim iuvat ita scire ut nescias: deinde quid juvat ad opus hoc scire, verbi gratià, tres esse in Deo personas: Filium procedere per viã intellect⁹, & in naturæ similitudinem, & per veram, & propriè dictam generationem: Tertiam verò personam tantùm procedere, idque per viam voluntatis, & per amorẽ: & alia innumera eiusmodi, quæ nobis credenta proponuntur.

Vide quò progrediatur prudentium, & sapientium mundi temeritas, qui ut ait Sanctus Ambrosius in cap. 5. epistolę ad Roman. Audaciâ verborum, terrenis armis, contra cælestia dimicant, & carnalicus adversùs spiritalia; & prutentes se dicere non erubescunt, quasi humana prudentia Dei sapientiam superarit. Sed ut ad hanc obiectionẽ respondeamus, atque ut omne os obstruatur.

Respondeo id à Deo sapientissimè factum fuisse, multas ob causas.

Et primò quidem, ut mens nostra supra se & omnia humana ad divina erigeretur: si enim Deus non ea proponeret, quæ captum humanum excedunt, mens sursum non se attolleret: sed in suo gradu, & infima sorte maneret, neque

neque ad Dei visionem disponeretur: fides enim supernaturalium, media est inter cognitionem naturalem, & visionem beatificam: undè proportionem habet, & cum statu huius vitæ, & cum fine, ad quem hæc vita medium est.

Secundò, subiiciendus fuit noster intellectus divinæ sapientiæ, etiam in rebus quæ nobis eveniunt, & in Dei gubernatione, ut crederemus omnia à Deo fieri sapientissimè, nec adversùs eum murmuraremus, si bonis adversa, impiis prospera eveniat; ipse enim sapientissimè omnia disponit. Quidquid enim vel permittit, vel decernit, id facit, vel ut peccata puniat, vel ut nos ad bonum excitet. Cùm itaque in rebus nobis propositis, intellectum subiecerimus, ut credamus: idem quoque in Dei gubernatione faciemus. Quod autem dictum est, per fidem nos ita scire, ut nesciamus, bonum sensum habere potest, & malum: bonum quidem si intelligamus, in fide simul esse certitudinem, & obscuritatem; hæc enim est natùra fidei, quæ, ut ait Sanctus Petrus in sua secunda epist. cap. 1. *Est instar lucernæ in caliginoso loco, donec dies elucescat*: lucerna est, quia lucet: sed lucernæ lumen habet aliquid obscuritatis; pars enim loci illuminatur, pars relinquitur in tenebris; unde dicitur lucere in caliginoso loco. Præterquam quòd in rebus quæ credendæ proponuntur, est semper aliquid quod Deus revelavit, & hoc Deus nos scire voluit: & est aliquid quod non revelavit, & illud voluit nos ignorare. Ita de æterna Verbi generatione loquens Sanctus Ambrosius lib. 4. in lucam cap. 5. Non licet mihi scire quemadmodum natus sit; non licet tamen nescire quòd natus sit. Seriem generationis ignoro; sed authorem generationis agnosco: non interfuimus cùm ex Patre filius nasceretur, sed interfuimus cùm à patre Filius Dei diceretur: si Deo non credimus, cui credemus? Ita aliquos esse prędestinatos, & alios reprobatos sine Dei iniustitia fides docet; cur autem hos elegit, & non alios, hoc ab hominibus ignorari voluit: unde Pauli exclamatio Roman. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius! Quis cognovit sensum Domini, & quis consiliarius eius fuit?* Ita cùm plurima de extremo Iudicio revelasset, noluit tamen nos scire diem Judicij. Et ferè in omnib' rebus fidei, quædam à nobis sciri voluit, alia autem ignorari: & in illis, uti dixit Sanctus Ambrosius lib. 1. de vocatione Gentium cap. 7. Quæ Deus occulta esse voluit, scrutanda non sunt; quæ autem manifesta fecit, non sunt negligenda, ne in illis illicitè curiosi, & in istis damnabiliter inveniamur ingrati. Dixi quoque illud quod dictum est, fidem esse ignorantem, malum sensum habere posse, quasi quod fide teneremus, incertum sit atque dubium, cùm fides quâvis scientiâ certior sit atque indubitatior: unde eam ita definit Theodoret. ser. 1. de Græc. affect. Circa id quod verè est animi adhæsio, & constantia. Et sanè quis pro scientiis & pro Philosophorum dogmatibus, sua deserere, & rebus omnibus nunciū dare voluit? Sed quis tormenta pati, quis unquā mori voluit, cū pro fide tuenda innumeri Martyres mortui sint.

Jam

Jam quod dictum est fidei cognitionem esse inutilem, sine ratione dictum est; nam sive agatur de cognitione, sive de opere, ad utrumque fides utilissima est: ad cognitionem quidem, quoniam, uti diximus ex S. Ambros. lib. 4. in Lucam. cap. 5. Quod mens humana rationis investigatione comprehendere non potest, fidei plenitudo complectitur. Ad opus autem; quia hanc rerum seriē, in omni fide etiam humana, agnoscit Theodor. serm. 1. ut cognitionem fides praecedat; subsequatur autem fidē cognitio, hanc autem subeat appertius, postremò rei appetitum, & functio, & actio subsequatur: par est enim ut priùs credat, qui velit addiscere, partâque cognitione, moveri aliquo appetitu; motum denique, ac impulsum, aggredi aliquid ac peragere. Et ideò fidem divinam, hoc est, quâ Deo credimus appellat, ut iam dictum est, S. Ambr. l. 1 de vocat. Gentium cap. 8. bonae voluntatis, & justae actiones genitricem. Itaque Deus priùs in intellectu motum excitat fidei, quàm motum voluntatis: quasi ex fide omnes motus in voluntate excitarentur. Nam timor Dei sequitur fidem, quâ Deum credimus omnium malorum actuum vindicē, & punitorem. Spes sequitur fidem, quâ ipsum credimus Redemptorem, & remuneratorem: amor, quo credimus esse summum bonum, & summè perfectum: & ita in aliis. Iam omnia praeclarè facta sequūtur fidem: hinc Apostolus Paulus ostendit Hebr. 11. Veteres omnes nihil egisse eorum quae admiramur, nisi per fidem: itaque fidei attribuit, quòd Abraham vir tantus evaserit. *Fide* (inquit) *qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire, quem accepturus erat in haereditatem, & exijt nesciens quò iret: fide remoratus est in terra repromissionis, tanquam aliena, in casulis babitando, cum Isaac, & Iacob cohaeredibus repromissonis eiusdem: expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cuius artifex & conditor Deus.* Deinde: *Fide obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones,* &c. *arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Ceus; unde eum & in parabolam accedit. Fide & de futuris benedixit Isaac Iacob, & Esaij. Fide Iacob, moriens, singulos filiorum Iosepb benedixit, & adoravit fastigium virgae eius. Fide Iosepb, moriens, de profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandavit.* Eodem modo fidei attribuit, quaecumque à Moyse peracta sunt. *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filiū filiae Pharaonis:* &c. *fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis: invisibilem enim tanquam videns sustinuit. Fide celebravit Pascha, & sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiva, tangeret eos: fide transierunt mare rubrum tanquam per aridam:* & alia plurima quae recenset, ut scias fidem bonae actionis esse genitricem: unde non mirum si moneat Apostolus Ephes. 6. *Vt in omnibus sumamus scutum fidei;* quia in omnibus agendi occasionibus, se se fides interserit: v.g. occurrunt divitiae: veniat statim in mentem quod Christus dixit: *Impossiibile est divitem salvari, Vae vobis divitibus?* Divitias esse spinas, & alia eiusmodi à Christo, & ab Apostolis dicta, quae in fidei materiam transierunt: Titillant voluptates: Veniat in mentem illud Apocalypseos: *Quantùm in delitiis fuit, tantum date illi tormentum.*

Z Offert

Offert se tibi pauper: *Quod uni ex minimis fecistis, mihi fecistis.* Occurrunt afflictiones: veniat in mentem quod dixit Sanctus Petrus in sua Prima epistola capite 4. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est spiritus, super vos requiescit.* Et Sanctus Jacobus in sua epistola cap. 1. *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis.* Veniat in mentem quod Christus dixit Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me; gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis: Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Vel illud Psalm. 90. *Cum ipso sum in tribulatione.* Sicut itaque honoras species sacramentales ob corporis Christi præsentiam: ita & afflictiones plurimùm æstimare debes, & eos qui illas patiuntur, quoniam habent Deum præsentē, & Spiritum Sanctum ut ait Sanctus Petrus: *Et qui est eius spiritus, super vos requiescit.* Eâdem ratione procedere debes, in cæteris rebus, in omnibus eventibus, in omnibus negotiis: nam ubique nobis opitulari potest. Hinc rerum omnium despicientia, rerum futurarum desiderium, amor cœlestium, vitæ neglectus, spes immortalitatis, difficultatum victoria, securitas in periculis, præclarorum facinorum susceptio.

Inde agnoscimus veram causam, cur inter Christianos raræ sint virtutes eximiæ; scilicet quia fides est paucorum: nam & si plures appellentur fideles, quoniam multi Christianā fidem profitentur, tamen si illi tantum sunt fideles, qui fidem habent, paucissimi sunt qui dici possunt, & appellari fideles. Et jampridem querela est summorum virorum, nullam esse inter homines fidem Christianam: ac illud tempus advenisse, de quo Christus Lucæ 18. *Filius hominis veniens, putans inveniet in terra fidem?* Nam ut omittam innumeros quotidie oriri errores, atque hæreses quotidie pullulantes, quæ efficiunt, ut admodùm pauci dici debeant fideles; inter eos qui orthodoxi vocantur, quot sunt, qui fidem habeant? Quod operantur ex fide, uti suarum actionum principio. Quot vivunt secundùm principia fidei, & divinæ axiomata veritatis? quot secundum religionis nostræ principia? *Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ non videntur, æterna.* Tu si verè, quæ Christiana fides docet crederes, itane viveres, ut facis? Ex duobus alterum est necessarium, aut ut non credas, aut si credis, ut insanias: Nam ut ait S. Jacobus. *Ostende mihi fidem tuam sine operibus:* quasi dicat. Opera sequi fidem: & postea ex ambobus oriri beatitudinem. Ad quam nos perducat Jesus Christus Amen.

FERIA

FERIA SEXTA CINERUM,

CONCIO PRIMA

DE DILECTIONE INIMICORUM,

æquitas hujus præcepti.

Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Matth. 5.

INTER cætera argumenta quibus nostræ Religionis veritas probatur, est eius sanctitas quoad leges quas habet, & mores quibus vivit: Nam in aliis omnibus sectis, uti semper est aliquis error in intellectu, ita quidam est in moribus, & in voluntate defectus: at in Religione Christianâ, uti quoad credenda nihil falsum est, ita quoad facienda, nihil est quod iure reprehendas, immò quod non sit valde sanctū: Porrò inter cæteras leges quas habet, una est quæ præcipit, ut diligantur inmici: quam nec natura, nec caro, nec sanguis, neque mores nationū, neque leges vllæ introduxerunt, sed sola professio Christiana: unde multis visa est esse supra humanam consuetudinem: sed nemo negare potest, nihil illâ esse sanctius, nihil religiosius: Et iure merito S. Dunstanus suis persecutoribus respondit qui ab eo aliquod fieri miraculum petebant: Hoc satis est magnum miraculum, quod vestras injurias moderatè fero, & ignosco: Hinc fit ut Christus virtutem appellet novi testamenti. *Dictum est antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros:* & Ioan: 1. *lex autem per Moysen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum,* est itaque opus gratiæ. Quod si ad eius observationem opus est gratiâ, & nobis etiam opus gratiâ ut eam exponamus. *Ave Maria.*

LICET satis intelligam quæ de jeiunio à nobis dicta sunt maxima esse, & plurimum necessaria, facilè tamen mihi persuadeo futurum ut multi se à jejunio excusent, vel impotentiâ, vel infirmitate, vel aliis multis de causis: sed nemo est qui hodiernum præceptum de diligendis inimicis ullâ de causâ reijcere possit. Etenim ut ait

S.Chryſ.homil.de ſimultate: Quod nō ieiuniis; excuſare potes corporis imbecilitatē: quod nō parcas, nō potes: & quod odium retineas, nullam habes excuſationem: âge enim, inquit, dic mihi, non ieiunaſti ob corporis infirmitatem; rectè: ſed cur inimicis tuis reconciliatus non es? an hic habes, unde prætendas corporis imbecillitatē? rurſùs, ſi odium, invidiamque retineas, quid poſſis excuſationis allegare? nuſquam enim in iſtiuſmodi delictis ad corporis infirmitatem refugere licet: Atque id Chriſti humanitatis opus eſt, quod præcipua, & vitam noſtram continentia præcepta, nihil à corporis infirmitate læduntur: Vnde Apoſtolus Paulus ad Timoth. ſcribens ait 1. Epiſt. cap.4. *Exerce autem teipſum ad pietatem: Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt: pietas autem ad omnia utilis eſt: promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ:* quem locum explicans S. Maxim. Græc. centuriâ 2. ar. 57. tradit diſtingui virtutes in corporales, & ſpiritales, & illas quidem *jpòs anakin*, eſſe, id eſt neceſſitati ſubiectas, quia pluribus modis, ac rationib' impediri poſſunt, ita ut qui eas non habeat, veniam ferat: has verò non ſic ſubjectas eſſe, ut eſt pietas, *euſèpeia*, quæ ad ad cultum Dei pertinet: quę nec impediri poteſt, quin habeatur, nec ille excuſari, qui non habuerit: Quo in numero virtutum continetur injuriarum condonatio, atque inimicorum dilectio: quæ nobis in hodierno Evangelio præcipitur: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*: cuius præcepti difficultatem vehementer auxit firma hominum pertinacia, atque duritia: quoniam odium inimicorum à duabus rebus firmum exiſtit 1. ab irâ ad quam pertinet vindicta, quæ & maximè eſt naturalis, & ipſo uſu firmas radices agit: non enim uti cætera, vitia uſu ipſo extinguuntur, uti adulterium, & fornicatio actu tranſacto: ſed firmiter hæret odium, ſi uno, aut altero die invaluerit: Chriſoſt. homil. 22. de diverſis. In adulterio ſimul cum flagitio expletum eſt peccatum: qui autem ſimultatis tenax eſt, ſingulis diebus Peccatum facit, nec unquam abſolvit: 2. à ſuperbiâ ſeu amore improbo famæ, quam putamus tùm demum nos integram ſervare, ſi non cedimus injuriæ, ſi non parcimus: idque iuxta commune hominum corruptiſſimum judicium, qui inimicitiarum condonationem imbecillitatem animi interpretantur. Age vero quò magis hoc malum altas egit radices, & quò magis illud præceptum impetitur, ac minus eſt in uſu, horum temporum iniuriâ, illud quantum in nobis eſt fulciamus: eòque magis quo hæc materia ad omnes ferè pertinet: ut enim nullum eſt mare adeò tranquillum quod aliquando jactationem non habeat, ita nullus hominum adeò temperatus eſt, & circumſpectus, nemo ita fœlix, ac fortunatus, ut in tota vitâ ſuâ, aut nullum læſerit, aut certè à nullo ſit læſus, aut appetitus.

Hoc itaque dico. Præceptum de diligendis inimicis, & de non referendâ injuriâ æquiſſimum eſſe, atque juſtitiæ pleniſſimum.

I. Ratio petitur ex Legislatore, nam prima pars juſtitiæ alicujus legis, eſt authoritas Legislatoris: hoc autē Deus præcipe-

præcipere nobis potuit, & de facto præcepit: Id Christus significavit his verbis. *Dictum est antiquis diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*, ubi hæc vox, Ego, magnam habet emphasim: Ego qui summam in te habeo potestatem, & summum ius, & consequenter, qui possum tibi quidlibet præcipere: Ego, cujus est tùm qui offendit, túm qui offensus est: & consequenter, qui ut illo uti possum, ita & te adigere ut quidlibet feras: Ego, cujus injuria tibi facta, pluris inter est quam tuâ: Ego, ad quem tuum ius plus pertinet, quam ad te: Ego, qui te non obedientem punire possũ sumis pœnis, & qui te obedientẽ possum summo præmio afficere: Ego, cui uni placere debes, cui soli displicere non debes: Ego, cujus gratiâ pati omnia debes, & omnia etiam facere, hoc ego præcipio tibi, ut quamlibet tibi illatam injuriam condones: Videmus æquissimum sit ut parcas. Chrysost. homil. 1. de divers. Quod si cogitemus quanta sit authoritas Dei jubentis, & conditoris istius legis, satis ex eo & abundè instructi, & admoniti fuerimus: Neque enim à nobis ipsis monita vobis afferimus, sed ad Legislatorem vos omnes adducimus: Nemo itaque se excuset ab injuriarum condonatione, & inimicorum dilectione: sed cogitet summam Dei illud præcipientis authoritatem: ô homo tu quis es, qui respondeas Deo? & quis est qui audiat dicere quare sic fecerit?

Sed iterùm cogita Deum pœnas interminantem, & damnationem nisi ignoscas: Certè facilius tibi erit ferre injuriam, illatam ab inimico, quàm pœnam, quam irrogat, aut intentat Deus iratus: Nam uti præclarè dixit Ambros. lib. 1. offic. cap. 38. omnia supplicia graviorum supplicorum vincuntur formidine: ideò si consilio firmes animum tuum, nec à ratione discedendum putes, & proponas tibi divini judicij metum, perpetui supplicij tormenta, potes animi subire tolerantiam: Tibi itaque ad maiora attendenti, facile erit ferre minora mala: Compara igitur quod patieris, si te non vindicas: & quod patieris, si te vindices: Cogita quem metuere magis debeas, aut inimicum offensum, aut Deum iratum. Huc pertinet quod ait Chrys. homil. de simultate: si legem statuisset Cæsar, ut omnes inimici in gratiam redirent, aut capite plecterentur, an non omnes festinarent ad mutuas reconciliationis? quam ergò veniam habebimus, cùm ne tantumdem reverentiæ tribuamus domino, quantùm conservis nostris tribuimus: Noli igitur existimare nostrum esse, aut alterius præceptum, sed ipsius Dei, cujus majestatem revereri debes: nam quantum illud est te offensum esse, quisquis tandem sis, & à quocunque fueris offensus; illud verò longè maximum, tuâ inobentiâ Deum offendi:

Iam quantum illud est quod injuriæ tibi illatæ nolit Deus te causam referre in tuum inimicum, ut ne ab illo te offensum putes, sed in se, quasi id ipse illi præcepisset, ut si quis sit in te ofensus, vindictæ, intelligas re non tàm creaturam petere quàm Deum: Hac cogitatione im-

one impulsus Ioseph, fratribus gravissimam omnium iniuriam, odium scilicet peracerbum, intentatum homicidium, venditionem, & servitutem condonavit: Cum enim Patre drfuncto timerent fratres, ne pœnas illatæ injuriæ ipse repeteret, miserunt, qui diceret, Genes. vltim. *pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te:* Quid ad hæc Josephus? *Nolite timere: Num Dei possumus resistere voluntati? vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum: Nolite timere: ego pascam vos, & parvulos vestros: consolatusque est eos & blandè, ac leniter est locutus:* Quæ verba interpretans ac fusiùs exponens Philo Iudæus in lib. de Vitâ civili qui & Joseph inscribitur eum inducit veniam fratribus dantem, & confirmantem, in gratiam Patris, quem negat, propter animam immortalem, periisse: & addit: Cur autem geniti Patris tantùm meministis? habemus alium ingeni tnm, immortalem, æternum, inspectorem, auditoremque omnium etiam quæ fiunt per silentium, introspicientē intimos animi sensus: Dum invoco testem conscientiæ meæ, quod bona fide vobiscum in gratiam redivi: Eodem modo David cùm à Semei lapitaretur, ac convitiis appeteretur, quæ res planè fuit indigna adversus tantum Regē, & intantâ afflictione constitutum, cùmque ad vindictam sollicitaretur, id consulentes, acriùs reprehendit. 2. Reg. cap. 19. *Quid mihi, & vobis filij Sarviæ? cur efficimini mihi hodie in Satan:* & cap 16. *Quid mihi, & vobis est filij Sarviæ? dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit & ait Rex Abisai, & universis servis suis: Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam; quantò magis nunc filius Iemini? dimittite eum ut maledicat juxta præceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonū, pro maledictione hac hodiernâ:* Vide Davidis religionem; maledictionem Semei vocat Dei mandatum, cui negat resistendum: equidem non erat Dei voluntas, ut Semei malediceret Davidi, sed erat Dei voluntas ut David patienter ferret maledictionē Semei: *& quis est*, ait, *qui audeat dicere, quare sic fecerit?* plus itaque spectavit David suam humiliationem quam Deus intendebat, quàm culpam Semei, quam Deus nolebat: sed qui sic injuriam spectat, facilè eam condonat, ne si retineat, Deo ipsi succensere videatur non homini.

Sed rursus quis illud præcepit? Dominus propter nos Crucifixus, ait Chrys. homil. de simult. Ipse te ut recōciliaret Patri, ne mactari quidem recusavit, aut sanguinem effundere: Tu autem ut reconcilieris conservo, nec verbum vis emittere, aut prior accedere. dicere vult: Id planè esse intolerabile, ut post tantum patientiæ exemplum, immisericors permaneas: Hoc idem premit S. August. serm. 2. de S. Stephano. Tu autem, ô Christiane, quæris vindicari de adversario tuo, qui tibi forsitan injuriam fecit, æstuas, furis, anhelas, festinas vindicari: attende Christum medicum ægritudines tuæ, propter te pependit in ligno, & nondum est vindicatus, &

dicatus, & tu vis vindicari, & non vis tantum & talem magiſtrum imitàri: Ideo pati voluit, ut tibi patientiæ ſuæ demonſtraret exemplum: vide pendentem, & tibi languenti de ſuo ſánguine medicamentum conficientem; vide pendentem, & tibi de ligno tanquam de tribunali præcipientem, atque precantem: *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.*

Sed illud omnem conſiderationem ſuperat, Chriſtum qui tanta egit apud Patrem pro tuâ excuſatione, & qui ab eo exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ, nihil apud te proficere pro fratris tecum reconciliatione: Veniam non petit inimicus: id ſcio; ſed tu quoque non petebas: Eam non meretur inimicus tuus: id etiam concedo: ſed neque tu eam merebaris: in inferendâ injuriâ perſeverat inimicus tuus: Et tu quoque perſeverabas: audi enim Apoſtolum Rom.5. *Commendat Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus.* id eſt, cum adhuc peccata peccatis adderemus, atque in ſtatu eſſemus peccati & in offēſâ perſeveraremus, *ſecundũ tempus pro nobis Chriſtus mortuus eſt:* Pro te Chriſtus apud Patrem interpellavit: Et nunc apud te, pro tuo inimico interpellat: Immò iubet, ut parcas, etiam ut diligas: ac niſi facias, pœnam æternam interminatur: Audi enim quid dicat, *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros:* Et Apoſtolus Ioannes, *Qui non diligit fratrem, manet in morte:* à Patre quidẽ exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ: Tu vero nullâ ratione habitâ reverentiæ ipſius: & preces eius, & mandatum negligis: Hæc enim verba non Ioſephum tantùm, ſed te etiam ſpectant, *Pater tuus, præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus; obſecro, ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ quam exercuerunt in te:* Iam vide quid reſpondeas, atque apud te perpende, an plus fueris offenſus, quàm Ioſeph: deinde an Chriſti authoritas minus habeat apud te ponderis, quàm Patris apud filium, & Iacobi apud Ioſephum.

Fuerat Philemoni ad quem Paulus ſcripſit epiſtolam, ſervus quidam, qui multa hero furatus aufugit: huius culpæ deprecatorem habuit Apoſtolum Paulum his verbis, *Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, &c. Si habes me ſociũ, ſuſcipe illum ſicut me: ſi autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus ſcripſi meâ manu: ego reddam: ut non dicam tibi, quod & teipſum mihi debes:* quæ verba expendens Chriſoſt. exclamat, Quẽ lapidem iſta non flecterent, non emollirent? Quam immanem licèt belluam, hæc non in manſuetudinem verterent, ipſumque humaniſſimè ſuſcipere perſuaderent? Scripſit Paulus, & perſuaſit: Eadem, & longè plura ad te Chriſtus: & non commovet: Dona mihi hanc injuriam, ego reddam, hoc mihi imputa, &c. Demus ultrò, ac lubenter Deo ſupremo omnium noſtrũ Domino, quod Regi terreno haudquaquam recuſare poſſemus, faciamuſque ut amor & obſervantia iuſtas erga illum animi averſi commotiones in nobis comprimat quas aliæ cauſæ exhibere poſſent.

Quid quod ex authore legis colligitur poſſibilem eſſe huius mandati obſervantiam,

vantiam, neque enim inpossibilia præcepit, immò præcipiendo simul etiam offert gratiam, & parendi potestatem, quod homines & legislatores non faciunt.

In quo illud consideratione dignissimum est charitatem Dei, quâ solâ inimicus diligi potest, fortiorem esse quocunque alio vinculo: Quod si natura, & consanguinitas coniungit affectibus disiunctissimos: si affinitas, & matrimonij nexus ignotissimos: si Patriæ charitas, sibi mutuò infensos, ut Aristidem cum Themistocle: Fabium cum Papyrio: & alios multos: immò si necessitas id multos facere coëgit, quanto magis Dei respectus id fortiùs facere potest: Simultates quæ vel ipsas etiam potentissimas familias inter se dividunt, matrimonij copulatione componuntur: Numquid & ipsa temporis diuturnitas offensarum oblivionem adducit? Et verò licèt amor multò aptior sit ad conciliandam & amicitiam quam metus tamen ut observat D. Augustinus Serm. 5. in S. Stephanum, Si de primoribus aliquis nos offenderit, præ timore dissimulamus, idque quotidie usu venire inter homines deprehendimus; Quæ causa est ut idem Augustinus dicat, Quod ille sustinet propter substantiam terrenam, tu sustine Propter vitam æteànam &c. Quod á nobis extorquet hominis timor deberet à nobis exigere Christi amor: Porrò dixi verum & sincerum inimici amorem ab eo tantùm motivo proficisci, quia uti dixit S. Thomas 2.2.q.27.art.7. dilectio amici aliam causam habere potest quàm Deum, dilectio inimici non potest, ac licet utraque dilectio, & amici & inimici, esset propter Deum, tamen dilectionē inimici hinc ostendi fortiorem, quia hominem ducit ad remotiora, scilicet usque ad charitatem inimicorum: ut ne igitur existimes impossibilem hanc dilectionem, cogita Deum amicitiæ nodum acriùs atque fortiùs stringere, quā ullam aliam naturalem rationem: Sed cùm Deus hanc necessitatem tibi imponat, quid te facere posse desperas quod Dèus imperat, & ad quod, ut illud facias, gratiam largitur?

Porrò ut quæ hactenus à me dicta sunt redigam in summam, quisquis habes inimicum: Cogita 1. Deum tibi eius dilectionē imperare, aut nisi feceris te utrumque inimicum habiturum, eum quidem qui te offendit, quia non parcis: Deum Verò quia non pares: 2. Deum in se suscipere tui in te inimici culpam, ac idē tibi dicere, quod Apostolus Paulus scripsit ad Philemonem. *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mibi imputa:* Vide an hoc sis animo, ut hanc injuriam donare ipsi Deo recuses: 3. tibi attendenda est non inimici voluntas, & intentio, sed Dei: Non causam proximam debes intueri, sed remotā, itaque non fratri tuo irasceris, sed Deo: Denique quod vel naturæ, vel legibus, vel cōsuetudini, vel necessitati, vel alterius imperio concederes, hoc Deo concede: Et quia ille solus dilectionis inimici causa esse potest, eam dilectionem cæteris anteponito, quæ solum Deum authorem habere potest. Quidquid igitur in contrarium mihi opposueris, tibi ego Deum opdonam: Durum est amare inimicum, res est ardua, ac naturæ coutraria:

contraria:Sed Deus id imperat, & nihil est quod imperare tibi non possit. At id facere non possum, nec ille me adigere : at Deus jubet, de eo autem quod jubet nec deliberandum est, nec ambigendum: si jubet, & potes, & debes. At non meretur ille: Non ille quidem sed Deus, & majora etiam meretur. Sed hinc inimicus deterior fiet, nec emendabitur: Esto sanè; sed tu melior fies, ac nisi facias, ipso eris deterior. At hinc vilior existam, & alienæ patebo injuriæ: Contingat sanè quidlibet, Deus jubet ut parcas, imperat ut ignoscas: justus est, & justum judicium eius, non potest non imperare quod justum est, si justum est quod imperat, parendum est. Jubebat Absolon servis suis, ut fratrem suum Ammonem apud se convivantem perimerent, utque illis animos adderet, dicebat illis 2. Reg. 13. *Nolite timere, ego enim sum qui præcipio vobis, roboramini, & estote viri fortes*: Tu autem multò magis cogita, quis tibi illud imperet, ille scilicet cuius voluntati resistere nemo potest, quique tibi dicit *Ego autē dico vobis diligite inimicos vestros.*

2. Ratio continet causam quam habuit legislator prohibendæ vindictæ, ne quis scilicet usurparet authoritatem quæ soli Deo convenit: ut Deo relinquatur quod suum est. Quia nempe nō licet seipsum privatâ authoritate ulcisci, alioqui omnia cædibus complerentur, idque non tantùm jure divino, sed etiam humano prohibitum est, quæcumquæ tandem illata sit iniuria. Et quidem in nullâ republicâ, ultio privata toleratur: itaque egregiè Chrysost. homil. 22. de diversis: Si in hominibus (inquit) verberato à nobis alieno servo, dominus illius indignatur, ac pro contumeliâ accipit, & si iniuriâ affecti, expectamus sententiam iudicum, nec licet sibi ius dicere, & ultionem sumere, quantò magis in rebus illis ubi Deus ipse constitutus est iudex: Alludit Chrys. ad locum Pauli Rom. 12. *Scriptum est*, nempe Deuter. 32. *Mihi vindictam, & ego retribuam*: id est, Ego sum qui retribuo mala, iis qui mala operantur; munus hoc est meum, & ad me pertinet, non igitur homo debet se vindicare, quia id est præripere officium Dei: Quod si judices puniunt scelera, id faciunt ut ministri Dei: neque tamen de omnibus delictis sumere pœnam possunt, uti de internis: Deo soli convenit generalis omnium delictorum vindicta: particularis autem vindicta de propriâ injuriâ, non homini sed Deo relinquenda: Hoc enim officium pertinet ad summam eius potestatem, & sūmum dominium: non tantùm quia ipse in illata cuicumque injuriâ plus offenditur, quàm is qui appetitur injuriâ, sed etiam quia ad ipsum pertinet, jus unicuique reddere, ac omnes inæqualitates complanare: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio, quia filius hominis est*: si Deus Pater non judicat, licet offensus, *Tu quis es*, ait Apostolus, *qui judicas alienum servum, qui Domino suo stat, vel cadit?*

Quid quod ille ferè solus, & peccati, & pœnæ gravitatem sufficienter æstimare potest: quòd si unicuique vindicta esset commissa, præterquam quòd omnes ferè vindictæ potiùs, aut iræ impetu ferrentur, quàm vero justitiæ

 sensu,

ſenſu, nemo prætereà ſatis aut culpam æſtimare, aut pœnam æquare poſſet: Quid quòd cùm duo ſint offenſi, tu, & Deus, cùm ille paratus ſit ignoſcere cur ex tuâ parte non ignoſcis? quia (inquis) vindicare me volo: Ita ſanè ſi culpa remiſſa non fuerit: Sed ſi iam eſt remiſſa, ut dubitare non potes, cùm Deus ignouerit, non iam ulciſceris, ſed iniuriam facis, dignuſq; planè qui pœnas luas, & quem Deus ulciſcitur, quia tibi nō condonanti non condonabitur.

In hunc itaque ſenſum vertere poſſumus illud Chriſti præceptum, Matth. 5. *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in viâ, cum eo, ne fortè tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro: & in carcerem mittaris*: Memineris itaque te non eſſe inimici tui iudicem, hoc eſt, tuum non eſſe pœnas repetere, ſed tibi cum illo communem eſſe iudicem, qui illum & te iudicabit, te quidem cōdemnando ad pœnam, ſi non conſentias, id eſt, ſi non peperceris, idque citiſſimè. Nemo enim in ſuâ cauſâ iudex eſſe poteſt, ne Reges quidem, quantò minus homines privati. Id tantùm pertinet ad Deum, quia eius ius non eſt privatum, & quia non iudicat niſi ex iuſtitiâ, non autem ex irâ aut cupiditate, aut amore privato. Non hinc tamen licet Deum orare, ut inimicum tuum ipſe ulciſcatur: Hinc enim peſſimus ille mos, apud quoſdam invaluit, ut inimicis in oratione male precentur, ac petant à Deo vindictam iniuriarum, atque inimicorum ſuorum ultionem, quo facto, ut ait Auguſt. Deū oras ut tortor pro te exiſtant. Non, inquam, id licet; nam qui tibi præcepit ne vindictam ſumeres, idem præcepit ut ignoſceres & conſequenter ne vindictam ab alio ſperares, minus expectares, minimè omnium expoſceres: ad hæc qui præcepit ne vindicares, præcepit ut orares pro offendente: *Orate pro perſequentibus vos*: non dixit contra perſequentes, ſed pro perſequentibus vos: Et quâ fronte potes eâdem in oratione dicere Deo te inimicis ignoſcere, & ſimul obſecrare, ut tuos perdat inimicos? Audi quid de eo facto iudicet Chryſoſt. ſerm 57. de diverſ. Non animadvertis (ait) te injuriam facere Deo, cùm Deum adverſus inimicos rogas? quomodo tandem? quoniam ipſe dixit, Orate pro inimicis veſtris, & divinam hanc legem invenit: cùm igitur legiſlatorem rogas, ut ſuas violet leges, & hortaris ut ſuis contrarias ferat, & eum qui prohibuerat, ne adverſus inimicos orares, precaris ut te adverſus inimicos orantem audiat, non oras orantem audiat, non oras, dum id facis; ſed legiſlatori contumeliam inſers, & in eum inſoleſcis qui tibi bona largiturus erat, quæ occaſſione precum obveniunt, &c. Quid dicam quod inimicum in conſpectu Regis percutis, quamvis enim manibus id non facias, verbis tamen eum percutis, quod erga conſervos præſtare non audes; aude igitur id agere Magiſtratu ſpectante; licet innumera tua ſint rectè facta, omninò confeſtim ad mortem abduceris: Ergône coram magiſtratu non audes æqualem afficere contumeliâ? coram Deo autem qui id facis non, quæſo tremis & non times; dum orationis tempore ac precum ſic ex candeſcis, & efferaris, ac maiorem præ te fers iniquitatem

tatem illo qui centum denarios repetebat, &c. Quod si tamen animo planè insedit inimici mortem, aut vindictam à Deo deposcere, audi consiliũ S. Aug. hom. 40. Planè ora (inquit) ut occidat inimicũ tuũ, & salvet fratrẽ tuũ: occidat inimicitias, salvet naturã: sic ora, ut vindicet te Deus, pereat qui te persequebatur: sed maneat, qui tibi reddatur. Vide itaq; huius mandati æquitatem, quâ fit ut Deo, quod suum est relinquatur.

3. Ratio æquitatis huius legis petitur, ex vero effectu justitiæ, quí in eo consistit ut unicuique reddatur quod suum est, quod facit iniuriæ condonatio. Nam is cui ignoscitur, in pristinum statum restituitur, qui verò offensus est, & ignoscit, plus accipit quàm amiserat per iniuriam: Itaque hæc lèx utrumque spectat, & offendentem, & offensum. 1. Quia utriusque bono consulit. Vt enim homines multi (inquit Chrysost. homil. 16. de diversis) qui inter se controversantur, si extra forum amicè litem inter se componant, damno, metu, multisque periculis, se liberant, dùm ex amici sententia litis eis terminatio succedit: Quod si iudici negotium suũ permittant, nihil aliud inde præter pecuniæ iacturam, & pœnam persæpe, atque immortalium inimicitiarum concontinuationem reportabunt: Ita hîc quoque, si dùm in hac vitâ versamur, lites componamus, omni nos suplicio liberabimus, sin autem in odio perseverantes, ad tremendum illud iudicium abeamus, illius iudicis calculo damnati extremo planè supplicio plectemur, & utrique pœnas inevitabiles sustinebimus: unus quidem injustè iratus, proptereà quod iniustè: alter autem justè iratus, quod injustè memoriam injuriæ conservarit: licet enim injustè quidpiam mali passi fuerimus, veniam dari par est iis, à quibus injuriâ læsi fuerimus: itaque utrosque impellit ad reconciliationem, eum quidem qui offendit. *Si offeras munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus, habet aliquid adversùm te, vade, prius reconciliare fratri tuo:* Non dixit, offer munus tuum, sed reconciliare, ac deinde offer, ut oblationis necessitas, etiam invitum reconciliari cogat eum, qui justè fuerit iratus, cum enim sciverit relictam ante altare hostiam, ut reconciliatio fieret statim dimittet, ut sacrificium perficiatur: Eum verò qui offensus est, sic compellit, *dimittite debitoribus vestris, ut & Pater vester dimittat delicta vestra:* 2. Quia qui parcere iubetur, eidem etiam ut parcatur, Deus iubet: nam vicissim ignoscere iubemur: Cogita itaque, quod tibi erga alios præcipitur, idem aliis quoque erga te ipsum præcipi: ut scilicet tibi nocenti minimè noceatur, tibi malè facienti, nihil prorsùs mali fiat; tibi delinquenti non modò venia, sed etiam gratia concedatur: uti igitur ab aliis læsus es, ita & tu alios læsisti, aut lædere potes, vel sciens, vel imprudens: itaque uti Deus veniam dari tibi imperat, ita etiam ut tu alteri doces. Vide & fatére num hoc sit iustissimum, & plenissimum æquitatis. Id pulchrrimè advertit S. Chrysolog. serm. 139. Se peccatorem, & peccaturùm se homo cogitet, & tunc incipiet amare veniã, nõ amare vindictã: Audis tu, quia remittere debeas: & quia tibi remitti debeat,

non audis? peccabis & tu illi cras, qui tibi hodie peccavit, & erit tibi iudex, qui tibi erat reus ante:&reddet tibi veniam,si dedisti:si non dedisti,aut negabit tibi veniam,aut si dederit, imputabit amplius, quã donabit.Remitte peccanti,remitte pœnitenti,ut cùm tu peccaveris,rependetur in veniâ,non donetur.Bona semper venia,sed tunc dulcissima,cùm debetur:Vicit pœnam, iudicem prævenit,evasit judicium, qui remittendo, ante sibi veniam, quam delinqueret,jam providit.

4. Ratio pertinet ad justitiam commutativam, secundum proportionem quam vocant arithmeticam, quæ explicatur iis vocibus, Tantum Quantum: & in eo consistit in materia præsenti, quia ea conditione nobis peccata nostra remittuntur:Matth.5.*Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in viâ cum eo:* hoc autem fiet remittendo injuriam: causam subdit: *Ne forte tradat te adversarius judici,& iudex tradat te ministro: & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem:*id est omissio illa reconciliationis,te aget reum coram Deo, qui tibi non parcenti non indulgebit: sed severissimè ulciscetur, & in minuta etiam scelera inquiret, quæ significantur per quadrantem, numerum omnium minimum: alioqui enim *charitas operit multitudinem peccatorum*: & si in charitate remittis in te commissa, multa quoque tibi remittentur: nam Matth.6.cum discipulos orare doceret, inter alia, præcepit, ut dicerent, *& dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*:& rationem dedit, si enim *dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra: si autem dimiseritis hominibus,nec pater vester dimittet vobis peccata vestra:* Et Matth.7. *Nolite iudicare, ut non judicemini, in quo enim iudicio judicaveritis, judicabimini; & in quâ mensurâ,mensi fueritis, remetietur vobis:* Et Matth.18.*Serve nequam omne debitum dimisi tibi,quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit,& te misereri conservi tui.sicut & ego tui misertus sum?& iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus,quoadusque redderet universum debitum:sic & Pater meus cœlestis faciet vobis,si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Ex quibus locis duo discimus.1.est, Ei qui injurias remittit, peccata remitti: unde pretiosæ nobis fiunt injuriæ, quæ nobis veniam pariunt: itaque facilis existit peccatorum remissio si nimirum ignoscamus:Quod enim alij ieiunio,ait Chrysost.homil.16.de divers. planctibus,precibus,sacco, cinere, ac diversis pœnitentiæ austeritatibus vix perficiunt, ut nimirum sua peccata deleant,hoc nobis sine sacco,& cinere,ac jejunio facile licet præstare,si modo ex animo iram deleamus, eisque qui nos injuriâ læserint, sincerè dimittamus: neque enim Christi verbum potest esse falsũ quo dicit, *dimittite, & dimittemini:* Item *sic Pater meus faciet vobis.* 2. Ei qui non remittit injurias non etiam peccata sua remitti, ut intelligas huius præcepti necessitatem, atque rigorem.Sed age æquitatem huius præcepti ex ratione allatâ investigemus, quia scilicet eã conditione peccata nostra nobis remittuntur:In quo

Perpen-

Perpende 1. plùs nobis hâc conditione provideri quàm inimicis: nam ut ait Chryſ. homil. de ſimultate, multa deliquimus, in magnis offendimus, & dominum noſtrum irritavimus; dedit ex ſuâ humanitate hanc viam reconciliationis: ne igitur deſeramus hunc pulchrum theſaurum. immò. ut ait homil. 16. de diverſ. quantò graviora mala intulerit inimicus, tantò majoribus afficit beneficiis: uſque eò, ut ſi abeſſet Dei offenſa, optare deberemus inimicum, ut parcendi cauſam haberemus, ut hac ratione veniam à Deo conſequeremur. & quâm id pulchrè cogitatum ab eo homil. de ſimultate: Si iis qui ob ſumma ſcelere ſupplicio extremo addicuntur, aliquis proponeret, ſi ſibi pœnam remitti vellent, aliis offertas condonarent; certè id libentiſſime facerent, & quamlibet conditionem admitterent: Quod ſi humana pœna quæ terminum habet quaslibet iras finit, quanto magis æterna, ſi animo præſens eſſet.

Perpende 2. quod à te dependeat peccatorum venia quam à Deo poſtulas. Idem eâdem homil. Quid eo mitius, quid manſuetius præcepto? te judicem fecit in condonatione tuorum criminum: ſi pauca dimittis, pauca dimittuntur: ſi plura, plura: ſi ex corde dimittis, & ſyncerè, eodem pacto tibi Deus remittit: ſi præter veniam datam, etiã eum pro amico habeas, eodẽ modo erga te Deus afficietur: adeò ut quantò magis quis adverſum te peccaverit, tantò magis tibi ad reconciliationem properandum ſit, quandoquidem ipſe hoc pacto in cauſâ eſt, ut nobis majora crimina condonentur.

Perpende 3. Quàm ex parte Dei iuſta ſit hæc conditio. Si nimirum & offenſas ipſas, & perſonas inter ſe compares: quod præclarè perſequitur. Idem eâdem homil. quæ ita in pauca contraho: Ille, contumeliâ te affecit conſervus tuus: Nonne tu ſæpè Deo contumelias facis: quid æquale inter Dominum, & ſervum? ex quo fit ut ille heriles, tu autem ſerviles remittas injurias: præterea fortaſſe conſervus tuus, à te provocatus rependit iram, & tu iraſceris: Tu verò nullâ à Deo acceptâ injuriâ, imò perpetuis ab eo præventus beneficiis, adverſùs Deum contumelióſè agis: Cogita, quod ſi Deus offenſas tuas omnes dilligenter vellet exquirere, ne ad unum quidem viveres diem: Etenim *ſi iniquitates obſervaveris Domine, Domine qui ſuſtinebit*! atque ut omittam omnia alia peccata, quæ ſola cuiuſque peccatoris conſcientia cognita habet, ubi præter Deum, nullum alium teſtem reformidat, quid dicam de apertis, quæ negare nullus poteſt: quam veniã quæſo ſperare poſſemus, ſi precum noſtrarum inertiam, & negligentiam Deus expenderet? quando ſtantes coram eo, eumque invocantes, ne tantùm quidẽ pudoris, & reverentiæ exhibemus, quãtũ ſervi dominus ſuis: aut miles ducibus; aut amici amicis, tu enim cũ amico colloquẽs, cũ attẽtione illud facis cũ Deo autẽ de peccatis tuis agens, & condonationẽ poſtulans, & veniam orans, ſubinde torpeſcis, genibuſque humi poſitis, ſæpe per forum, ſæpe per ædes, mentem tuam divagari ſinis, ore tuo interim temerè inaniterque garriente: idque non ſemel, aut bis, ſed

 quotidie.

quotidie. Itaque si vel solum illud, quod tamen levissimum censes, ponderare velis, an veniam putas obtinebimus? an purgationem aliquam adornare poterimus? mihi certè impossibile videtur. Quid si jam convicia, quibus quotidie alij alios incessimus, in medium produxerit, judiciáque improba quib' proximum condemnamus? Rursum si annotet curiosos nostros conspectus & animi pravas cogitationes, subinde turpibus & immundis imaginibus plenas, dum oculos qualibet, sine ullâ observatione oberrare sinimus, quam pœnam luemus? Quod si ineatur ratio nostrorum maledictorum, cùm ille, qui fratri suo dixerit, fatue, reus futurus sit gehennæ ignis, num vel hiscere licebit, aut parvum, aut magnum respondere? Jam inanes nostras gloriationes, de precibus, vel jeiuniis, vel eleemosynis nostris, si in disquisitionem revocentur, non à Deo, sed à nobis ipsis qui peccavimus, quomodò quæso audebimus vel cœlum respicere? Porrò si de dolis judicium fiat, quibus invicem imposturam facimus, nunc præsentem laudantes fratrem, ac cum eo quasi cum amico colloquia miscentes, nunc absentem criminantes, an pares erimus istius modi pœnæ? Quid dicam de juramentis, mendaciis, perjuriis, injustis excandescentiis, odiis, quibus infesti sumus charitati, non inimicorũ, sed amicorum? Quod oblectamur alienis malis, arbitramurque alienam infelicitatem nostri infortunij solatium esse? Quid de incuriâ nostrâ in faciendâ pro pauperibus *collectâ*? horum omnium si pœnę exigantur, quid de nobis, fiet? Deus tamen illis, majoribusque pulsatus injuriis, idque quotidie, nec ab uno, aut altero, vel à tribus solùm, sed fermè ab omnibus, in mansuetudine suâ, & tolerantiâ perseverat, quam non solum adversus ejusmodi, sed alia multa graviora integram reservat. Et hæc peccata sunt aperta, atque ab omnibus cognita; sunt autem & alia, quorum, cuiusque peccatoris animus est conscius, quæ si mente revolveremus, etiamsi crudelissimi, atque immanissimi simus, præ metu, & anxietate, ne meminisse quidem vacabit injuriarum acceptarum: Recordare ignei fluvij, vermis venenati, horrendi iudicij, in quo omnia nuda, & aperta erunt: Cogita quod quæ nunc in abdito latent, tunc in lucem proferentur. Quód si proximo remiseris peccata, ea quæ tùm retegenda erunt, nunc in hoc sæculo abolebuntur: Tot peccata, tanta supplicia tantùm pudoris eluere licet, per condonationem offensæ, nihil enim est huic virtuti æquale: Hæc omnia ex Chrysost. paucis demptis: Vide itaque ex parte Dei propositæ tibi conditionis æquitatem, seu personas compares, seu magnitudinem vel multitudinem offensarum, seu alias circumstantias; uti debitum, collata beneficia, varias obligationes; nulla ad injurias provocatio: quæ omnia efficiunt, ut quæ nobis indulgẽtur à Deo peccatorum condonatio, longissimo, ac pæne infinito intervallo, superet injuriarum in nos admissarum condonationem ac remissionem, cum tamen Deus priorem secundæ cõcedat.

Perpende 4. Quàm iniustè facias si eâ

eâ tibi oblatâ à Deo conditione, non peperceris, quàmque omni te veniâ facias indignum: quod opportunissimo exemplo Chrysost. explicat, atque repetit ex cap. 18. Matthæi: læserit te (inquit) proximus, bona rapuerit, confiscarit, defraudarit: neque illud tantū, sed maiora, & graviora adjunge, quamque maxima volueris: occidere te tentarit, sexcenta pericula, atque insidias tibi struxerit, quodvis scelus improbitatis inhumanæ adversùm te tentaverit: ne ita quidem, si iram retineas, veniâ dignus æstimaberis: quo pacto id fiat, ego dicam: si servus tuus centum aureos tibi deberet, cui alius quispiam pauxillum argenti deberet: isque minimi sui debiti condonationem à te petivisset: si tu deinde servo jussisses, ut eam summam debitori suo remitteret, tuque vicissim centum illi aureos remitteres: isque deinde ut malignus, & improbus debitorem suum strangularet: an quisquam illum è tuis manibus eriperet? an non plagas illi incuteres, quasi summâ ab eo affectus injuriâ? & sanè non immerito: Deus etiam id ipsū faciet: dicet enim tibi in illâ die; improbissime ac sceleratissime serve, non de tuo illi remisisti, sed de meo, quod tu mihi debebas, jussus es remittere: *dimittite enim* (inquit) *& dimittetur vobis*: atqui si neque illud addidissem, dimittere te oportebat, ut obsequeretis Domino: tunc autem non ut dominus imperavi, sed ut ab amico beneficium postulavi, idque ex meo, & maiora me redonaturum spopondi: cæterùm ne ita quidem melior factus es: homines autem cùm talia faciunt, tantum servis suis acceptum ferunt, quantum ipsum debitum fuit: exempli causa: debuit hero servus centum aureos: huic vicissim debentur decem aurei: jubet dominus id servum ex suis rationibus expungere: quantum hic in suis tabulis debet, tantum sibi dominus, in rem suam versum agnoscit: quidquid autem deinde superest, id totum sibi numerari flagitat: Deus veò non idem hoc facit, sed si pauca condones servo tuo, omnia tibi, in totum remittet: *Si enim* (inquit) *dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra*: quantum autem intervallum inter centum denarios, & decies mille talenta, tantum quoque inter illa, & ista debita: Quâ igitur pœnâ dignus non fueris, qui decies mille talenta, pro centum accepturus, nec sic quidem ista minutula remittis, sed tuam precationem in teipsum convertis, dum ais *dimitte nobis, sicut dimittimus*: Hæc Chrysostomus.

Quinta ratio pertinet ad justitiam distributivam, quæ spectat & præmia, & pœnam: nam summo actui debetur summa omnium merces: Certè si difficile est, quod præcipitur, magnum quoque est quod promittitur: Auge quantum voles huius præcepti difficultatē, sanè exiguum erit omne, si cum magnitudine præmij compares: Augustinus serm. 254. de Tempore. Dominus jussit, dura jussit, sed magna promisit: serm. 5. de sancto Stephano, grandis labor est inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare, nec nos negamus fratres: Non parvus quidem labor est in hoc sæculo, sed grande erit præmium in futuro: & serm. 4. de eodem.


Domi-

Dominus noster Jesus Christus jubet nobis aliquid, & promittit nobis aliquid: quod jubet, hic est: quod promittit alibi est, quod jubet, finitur, quia tẽporale est: quod promittit, non finitur, quia æternum est: quod jubet, opus est: quod promittit, merces est: Hinc advertat vestra sanctitas, quanta est eius misericordia erga nos, ut laborem hic posuerit cum fine, mercedem in cœlo, sine fine. Rectè Chrysost. homil. 46. de diverſ. Absurdum est ut Athletæ in gymnicis agonibus, pulverem, verbera, & vulnera ferant propter vanam gloriam, coronam nullius momenti spectantes: Nos autem coronandi à Christo, non imperemus iræ, nõ omnia fortiter toleremus, sed brevem voluptatem, & injustum furorem, cœlesti honori & gloriæ præferamus: Præsertim quia nulla virtus maiori præmio compensabitur, quam Illa; non enim tantum promittit regnum cœlorum, terræ possessionẽ, & alias similes remunerationes, sed ipsam cum Deo similitudinem, sed Dei filiationem, quâ re nihil maius excogitari potest: Quantum vero illud est, quod huius præclari facinoris non alia causa tibi proponitur, quam ipse Deus, quasi nihil esset in rebus creatis, quod rem illam mereretur. Itaque idem homil. de simultate, ita te optimè adhortatur: Quòd si arduum, atque operosum negotium tibi videatur, cogita quod ob Deum talia pateris, & plenam percipies consolationẽ: animamque subterfugientem, reformidantem, erubescentem, pudefientem exacue, eique continuò ista accine: quid cessas? quid subterfugis? quid detrectas? non de pecuniâ, non de aliis rebus momentaneis, sed de nostrâ ipsorum salute agitur: Deus ista facienda præcepit: omnia igitur illius mandatis postponantur: Quid quòd etiã, ut ibidẽ advertit, in Dei potestate fuit præcipere reconciliationem sine ullâ propositâ mercede? non enim habet responsatorem, aut qui eius præcepta corrigat: attamen ex suâ benignitate mercedem nobis spopondit, & magnam, & ineffabilem, & quam maximè desideramus, nimirum veniam nostrorum peccatorum: & huius mandati præstationem nobis facillimam fecit: Quam igitur veniam habebimus, cum & tantùm præmij accepturi, nec sic quidem obsequimur Legislatori, sed perduramus in eo contempti? Quod autem contemptus sit, hinc patet, quia si Rex à te posceret ut cuidam suo nomine parceres, in seque totam offensam susciperet, nemo est qui regi id poscenti denegaret: unde igitur fit, ut quod homini concederes, id Deo non concedas: quẽ ignorare non potes, id omnino velle: maximè cum non sis injuriæ tibi illatę, atque admissæ offensæ dominus: quod vel ex eo patet, quia si inimico injuriã remittis, non tamen sequitur, ei peccatum esse remissum, & condonatum: cõtrà verò si non remiseris non sequitur non ipsi condonatum, si coràm Deo pœnitentiam egerit: Quod igitur à te postulat Deus, ut ignoscat, non tam causa inimici tui id facit, quam tuâ causâ. His ego rationibus, atque justissimis veritatibus, bene compositum hominis animum aggrederer, ac mihi facilè polli-

pollicerer, me ex eius mente, omnem iram, ac simultatem avulsurum: sed quoniam qui sunt vindictæ appentiores, vix sunt rationis compotes: nam quid est irâ truculentius, quid vindictâ furiosius, quam alij ebrietatem, alij insaniam, alij furorem, atque rabiem, alij quiddam his omnibus truculentius, monstrum, appellarunt: quippe cùm passiones omnes, quæ animum nostrum abripiunt, sint instar furiosorum, atque œstro percitorum equorum, qui animã nostrã per vitiorũ abrupta pertrahunt, ex omnib⁹ tamẽ animi perturbationib⁹, nulla est vehementior, nulla est impotentior irâ: iræ verò nullus acrior stimulus, quã vindicta: Cogita quãta sit avaritiæ diritas, quãti sint libidinis ignes, atque incendia concupiscentiæ: ex duplici tamen appetitu, concupiscibili atque irascibili, acrior est irascibilis, illius vero ardor in vindictâ maximus existere solet: non audit currus habenas. Quoniam igitur rationem eripit & ad extrema quæque perducit: Te quoque, ô vir sanginum, & amator vindictæ, hoc extremo quasi telo, isto te dilemmate cõfodio: Aut vis, aliquãdo inimico tuo parcere, quâcumque tandem injuriâ te affecerit, quantumcumque atrox, atque indignum facinus tibi videatur: quisquis ille sit, aut tibi æqualis, aut inferior: aut veniâ dignus: aut indignus: aut factipœnitens, aut obstinatus: aut emollitus, aut in odio pertinax: vel in quam vis ei aliquando ex toto parcere, vel non vis: si nunquam parcere vis, de tua salute actum est, periisti: Non te omnes pœnitentiæ: non distributa in cibos pauperũ substantia tua: non fides, transferens montes: non ipsum sacrificium, neque donum, ante altare oblatum: non ipsũ martyrium, opus omnium maximum; nec corpus, obiectum flammis, ita ut ardeat, salvare possunt: Matth. 6. *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Itaque Augustinus serm. 5. de S. Stephano. Nemo se circumveniat, nemo se seducat, qui vel unum hominem, in hoc mundo odio habet, quidquid Deo in operibus bonis obtulerit, totum perdet: quia nõ mentitur Paulus Apostolus, dicens, *Si dedero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* nemo enim sine charitate de virginitate præsumat: nemo de eleemosynis, nemo de iejunijs, nemo de orationibus confidat, Quin etiam nihil proderit ante amorẽ vindictæ, peccata quondam esse remissa, quoniam ut ait Chrysost. homil. quod nemo læditur nisi à seipso: tantum malum est ultio, ut etiam Dei benignitatem revocaverit, & iam datam infinitorum peccatorum veniam fecerit irritam: Nam qui decies mille talentorum condonationem adeptus, solâque obtestatione tantam gratiam consecutus fuerat, cùm centum denarios exigeret à conservo, hoc est, cum delictorum adversùm se ad missorum, pœnas reposceret, sævitiâ erga conservum suum seipsum damnavit: Neque verò ob ullam aliam rem traditus tortoribus, & cruciatus, & decies mille talenta reddere iussus est, nullũ veniæ, aut excusatiõis locũ invẽit, sed acerbissimũ suppliciũ perpessus est, iussus totũ solvere debitũ, quod præveniens Dei benignitas condonaverat.

Quod si vis aliquando parcere, cur non modo? 1.enim cur odisti futurum amicum,cum quo vis aliquando reconciliari? 1. toto illo tempore, vis esse extra gratiam,& in damnationis periculo?; quid si morte præveniaris? Excusabit te opinor futura voluntas reconciliationis; sed cur non magis damnabit te præsens odium,atque vindictę appetitus? 4. si reconciliationem differas, difficiliorem, immò impossibilem efficies: tùm quia ipsa reconciliationis omissio,causa est sufficiens odij: quam enim multi inimicitias inter se gesserunt,hoc solo nomine,quod gerere crederentur, & animi diutius à se separati maximè ad amorem torpescunt: Tum quia erit posteà difficilis animorum coalities,uti surculi ab arboribus avulsi facilè coalescunt, si statim aut ferantur aut inserantur,occidunt verò, si longo post tempore:Ita etiam animi recentis odij facilè redeunt in amicitiam; veteris autem, difficillimè: Denique quoniam odia tempore corroborantur: nam, ut ait Chrysost. homil. de simultate: unâ die elapsâ grandescit vitium, adduntur illi auctaria ex secundâ die: quod si tertia accesserit lux, trahit ad se quartam: rursùs quinque fiunt decem:decem autem viginti,ac posterum vulnus omninò immedicabile est, & quantò plus temporis adiungitur tantò magis disiungimur intervallis.Quomodò verò id fiat, rectè explicat August.homil.40. Humanum est irasci,& utinam nec hoc possemus: humanum est irasci,sed non debet iracundia tua, natus surculus brevis, suspicionibus irrigari, & ad trabem odij pervenire: aliud est ira, aliud est odium; in comparatione odij,ira festuca est, sed festucam si nutrias, trabs erit:si evellas, & proiicias, nihil erit: Quod dicit hic sanctus Doctor, ipsâ experientiâ comprobatur: qui enim oderunt, quod se offensos putent, præter quàm quod omnia suspicionibus augent, atque in odij materiam convertunt, multa loquuntur,& faciunt, quæ ad alios delata exulceratum animum acriùs irritāt, unde multa quoque reponuntur, quæ accensum jam ignem vehementiùs inflammant,usque eò ut quæ flamma levi flatu aboleri poterat, non nisi alterius ruinâ extingui possit:Itaque quisquis parcere differt, occasionem quærit nunquam ignoscendi: Idem egregiâ similitudine confirmat Chrysost. homil. 51. sub fin.ut enim corporis nostri ossa,cùm è sua sede fuerint mota,si statim restituantur, non magno labore proprium locum recuperant,sin autem longo tempore extra sedem suam mãserint, ægrè reponuntur, & in suum locum redeunt, ac restituta multorum dierum spatio indigent, ut adaptari exactè, ac stabiliri possint & permanere:sic & nos. Nam si statim cum inimicis reconciliemur, decenter id agimus, neque magno studio indigemus, ut veterem amicitiam redeamus: sin autem diuturnum tempus intercesserit, tanquàm odio excæcati erubescimus, & confundimur,aliis indigemus, qui non modò reconciliet, sed & postquàm in gratiam reditum est nos constanter retineant donec priorem confidentiam recuperaverimus:Quod si modo parcis; vide ne sit simulata reconciliatio:

liatio : etenim Deus non irridetur : *ſic enim Pater meus cœliſtis faciet vobis , ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*. Quò igitur pertinent frequentes illæ querelæ , quibus te offenſum manifeſtas omnibus; quò illud frigus , fuga concurſus , illa in itineribus deviatio , officiorum ceſſatio , ſalutationis, collocutionis , laudationis , commendationis,& ſimilium: Memento non aliter Deum reconciliandum tibi, quàm tu amico reconciliaberis : menſura hujus condonationis penes te exiſtit: qui dicis Deo *cum bono, bonus eris,& cum perverſo perverteris* : Veniet aliquando illa dies , quâ tibi viles admodum videbũtur hominum inimicitiæ , & pueriles contentiones , ſeu materiam illarum ſpectes , ſeu modum , ac rationem gerendi : Nam quoad materiam attinet, vel ſunt opes , aut verba prolata , aut honos denegatus, aut imprudentia : Itane verò pro iſtis nugis , omnia jura naturæ,honeſtatis,& virtutis violanda ſunt; & Dei inimicitiæ ſubeundæ ? Sed ſi modum conſideres , quàm ridicula ſunt hominum odia : offenſus es ; ideò non favebis?ideò obloquêris?ideò nocebis quantum poteris ? & quæ ſunt magis ridicula, ideò non cedes de viâ? cubito impinges?non ſalutabis ? & alia id genus quæ in pueris virga caſtigamus , ſed eadem in viris morte æternâ plectuntur ? Extolleris nimirum, & alium contemnis , unde nec ſalutas , ne prævenire videaris : ſed cuius tandem rei gratiâ non prævenis ? ait Chryſoſt. homil. 18. in Matth. Quia hoc (inquis) expectat : & ideò , ad id accurrere debueras, ut potiùs , coronam acciperes: Non (inquis) quandoquidem illud ipſum quæſivit : ſed quid hâc dementiâ deterius eſſe poteſt ? Quia ille mihi factus eſt mercedis occaſio , idcirco (inquis) hanc occaſionem accipere nolo: etenim ſi te ille prior ſalutet , nihil tibi proficiet,etiamſi tum ſalutaveris: ſi verò tu priùs ad ſalutandum properes, lucrum de illius tumore cepiſti , & largiſſimum quemdam fructum de illius ſuperbiâ meſſuiſti: an non igitur extremæ dementiæ eſt, ut qui nudis tantùm verbis , tantum fructum capere poſſumus , cum tamen ſponte perdamus? Quid vero in quo alterum accuſas , in idem tu incidis?Si enim culpas,quoniã à te ſalutationis officium prius expectat,cur quod arguis,facis?&quod malum dicis,cur ut bonum imitari ſtudes? ſed nimirum rerum præſentium amor nimius ad hæc ridicula nos compellit; quia enim iſta nimium facimus , ideò pro illis depugnamus : Quin te potius cogitas moriturum , itaque non decere hominem mortalem, immortales gerere inimicitias : futurum aliquando ut mors,& te,& tuas inimicitias , uti cætera omnia,finiat : melius eſſe ut id fiat tuâ voluntate,quàm neceſſitate : Quin potius cogitas non magnoperè tuâ referre, injurias in te admiſſas,ſed tuas in Deum offenſas : Non magnifaciendas tuas,aut hominis mortalis inimicitias, ſed Dei;ille enim mortales tantùm eſſe poſſunt,rebuſq; mortalibus nocere,hæ verò immortales, ut potè in quib⁹ vertatur cardo immortalitatis:quam felicem ſperare tantum potes,tuorum peccatorum condonatione , hanc verò injuriarum venia, cui promiſſa eſt illa æterna felicitas ad quam nos perducat Deus. Amen.



FERIA SEXTA CINERUM,

CONCIO SECVNDA

DE DILECTIONE INIMICORUM,

Perfectio huius præcepti supra legem naturæ, & supra legem scriptam.

Diligite inimicos vestros. Matth.5.

DICEBAMUS heri nunc esse tempus, quo maximarum virtutum exercitatio nobis ab Ecclesia proponitur: & quidem prudenter; tùm quòd anima facta quasi levior jejunio, videtur longè paratior ad illas excolendas; tùm quòd cùm multi jejunare non possint, aut impotentiâ, aut infirmitate, aut aliis de causis, nullus est tamen, qui actus virtutum spiritualium exercere non possit, inter quas, primas tenet inimicorum dilectio. Fuit id sanè tùm sapientiæ, tùm charitatis Christi, ut etiam insinuavimus, quòd eiusmodi virtutes à corporis viribus non pendeant, nec eius imbecillitate impediri possint: qua de causa dixit Apostolus primâ ad Timotheum 4. *Exerce autem teipsum ad pietatem; nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est.* Cùm itaque talis sit injuriarũ condonatio, nemo certè se ab ea excusare potest: & quandoquidem ad omnes pertinet hoc sibi persuadere, omnium etiam est ut gratiam à Deo ad hoc petant. *Ave Maria.*

QUOD Religio Christiana vocetur regnum cœlorum, & quod regnum cœlorum comparetur thesauro abscõdito, variæ sunt rationes: una non minima est propter pretium, & valorem; hic autem est à perfectione & sublimitate Religionis Christianæ, & legis novæ celsitudine, quæ undequaque colligitur: Ab Authore, Christo: nam ut dixit Joan. Bap. Joan. 1. *Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Jesum Christum facta est*: A Sacramentis, non illis egenis & vacuis, sed plenis & efficacibus. A Sacrificio, non per vitulorum, & agnorum sanguinem, sed per Christi



Christi carnem,& sanguinem:A doctrina & dogmatibus : Ab hominibus qui eam profitentur: A consuetudinibus:A moribus : A ceremoniis, & A legibus, &c. de quibus solùm impræsentiarum nobis agendum est. Porrò cùm leges hominem instituant de modo quo se habere debet respectu rerum omnium, & personarum, in eo Religio Christiana est admirabilis, quod homines dirigat eâ regulâ, quam adhibere possint circa omnia,& in omnibus actionibus. Et quidem si de personis agitur, circa Deum,ut authorem naturę,ut authorē gratiæ, & status supernaturalis, qui etiam gloriæ statumcontinet:ut cognitum naturaliter,& ut cognitum supernaruraliter : utCreatorem , ut Redemptorem ,ut remuneratorem:ut Dominum,& Patrem,utSponsum &Iudicem. Iam circa homines, secundùm omnes status ; docet enim quâ ratione agendum sit cum superioribus, cum æqualibus , & cum inferioribus: ut cumRegibus,cum Ducibus,cumParentibus,cum Filiis,cum Servis.Quid Maritus Vxori debeat, quid Vxor Marito. Milites instruit, Publicanos,Mercatores, & omne hominum genus : Circa res divinas & humanas:in cibo, in vestitu, in conversatione. Eodem modo hominē constituit circa seipsum,circa usum corporis, circa usum sensuum:de oculis agit,de manu , de pede, quando servanda,quando præcidenda : circa intellectum , voluntatem,concupiscentiam. Item circa virtutes& vitia : quid in adversis,quid in prosperis:quid in pace, & tranquillitate , quid tempore tentationis,& tempestatis,&c.

Sed omissis cæteris , de una tantùm lege mihi agendum est , nempe de inimicorum dilectione,de cuius legis sanctitate , & perfectione hodie mihi serme est:nam cuius tandem rei, aut cujus personæ Religio Christiana curam non habuit , quæ rationem habuit etiam inimici, non unius tantúm , sed omnium,etiam vilissimorum,&pessimorum, ne ullum præterires , vel oblivione, vel contemptu , vel etiam odio & malâ voluntate. Ostendam autem quanta sit huius legis sanctitas &perfectio,quę cum ex variis capitibus peti possit, in uno hodie,quod à Christo nobis propositū est,hærere placet,& est ejusmodi:

Quia per hanc legē,ut à Christo lata est,plus à nobis exigitur, quàm à gentili , aut à Iudæo. Atque ut ab ultimo incipiam , audi quid Christus dicat Matth.5. *Dictum est antiquis ,non occides, qui autem occiderit,reus erit judicio:* Ad nos autem quid? *Ego autem dico vobis , quia omnis qui irascitur fratri suo , reus erit judicio.* Vide differentiam:in antiqua lege prohibetur vindicta , ipso facto : in nova etiam sensus injuriæ. *Audistis quia dictum est,oculū pro oculo , dentem pro dente.* Quid Christianis imperatum? *Ego autum dico vobis non resistere malo:* Hoc alio longè est perfectius:nam quod dictum fuit: *Oculum pro oculo , dentem pro dente* , non fuit mandatum ad læsum,sed ad lædentem, ut nemo alteri oculum erueret,aut dētem disijceret metu pœnæ, ùt quilibet idem sibi reponi crederet : sed cùm dicitur ne malo resistatur , hæc vox non spectat lædentem,sed læsum,ut ne quidem putet se injuriam accepisse: immò ut injuriam sibi oblatam non repellat,

quod

quod est longè gloriosius: aut si hunc locum vis simpliciùs intelligere. In antiqua lege, lex Talionis locum habuit: at in nova, imperata est injuriæ perpessio. Quid postea? *Audistis quia dictum est antiquis: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Quid autem imperatum est Christianis? *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Ex quibus verbis apparet, in antiqua lege concordiam imperatam cum eiusdem gentis hominibus, id est Judæis, qui fratres vocantur: cum aliis autem permissas fuisse inimicitias: itaque potuerunt verum inimicum non tantùm odio habere, sed etiam delere, uti præcipitur Deutur 25. *Delebis nomen eius sub cælo, cave ne obliviscaris.* Sed in nova lege præcipimur Deum odisse, sed amare etiam inimicos, & iis benefacere, omni modo, opere, voto, & verbis: & ut ait Apostolus; *Bonum pro malo reddentes*: quæ quantùm inter se differant, nemo non videt.

Jam quid pertinet ad Gentilem: Audi quid Christus dicat Matth. 5. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? & si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonne & ipsi hoc faciunt? estote ergo perfecti.* Ostendit valde esse debilia quæ agerent Gentiles, cùm à Christianis requiratur perfectio. Sed quia inter Gentiles aliqua fuerunt meliora, quàm quæ allata sunt: illud negari non potest legem Talionis, in universum loquendo, visam esse justissimam apud omnes nationes, eò usque ut ex Aristotele 5. Ethic. capite 5. Pythagorici justum definientes dicerent esse Repassionem, paris retributionem, seu redditionem eiusdem. Quare, ut docet, veteres templum Gratiarum in medio urbium collocarunt, ut esset retributio; hoc est enim gratiæ proprium. Et hæc fuit Rhadamanti justitia, quæ suppositâ æqualitate personarum, maximam continet æquitatem: & lædentem reprimit, dum intelligit se eadem passurum, quæ fecerit: & læsum coërcet, ne majus inferat nocumentum, quàm accepit: nisi, ut refert Josephus, malit sibi pecuniâ satisfieri, id enim erat in eius optione. Eadem lex fuit inter leges duodecim Tabularum: Si membrum rupit meum, ex pacto, Talio esto. Sed apud Christianos sublata est lex Talionis, quæ ut ait Sanctus Chrysostomus, non tam Judices spectabat, quàm singulos, quos pœnæ metu deterrebat à malè agendo: quomodo enim lex gratiæ pateretur homines suâ sponte, & gratis aliis nocere, quos ne quidem injuriâ lacessitos, velit aliis nocere, seque ulcisci; sed potiùs beneficiis prævenire? *Ego autem dico vobis non resistere malo.* Et posteà: *Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Præterea quid poterit apud illos lex Talionis, quos lex nova, non metu, sed amore, & charitate deterreri velit à malè agendo? Unde constat plus à nobis exigi, quàm à gentili: quod & concludit Christus: *Estote ergo & vos perfecti.*

Ratio verò cur plus à nobis exigatur, quàm à gentili, vel à Judæo, facilis est; quia Gentilis pro lege solùm habuit ratio-

rationem & lumem naturale; unde nihil ab eo plus exigitur: uti scripsit Apost.Roman. 2. *Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Et posteà: *Eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Nos autem ipsum Deum pro Doctore habuimus. Judęi verò licet legem à Deo acceperint eam tamen habuerunt ipsorum capacitati, & quasi ætati proportionatam; itaque non perfectã; nam ut ait Apostolus Hebr. 7. *Ad perfectum lex non adducit*: Itaque Judæi, ut pueri ad Galat. 4. *Sub elementis mundi erant servientes.* Et ad Galat. 3. *Sub lege fuerunt ut sub pædagogo*: & illis ut parvulis, faciliora, & rudiora præcepta tradita sunt: *Finis autem legis Christus* Roman. 10. Non finis interficiẽs, uti dixit Augustinus, sed finis perficiens: lex enim ad Christum deduxit, qui nos majora & perfectiora docuit: *Lex enim per Moysen; gratia autem per Jesum Christum*: unde signanter dictum est à Christo: *Audistis, quia dictum est antiquis, non occides: ego autem dico vobis*, &c. quod rectè exponens S. Chrysostomus, sic loquitur: cùm posuit, dictum est antiquis, plurimum jam esse tempus asseruit, ex quo istud accepere mandatum: hoc verò fecit ut auditorem ad sublimiora ire cunctantem acriùs incitaret: ut si quispiam Doctor dicat puero negligenti: nescis jam quantùm temporis in syllabarum meditatione consumpseris? Tale igitur etiam aliquid significans, antiquorum commemoratione factâ, ad doctrinam illos evocat celsiorem: ac si diceret, habuistis omninò sufficiens tempus ista meditandi, jamque oportet vos ad sublimiora succendi. Hæc ille. Et præcipuè illa verba sunt attendenda. *Ego autem dico vobis*: cogita magistrum, cogita discipulos. Quis unquam Patriarcharum, quis Prophetarum sic locutus est? illi quidem verba Domini ad conservos deferebant: ille verba sua ad discipulos, quibus ait, *Omnia quæcumque audivi à Patre, nota feci vobis.* Est aliud quod suggerit Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 204. nempe naturam nostram peccato sauciatam, magnas ad virtutem difficultates sensisse: Christum autem suo adventu corpus nostrum per Baptismatis aquas levius effecisse, & alâ spiritus infusi sustulisse; quæ causa fuit, cur nobis maiora priscis, & certamina, & præmia sint proposita: & inter cætera dilectionis inimicorum meminit. Veteres itaque honestam, & æquabilem vitam colentes, terram, & vitæ diuturnitatem habuere: nobis autem decursis Evangelicis stadiis, cœlum, & quæ in ipso sunt bona promittuntur. Cùm igitur certaminibus consequentia sint præmia, oportuit, ut quibus maxima præmia erant proposita, maxima etiam certamina proponerentur: unde S. Augustinus loquens de hoc præcepto, & eius difficultatem agnoscens, sic ait. Dura præcepit; sed magna promisit.

Verùm quoniam plus à nobis exigitur quàm à Gentili, & à Judæo; hinc facilè colligitur quanta sit perfectio eius rei quæ à nobis exigitur. Nam, ut primò loquar de homine gentili, cùm ille non aliam legem habuerit, quàm rationem: sic enim de illo loquitur Apostolus Roman. 2. *Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt,*

sunt, faciant, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ illorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus: Oportuit ut lex Christiana id omne superarit, quò ratio humana pertingere potuit. Itaque superare debuit omnem Philosophiam, omnem doctrinam, omnes hominum leges, omnium consuetudines, omnium præcepta, omnium facta. Quid tamen non docuit, aut quid non fecit Socrates? quantum illud, quòd moriens injustè, suam mortem Atheniensibus condonavit? Idem fecit Phocion; nam rogatus quid filio mandaret, hoc unum tantum, ne mortem suam contra Athenienses ulcisceretur. Innumeros prætereo, qui Reipublicæ causâ inimicis reconciliati sunt; ut Papyrius cum Fabio: Epaminondas cum Aristide, & alii de quibus passim Historici. Et in universum docet Isidorus Pelusiota librô 2. epistolâ 6. scribẽs ad Eustatium Presbiterum, plures fuisse Philosophos, atque insignes homines, qui licet nullis instructi essent præceptis, & consiliis, nisi Philosophiæ, solâ lege nobis à natura insitâ, vitam moderantes, injurias facilè tulerunt, nec de alapa sibi impacta conquesti sunt. Sed vide Evangelicæ legis præstantiam, ipsius naturæ virtutem omnem superantis. Neq; enim tantũ forti animo sustinet injuriam sibi oblatam; sed se etiam majori exponit: cùm non tantum dicat salvator, si quis tibi in dexteram maxillã alapam impegerit, forti animo id patere, & conquiesce; verum illud adiiciat, ut alteram quoque ad plagam excipiendam paratam habeas, immò etiam offeras: non incitando; neque enim, uti monuit Isidorus, ex aliorum casu Christianus coronam sibi texit; sed ut te paratum ad accipiendam injuriam ostendas: idem in bonis externis imperat, idem in actionibus: Nam *ei qui tunicam vult tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.* Et in hoc demum, ut ait Pelusiota loco citato libro secundo, epistolâ sextâ, præclara & splendida victoria est. Prius enim Philosophicum est, nempe ferre patienter injuriam: hoc autem naturâ præstantius, & cœleste, nempe injuriæ occurrere, & illam ambire, etiam postquam acceperis. Rationem præstãtiæ sic explicat: quia qui luculentam victoriam vult adipisci, acceptas iniurias, non modo fortiter ferre debet, sed etiam plura ei, à quo iniuriâ afficitur, præbere, quam ipse accipere cupiat, & improbæ cupiditatis ipsius metas, liberalitatis suæ copiâ superare. Quòd si hæc (inquit) ab hominum sensibus, & judicio remota esse videantur, à cœlis sententiam fer, & illinc legem arcesse. *Si quis* (ait Salvator Matth. 5.) *te percusserit in dexterã maxillãtuã, præbe illi & alterã: & ei qui vult tecũ judicio contẽdere, &c.*

Sed supra Gentilem, plura fecit Judæus, cui præter lumen rationis adfuit etiam auxilium à lege, quæ non potuit non esse sancta, cùm Deum ipsum habuerit authorem. Nam licet lex dicatur esse per Moysem; ille tamen non legis author, & dominus, sed minister fuit, ac servus: unde eius summa in morte cõmendatio, Deuter. 34. *Mortuusque est tibi Moyses*

Moyses servus Domini, jubente Domino: Et apud Paulum Hebr. 3. *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus in testimonium eorum quæ dicenda erant.* Neque verò ullum monere debet data illis lex Talionis Exod. 21. *Reddet animam pro anima: oculum pro oculo: dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede adustionem pro adustione: vulnus pro vulnere: livorem pro livore.* Nam in primis, uti diximus, & bene advertit Isidorus libro tertio, epistolâ 327. hæc lex non tam spectavit ultorem injuriæ, quàm injuriam inferentem, quem voluit metu ab iniuria inferenda deterrere: is itaque cùm effrænatum Judæorum impetum videret, ut eos aliquo metu reprimeret, hoc potius permisit, quàm sanxit. Deinde cùm videret mediocre meorum virtutem, hoc unum spectavit, ut qui patientem animum præstare non posset, mediocriter se se ulcisceretur: itaque neque omninò permisit, neque omninò sustulit vindictam, sed temperavit: non jubens quid fieri oporteret, sed permittens tantùm, id quod fieri posset. Denique si rem propius spectemus, ut acutè vidit Isidorus Pelus. loco cit. vindictam potius prohibuit, quàm permisit: nam qui pœnam imposuit ei qui imposuit injuriam, inferre prohibet; infert autem qui modum in ulciscendo excedit: quippè cùm maiores delictis cruciatus infert, rursum injuriæ auspex est: ut autem non excedat, admodum difficile est: itaque dum modū posuit, *Dentem pro dente, oculum pro oculo, &c.* difficultatem ultionis ostendit, & periculum excessus: ac proinde (ait Isidorus) meliùs fuerit, atque consultius illatam iniuriam minimè referre, immò sedatè accipere, & pati tolerantei.

Sed quid tandem sit de hac lege, sequentia maius habent pondus. Et primó quidem occurrit præceptum Levitici 19. his verbis conceptum. *Non quæras ultionem, nec memineris iniuriæ civium tuorum.* In quibus verbis magna continetur perfectio. Nam 1. prohibebatur ultio authoritate privatâ, sin autem publicâ, ne fieret odio personæ & amore vindictæ. Secundó jubebantur non diu servare memoriam iniuriarū, si non statim occurreret satisfactio, ne scilicet si non fieret vindicta, odium tamen proximi custodiretur: itaque & actio externa prohibebatur, nempe ultio: & actio interna, scilicet memoria iniuriæ, quam difficile est habere sine odio personæ. Verùm si rem exactius examinemus: reperiemus primò his verbis tantùm prohiberi vindictam quæ fit authoritate privatâ; aut si publicâ fieret, ea quæ fit ex odio & amore vindictæ: sed non prohibetur, ne quisque jus suum repeteret: immò ipsa lex idipsum pro singulis exigebat, cùm dixit: *Oculum pro oculo, dentem pro dente:* Nam non tantùm reparandum erat damnum, sed reus deposcebatur ad pœnam: manebat ergo jus ad pœnam, quod lex dederat, sed prohibebatur vindicta: unde dicitur Deuter. 32. *Mihi vindictam, & ego retribuam.* 2. Non hoc dicitur universaliter, & absolutè, sed tantùm respectu civium suorum. Itaque non jubebatur inimicorum dilectio, sed oblivio iniuriæ: hoc enim fuit legis Christianæ præceptum, non

tantùm non ulcisci inimicos, sed eos etiam diligere: unde signanter dictum: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, quasi diceret, à nemine unquam ante Christum id fuisse imperatum: neque id ad solus cives est restrictũ, quasi alij aliter essent tractandi; sed absolutè, & universaliter dictum est de inimicis, quos omnes sine exceptione præcepit diligendos.

Alteram legem habemus Exod. 23. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum: Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo*: vide huius præcepti perfectionem: quòd non tantùm patientiam præcipit injuriarum, sed etiam imperat reddi beneficium: unde, uti advertit Isidorus lib. 3. epistolâ 389. huius præcepti author fuit *y ymerotáty phísis*. illa natura mansuetissima; quæ, ut idem notat, divinâ suâ providentiâ, in uno mãdato tribus rebus providit: unum quidem est, ne pereat animal: alterum, ne tantam dominus jacturam faciat: tertium denique, ut inimici in gratiam redeant: qui enim beneficio afficietur, nisi planè sit lapideus, ei à quo beneficium acceperit, par pari reddere curabit: alter autem beneficus audiens, alterum non ampliùs inimicum appellabit: vide autem quâ arte id perficit, cùm jubet erigi animal cum alio; nam ut ait Isidorus, inimicus ad prolapsum animal erigendum accedens, inimicum omninò alloquetur, ac dicet, tu istinc erige, ego hinc: colloquium porrò reconciliationis præludium est, ac via ad amicitiam ducens. Sic Alphonsus Arragonum Rex, per Campaniam incedens, cùm Agazonem audisset prætereuntium opem implorare, ex equo descendit, & cum ad asinum erigendum adjuvit; quo facto omnium Campanorum amorem sibi conciliavit: sed quod ille in nova lege cum omnium admiratione præstitit, idem omnibus Judæis in lege veteri imperatum fuit. Verùm si hanc legem de ove errante non prætereunda, aut bove inimici, déque odientis jumento sublevando, discutiamus. Multorum fuit sententia id de solis Judæis respectu hominum suæ gentis dictum fuisse, cum quibus inimicitias habere prohibebantur: itaque qui in Exodo inimicus dicitur, in Deuteromio, ubi lex eadem repetitur, frater appellatur; sic enim scribitur cap. 22. *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errãtem, & præteribis, sed reduces fratri tuo, &c. Si videris asinum fratris tui, aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo.* Sed cùm de veris inimicis sermo est, non solùm odio habere permittit, sed etiam jubet delere: ut cum sermo est, de Amalec. Deuter. 25. *Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quãdo egredieberis de Ægypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit: quando tu eras fame, & labore confectus, & non timuerit Deum: cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subjecerit cunctas per circultum tibi nationes in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen eius sub cœlo, cave ne obliviscaris.* In Evangelio autem nobis præcipitur neminem odisse. Ac licet ea lex vetus omnes respiceret; ubi tandem præcipitur quod in Evangelio mandatur, de altera maxilla tradenda, si dextera percussa

cussa fuerit, de pallio tradendo ei qui tunicam abstulerit, & alia multa quæ Christus solus docuit? unde non mirū, si præmia,& pœnas amplificarit, cum mandata etiam auxerit, & legi perfectionem addiderit.

Tertiam legem habet Sapiens Proverb. 25 *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim cōgregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.* Quo mandato imperatur ut inimicus in sua necessitate non deseratur, sed benè tractetur: & hinc duo pollicetur Deus: unum est inimici vel pudor, & confusio; nam eius vultus rubore perfundetur, ac si carbones haberet in vultu: vel eius mutatio in amorem, quo tantùm ardebit, ac si haberet congestos in capite suo carbones: caput autem nominavit quasi principem animæ partem, ut hinc sapiens fiat, & ad mentem redeat, uti syderato, & apoplectico mos fuit ferrum candens in verticē apponi, ut glacies, & frigus humoris pigri solveretur: Alterum est, ut si adeò frigidus esset, ut tot beneficiis, quasi congestis carbonibus non incalesceret ad amorem, vel ad ruborem non pudefieret, vel ad pœnitentiam dolore non ureretur, quasi carbonibus desolatoriis: Deus ipse vicem redderet, cuius causâ, quia eius mandato ea beneficia essent præstita: unde colligitur in veteri Testamento quædam fuisse mandata pro inimicorum dilectione, quæ maximam habent in se perfectionem: in hoc enim ultimo non tantùm prohibetur ultio: & vindicta, aut memoria injuriarum, sed etiam imperatur ut inimico subveniretur.

Nihilominus tamen cum Judæis tāquam rudibus, atque pueris locutus sit Deus, Christianis autem tanquā viris & eruditis; oportuit ut in nova lege majora & certamina, & præmia proponerentur, & consequenter perfectiora præcepta: unde Christus dixit ideò se venisse, ut legem non solveret, sed adimpleret: hoc autem fecit, non solùm id efficiendo, & observando quod jubebatur in lege; hoc enim sensu & alij legem implere debuerunt; sed perficiendo, & aliquid addendo: unde dicitur: *Dictum est antiquis, &c. Ego autem dico vobis, &c.* quasi aliud afferret, quàm quod dictum erat. Atque ut de aliis rebus nihil dicam, sed tantum agam de ultima lege quæ proposita est. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, da ei aquam bibere.* Rectè admonet Isidorus Pelusiota libro 4. epist. 11. illud dictum, non esse rem adeò eximiam, & præclaram, sed eiusmodi quæ magis optanda sit, ut contingat. Nam cùm inimicus in tantam incidit necessitatem, ut ei opus sit sui etiam inimici commiseratione, id verò quàvis equidem calamitate, & quovis supplicio acerbius esse judico: & hoc vulgus hominum sibi persuadet, cùm dicit: ne eò redigar, ut ab inimicis meis cogar stipem accipere. Quod si igitur id quod dictum est, eiusmodi est, ut facientibus quidem optabile, iis verò qui patiuntur, supplicij loco sit, quid est quod mireris? maximè cum nec simplex sit beneficium, sed maius quoque afferat supplicium: hoc enim faciens, carbones congeres super caput eius: si igitur res ipsa locum habeat supplicij, causa

causa quoque ob quam fit; est alterius pœna. Nam quod aliqui dicunt id significare, quod hac ratione amore calefaciat, nō sunt audiendi: quid enim necesse fuisset eos ad famem adducere? nam quolibet tempore præstitum beneficium id fecisset. Non igitur (ait Isidorus) miror, & magni facio eos, qui hoc faciunt; sed illos potius, qui cùm videant inimicos suos rebus omnibus abundare, non modò non invident, sed laudant, sed pro ipsis orant: id quod nova Evangelij Philosophia præcipit, dicens: *Diligite inimicos vestros: benefacite iis qui oderunt vos: orate pro persequentibus vos.* Illic enim necessitas frangere, atque emollire animū solet; isthic autem nuda est voluntatis exploratio. Quod si Apostolus Rom. 12. hac etiam veteri exhortatione usus est, id fecit quòd cum imperfectioribus sermonem haberet. Constat itaque Evangelicam legem in hac etiam parte, veteri lege perfectiorem esse: & hinc innotescere quod diximns huius legis perfectionem in eo summam esse, quòd plura à nobis, quàm à Gentilibus, aut à Iudæis exigantur.

Hinc verò excusationem non debes præstare, quasi nimium à te exigatur, ut superes quidquid in utraque lege, naturali, & scripta proponitur; nam quod ad legem naturalem proponitur, illa rationem non excessit, dicente Apostolo Roman. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt:* Lex autem Christiana tota in fide fundatur, quæ omnem cognitionem naturalem excedit: lex autē scripta cum sit imperfecta, dicente Apostoload Hebr. *Nihil enim ad perfectū adducit lex* unde data est pueris & rudioribus: *Et fit reprobatio præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & utilitatem:* lex Christiana ad omnia sublimia nos vocavit: itaque nulla perfectio illam superavit: nam si agatur de præceptis, quod summum præcipi potest, id in omni genere iussit: quòd si consilia spectemus, quam perfectionem non proposuit? ut scias te ad omnia sublimia vocatum esse.

At, inquies, minora aliis suffecere, cur non etiam mihi? Quid istâ uteris comparatione, quæ iniqua est? nam alijs minora & imperfectiora suffecere, quia hæc tantùm ab illis postulata sunt; à te autem Deus maiora exigit. Sed minora mihi satis sunt, & illis sum contentus: tu quidem minoribus sis contentus, adeò exigui es, & animi, & ingenij; sed Deus illis non est contentus, & à te maiora postulat. Sed quamobrem? quia 1. Deus sic exigit secundū uniuscuiusque statum: Illorum status fuit imperfectus: tuus status ad sūmum evectus est. Nonne tu maiora exigis à viro, quàm à puero? Eorum status fuit puerorum, tuus status est virilis; itaque plus à te exigit, quàm ab illis. 2. Quia Deus rationem habet virium, & secundùm vires onus imponit. Veteres parum gratiæ habuerunt, quia eorum Sacramenta fuerunt vacua? & inania: in nos effusa est gratia, non data strictim, & angustè, sed copiosè, & usque ad profusionem; immò datus nobis ipse fons gratiæ, nempe Spiritus Sanctus. 3. Quia Deus plus ab illis exigit, quib⁹ plus promittit; factæ aliis promissiones temporales fuere, & in hac vita conclusæ.


Quæ

Quę nobis promissa sunt, non sunt minora cœlo, & æternitate. Cùm igitur (uti ex Isidoro diximus) certaminibus consequentia sint præmia, oportuit ut quibus màxima præmia sunt proposita, maxima etiam certamina proponerentur. Certè eadem illa ōnia tibi Deus præcipere poterat sine mercede; & si ita fecisset, observare debueras: quia ipse in te omnia potest, & tu illi omnia debes: sed aliter tecum egit, & nihil voluit præcipere sine mercede; cùmque auxit mandatum, auxit & præmium. Cur te itaque excusare vis, & præcepti difficultatem obtendere, cùm, aucto præcepto, auxerit & vires, neque hoc tantùm, auxerit etiam præmium, ut reduplici te incitares, & maiori auxilio, & maiori præmio; ne si utrumque negligeres, maiori afficereris supplicio: Hæc enim æquali passū incedunt, maius pręceptum, & maius auxiliū; ex maiori auxilio, maius opus; ex maiori opere, maius meritum; ex maiori merito maius præmium; ex horum omnium contemptu, maius supplicium.

At 2. repones: Quis ego sum, qui audeam sperare me posse tot præclarorum hominum, qui in lege veteri floruerunt, virtutem atque merita attingere? Nunquid æquare possum veteres illos Patriarchas, Abraham, Isaacum, Iacobum, Iobum, Moysem, Davidem, & innumeros Prophetas? Parū est quod proponis, ut æquare illos possis, cum ex vi status tui tenearis superare. Num legisti quod de Ioanne Baptista dixit Christus Matth. 11. *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo.* Nempe quia Ioannes ad legem pertinuit, secundum illud ibidem: *Lex usque ad Ioannem:* Propterea Ioannes ratione status fuit minor quolibet existente in Evangelica lege, quæ vocatur regnum cœlorum, secundum illud: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum;* quia tunc omnibus cœlum apertum est. Sed proh dolor! jam magnum est si Sanctos veteris Testamenti adæquemus: quàm graves illos accusatores experiemur in Iudicio, cùm eorum gesta nostris comparabuntur. Nam si dixit Christus Matth. 12. *Viri Ninivitæ surgent in Iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquam Ionas hic:* A pari ratione quid expectare debemus à præclaris illis viris dùm factorum suorum comparatione ignaviam nostram coarguunt, & se in lege scripta, aut etiam in lege naturæ præstitisse ea ostendent, qualia neque aggredi tentavimus: cùm ipsi neque haberent anteriora exempla quæ sequerentur, neq; Christi documenta, neque tantam gratiæ affluentiam, neque tam sublimes promissiones, neque tam præsentia præmia, neque ab illis tanta perfectio exigeretur.

Neque verò te deterreat tam sublimis divinorum mandatorū perfectio, quasi tibi plus imperatum sit, quam possis facere, & præcepta divina vires tuas excedant: ac minus possis, quàm tibi sit præceptum. Etenim & plus etiam optare debes, quàm quod est imperatum: quippe non solùm Christus proposuit præcepta; sed etiam cōsilia, quæ præceptis longè sunt perfectiora; & quidem

quidem omnibus; & quæ etiam observare posses, si velles, nam ad omnia gratiam obtulit, & auxilium. Vide etiam de cœlo ipsum tibi offerētem palmas innumeras, & coronas, quibus animatus ad summa omnia, & excelsa aspirare potes. Aude aliquid tantâ laude, & tantâ mercede dignum: quod donare nobis dignetur Jesus Christus Ecclesiæ Sponsus. Trahe nos post te, in odorem unguentorum tuorum curremus: unguenta illa, tua sunt præcepta, tua sunt consilia, tua sunt exempla, tua sunt præmia, ad quæ omnia vos voco, & invito, cum gratiâ Domini nostri Jesu Christi. Amen.



FERIA SEXTA CINERUM,

CONCIO TERTIA

DE DILECTIONE INIMICORUM,

Huius præcepti perfectio ex imitatione Sanctorum, & similitudine Dei.

Diligite inimicos vestros. Matth. 5.

ACTURUS iterùm de perfectione legis Evangelicę, quâ nobis præcipitur non modò inimicos nostros non ulcisci, aut odisse, sed etiam eos amare, & iis benefacere, hinc alterā huius legis probationem sumimus, quòd ea sit optima imitatio Sanctorum Christi & Dei, in qua imitatione consistit nostra perfectio: etenim illi sunt nostrarum actionum regulæ, quibus nos oportet conformes esse.

Atque ut à Sanctis initium ducamus cave ne putes alia nobis, alia ipsis data esse præcepta, vel consilia: eadem omnibus proposita sunt: ne dicas, ista bona sunt pro Sanctis, non pro nobis; cum ad omnes æqualiter spectent: sed in illis maior fuit observatio. Ad hæc cum eos habeamus vitæ magistros, nos operibus magis, quàm verbis docuerunt; unde nostra perfectio in eorum imitatione consistit. Denique ea omnia quibus ipsi perfecti extiterunt, nos etiam perfectos efficient, secundum illud ad Hebræos 13. *Quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem:* Unde vis initium ducam? an à veteri, an à novo Testamento; istud propius est, & magis nostrum, & in eo sunt illustriora exempla. Qui primus omnium vitam, & sanguinem pro Christo profudit, fuit Stephanus: illius præclaræ virtutes in actibus Apostolorum prædicantur: *Stepha-*

Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat signa, & prodigia magna in populo: Sed quod ultimum de eo narratur, & in quo vitam finivit, quasi aliud nihil melius superesset, hoc fuit, quod inter eos à quibus lapidabatur constitutus, & ab omni turba lapidibus appetitus, lapidesque nivis instar excipiens, neglectis qui inde oriebantur doloribus, diceret: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Et ut intelligas (ait Chrysostomus homil. de cruce & labore) hæc illum diligenter, & accuratè egisse, non simpliciter oravit, neq; obiter, & leviter; neq; stans, sed positis genib⁹, cum dolore, & cõpunctione, & cum multa cõpassione: *Et cùm hoc dixisset, obdormivit in Dno.* Hic vitã, hic virtutem, hic opus omne finivit: neque enim absoluto opere superfuit quod ageret. Vide omnes huius actionis circumstantias, nulla est quæ summam virtutem non ostendat. Vide quo in statu, quomodo tractatus, in ipso calore injuriæ: parum putat quod ipse ignoscat, nisi Deus ipse ignoscat, idq; ipse sic rogat, ut nihil pro se ita petierit, adeò omnes huius virtutis numeros implevit. Ac ne putes singulare fuisse tantum exemplum: vide aliud in Apostolo Paulo expressum, qui postquam omnes suas passiones enumeravit 1. Cor. 11. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, à Iudæis quinquies quadragenas, una minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum*: cum totam illam seriem tormentorum percensuisset, & innumeras insidias quas quotidie à Iudæis sustinebat: de illis tamen sic sentit Rom. 9. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei, secundùm carnem, qui sunt Israëlitæ*: sive Apostolus per hæc verba intelligat mortem, sive, interpretatur Sanctus Chrysost. privationem gloriæ cælestis: seu ut alij putant dilationem vocationis ad fidẽ: quocumq; modo id intelligatur, non potest ultra progredi dilectio: quod si pro inimicis, & pro persecutoribus, certè nihil addi potest. Ac ne singulos sigillatim recenseam, audi quomodo idem Apostolus, de omnibus Apostolis loquatur, & eorum sequacibus 1. Cor. 4. *Puto enim quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus: Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: Non infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles: usque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus; tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc*: Vide quales fuerint Apostoli omnes, & sine ut usurpem verba S. Basilij Homil. de Ira. Quorum tu, dic mihi, cupis esse discipulus, Beatorum-ne hominum, & Deo gratorum; an eorum qui spiritu referti sunt maligno? Sed ne omnes recenseam, revoco te ad Sanctos veteris Testamenti, in quibus hoc admirandum, quod non solùm seipsos, sed etiam legem suam superarunt. Etenim uti in alterâ Concione diximus nõ eis imperata est dile-

dilectio inimicorum, sed permissa est lex Talionis, *oculum pro oculo, & dentem pro dente* eijcere potuerunt, & par pari referre: eos tamen nihil minus quam Apostolus effecisse reperies: audi enim quid dicat Moyses toties à Judæis, calumniis appetitus, cùm Deus ad ulciscendas eius injurias se paratum ostenderet. Num. 14. *Dimitte obsecro peccatum populi huius, secundum magnitudinem misericordiæ tuæ.* Et Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti:* Vides hominem justū securitatem suam aliorum saluti postposuisse: At tu ô Moyses, nihil peccasti, cur alieni supplicij vis esse particeps? Non sentio felicitatem, respondet hominum mitissimus, si alij rebus adversis conflictentur. Quid memorem Davidis facta, cum Saülis persecutionem perpessus est: plus temporis ista exigerent, si singula enarrare vellem: simile tātum profero eiusdem dictum: 2. Reg. 24. Nam cum videret Angelum stricto gladio, populum deleturum, sic oravit. *Ego sum qui peccavi. Ego iniquè egi; isti qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* An non Samuël Propheta à populo suo affectus est injuriâ, contemptus, & rejectus, & tantâ ignominiâ notatus ut eum Deus voluerit consolari, partem ignominiæ in se recipiens his verbis 1. Reg. cap. 8. *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos:* Quid igitur ille sic rejectus, & contemptus? audi quid dicat 1. Reg. cap. 12. *Absit autem à me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam, & rectam.* Peccatum arbitratus est, non orare pro illis, à quibus injuriam acceperat, & illis non benefacere: ut scias justos omnes hunc sensum habuisse. Sed quæ dicta sunt in unum colligamus. Stephanus dixit. *Domine ne statuas illis hoc peccatum:* Paulus dicebat, *optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis, secundùm carnem:* Apostoli omnes maledicuntur, & benedicunt: persecutionem patiuntur, & sustinent: blasphemantur, & obsecrant: Moyses dicit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* David ait. *Vertatur obsecro manus tua contra me, & cōtra domum Patris mei.* Et Samüel. *Absit à me hoc peccatum in Dominum ut cessem orare pro vobis:* Vide quid post hæc exempla te facere deceat: ac discas hunc omnium Sanctorum sensum fuisse, ut aliorum felicitatem præferrent suæ. Sed quid ego Sanctos commemorem, cum Sancti Sanctorum exemplum habeamus, de quo ait Apost. Rom. 15. *Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est, improperia improperantium tibi, ceciderunt super me.* Porro cum Christus datus fuerit hominibus in exemplum, certum est in eius perfectâ imitatione sitam esse perfectionem: Nam ut ipse dixit Matth. 10. *Non est discipulus super magistrum: nec servus super Dominum suum: sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius, & servo, sicut Dominus eius.* At licet Christus semper fuerit in omni virtute perfectus, ut tamen dicitur de eius infantiâ Luc. 2. *Et Jesus proficiebat sapientiâ, & ætate & gratiâ apud Deum, & homines:* non quidem habitu, sed actibus; ita quoque in Cruce summa dedit exempla: quid porrò fecit in Cruce? cum esset in summâ supplicij acer-

acerbitate, post vincula, post sputa, post convicia, post illusiones, post alapas, post flagella, post spinas, post crucem: cum jam morienti maximè illuderent. Matth. 27. *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua & dicentes: Vah. qui destruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas: salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de Cruce: similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & senioribus dicebant: alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si rex Israël est, descendat nunc de Cruce, & credimus ei: confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum. Dixit enim quia Filius Dei sum. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Jesus mansuetissimus inde occasionem accepit benè illis faciendi, conversus ad Patrem, Luc. 23. *Pater dimitte illis non enim sciunt quid faciunt*: Vide bonitatem: Non modo fert placidè quæ inferebant tormenta: non modò non ulciscitur: non modò non poscit à Patre vindictam: sed nec Patrem ulcisci permittit: immò veniam petit: immò excusat: imò pro illis iisdē moritur: & dū urgent, ut descendat de Cruce, ut credant in eum, eo ipso non descendit, quod sanè mirum est. Ille quidem terrā commovet, petras scindit, aperit sepulchra, Solem obscurat, diem nocte tegit; non ut hostes ulciscatur, sed ut scirēt ipsum parcere non impotentiâ, sed misericordiâ: ac ne putes ipsum à Patre suo auditum non fuisse, ait Apostolus Hebr. 5 *Exauditus est pro suâ reverētiâ*. Hinc enim multi redierunt percutientes pectora sua: hinc conversus est Paulus: hinc tria Judæorum millia unâ concione convertit Petrus Actor. 2. *Et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia*: Et Actor. 4. *Multi autem eorum qui audierunt verbum, crediderunt; & factus est numerus virorum quinque millia*: & aliis vicibus Judæorum innumeri conversi sunt: Audi quid dicat Jacobus ad Paulum Actor. 21. *Vides frater quot millia sunt in Judæis qui crediderunt.* Certè ut ait S. Basilius homil. de Irâ. Multa tibi toleranda, ut ad eius imitationem pervenias.

Sed tibi Christum ut hominem proposui, vis ut Deum? & ut ipse loqui solebat cum esset sermo de Divinitate, vis ut Patrem eius tibi proponam? hoc enim ipse exemplum nobis in Evangelio proposuit Matth. 5. *Diligite inimicos vestros: Benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filij Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos*: & totum claudens discursum. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*, in cuius clausulæ verbis, hęc cōtinētur.

I. Perfectionem consistere in similitudine cum Deo: Unde concludit. *Estote ergo vos perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*: præcesserat autem sermo de similitudine. *Vt sitis filij Patris vestri*, hoc est similes Patri vestro, id enim significat filiatio. Ratio vero est. Quia omnis perfectio effectus consistit in adæquatione eius cum suâ causâ: qui itaque Deo similis est, ille perfectus est. Deinde omnis perfectio est in Deo, ille igitur perfectus est, qui estDeo similis: itaque uti bene advertit S. Chrys. non Angelorum, aut Archangelorum simili-

tudinem nobis Christus proposuit, sed ipsius Dei.

2. Cùm ea similitudo cum Deo possit respicere varias Dei perfectiones, eam potissimum respicere quæ consistit in misericordiâ. In primis, quia hæc est perfectio quę primùm innotescit in Deo, ac magis elucet: Psal. 32. *Misericordiâ Domini plena est terra*: & sæpe, ut Psalm. 144. *Miserationes ejus super omnia opera eius*, quod juvat ad imitationem: Nam licet sit æquè justus ac misericors, eius tamen judicia sæpè sunt occulta; misericordia semper manifesta: deinde, plus de illa gloriatur: Unde sic orat Ecclesia. Deus cui primũ est misereri semper, & parcere: deinde hujus virtutis nos potissimũ vult esse imitatores: itaque quod ait sanctus Mattheus cap. 5. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*: sic exponit. S. Luc. cap. 6. *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est*: unde tam crebra ad misericordiam invitatio.

3. Ad eam perfectionem misericordiæ quà vult præcipuè gloriari tendere homines debere ex filiatione, quia filiationem decet similitudo, præsertim ratione principij, unde res oritur: In nobis autem oritur filiatio ex misericordia: ipse enim per misericordiam genuit nos, secundùm illud 1. Pet. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, &c. in hæreditatem incorruptibilem, &c.* unde cum dicitur, *ut sitis filij Patris vestri*, non est inepta propositio, quasi fieri posset, ut quis nō esset filius Patris sui: Bene autem, ut quis non esset suo Patri similis: sed cum ista filiatio sita potissimum sit in similitudine, hoc vult Christus; ut qui adoptione sunt filij, moribus etiam sint similes: cum itaque origo filiationis sit ex Dei misericordiâ, ut sit similitudo ratione principij, necesse est ut similitudinem paternæ misericordiæ æmulemur.

4. Eam similitudinẽ in perfectâ misericordiâ eò usque tendere debere, ut non tantùm unusquisque proximum diligat, secundùm illud Matth. 5. *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*: Item ut non, tãtùm à te aliquid postulanti concedas, secundùm illud. *Omni autem, qui petit à te, da ei, & volenti mutuari à te, ne avertaris*. Item ut non tantùm benefacias illis, à quibus, aut accepisti, aut vicem expectas: secundùm illud Matth. 5. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?* Luc. 6. *Nam & peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt; quæ gratia est vobis? si quidem & peccatores hoc faciũt. Et si mutuum dederitis his à quibus speratis respicere; quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia*: Mat. 5. *Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonne, & ethnici hoc faciunt?* Sed etiam ut hostibus & inimicis, nullâ habitâ ratione cuiuscumque injuriæ sive in bonis; unde loquitur de sublatâ tunico: sive in corpo-

corpore; unde sermo est de alapâ: sive in actione, unde meminit angariationis: sive in famâ & honore, unde loquitur de calumniantibus, & persequentibus; summa & optima, & omnia beneficia concedantur, *ut sitis filij Patris vestri qui in cœlis est qui solem suum oriri facit super bonos, & malos: & pluit super iustos, & iniustos:* Horum beneficiorum meminit, non tantùm quia erant notissima iis, quibus loquebatur: sed 1, Quia nulli negata, ut scias nullum inimicum esse excludendum: videmus enim neminem etiam sceleratissimum privari sole, & pluviâ. 2. Quia longè qræcipua sunt: ut tu quoque aliis maiora non deneges. 3. Quia per illa, omnia alia bona temporalia concessa sunt: ex his enim tanquã ex causis cætera naturæ beneficia procedunt: ut scias nihil planè ulli negandum esse: 4. Quia æqualirer bonis & malis concedentur, ut scias communia beneficia, & officia æqualiter præstanda esse amicis, & inimicicis. 5. Quia supra necessitatem tribuuntur, & supra desiderium eorum qui accipiunt: ut scias ita te gerere cum proximo: *si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam; præbe illi & alteram: & ei qui vult tunicam tuam tollere dimite ei & pallium: & quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo, & alia duo:*

5. Huius similitudinis fructum esse filiationem secundùm illud, *ut sitis filij Patris vestri qui in cœlis est:* quâ dignitate, nescio quid nobilius, quid maius, quid excelsus, quid optabilius fingi possit? secundùm illud 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitaeem dedit nobis Pater, ut filij Dei, nominemur, & simus:* Vide autem quid ex tali filiatiode sequatur.

1. Quidem maxima in die Iudicij confidentia, secundùm illud Ioan. in sua 1. Epist. cap. 4. *In hoc perfecta est Dei charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die Iudicij: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Idest ex Augustino. Quia imitamur illum: Nam in mundo *facit solem suum oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos:* Ita nos qui non possumus inimicis nostris temporalem solem, & pluviam impartiri. præstamus lachrymas, cum pro illis oramus, & eos beneficiis more cœlestis Patris afficimus: atque in hoc consistit perfecta charitas, neq; enim ulla major, vel divinior esse potest: unde fiducia oritur in die iudicij: quod præmium erit vel maximum, ut cùm totus orbis contremiscet coram Iudice, fiduciam habeamus: Nam quid vereatur fiius à Patre? an forte ut ab illo non agnoscatur? sed similitudo impediet: *Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo:* prætereà quia securus erit de misericordiâ: *Beati enim misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Quâ enim mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.*

2. Oritur quædam moralis certitudo, quod simus in gratiâ Dei, & quod Deus nos diligat ut filios: rependitur enim dilectio dilectioni: Quia enim inimimicos diligimus, Deus nos diligit ut amicos, & filios: præsertim cùm cæteri amores possint esse suspecti: inimi-

eorum autem amor non possit esse suspectus, cuius aliam causam præter Deum invenire non possumus, qnia nimirum eadem est dilectio, & Dei, & inimici: cum non indiligatur inimicus, nisi quia Deus præcepit: unde constat quod diximus maximam esse legis hujus perfectionem, cùm perfectam charitatem contineat, secundùm illa verba Ioannis citata. *In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die Iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Vide autem quò tendat illa perfectio, ut sit similis ipsius Dei perfectioni: ait enim Christus. *Estote ergo & vos perfecti, sicut & Pater vester perfectus est.* Et eodem sensu. *Estote misericordes sicut & Pater vester cœlestis misericors est*: Nam licet in Deo nihil sit imperfectum, nemo tamen plenitudinem perfectionis ipsius intelligit, nisi charitatem eius agnoscat: est autem quoad effectum charitas eius ad summum perducta in dilectione inimicorum: Vnde S. Ioan. in Epist. 1. cap. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Quoad effectum nihil majus facere potuit. Sed ut summum charitatis excessum exponat, subdit. *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris*: Quo proposito exemplo subdit imitationem: *Charissimi si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* In quibus verbis nullum omninò excipit.

Quæ cùm ita sint. Vide, mi Auditor, quâ mercede propositâ ad præclarissimum omnium facinus impellaris, nempe filiatione Dei, eius similitudine, virtutis ipsius participatione, & virtutis & perfectionis ipsius imitatione. Pudeat te intra tam angustos fines tuam virtutem concludere, ut non majora præstes quàm ethnici, *Quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?* Item *si benefeceritis his, qui vobis bene faciunt, quæ gratia vobis est? nam & peccatores hoc faciunt?* Item *si salutaveritis fratres vestros tantùm; quid amplius facitis, nonne & ethnici hoc faciunt?* Attende quos sequaris authores, publicanos, peccatores, ethnicos. Tu qui authorem & exemplar vitæ tuæ sumere debebas Deum, secundùm illud. *Et eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Et Matth. *Perfecti sicut perfectus est*: Sed quid dico te imitari ethnicos, cum illis longè sis inferior. Aristides licet innocens missus in exilium, ingratæ civitati bene precatus est: Socrates, & Phocion dum cicutam biberent, ille quidem civibus suis ignovit, hic filio præcepit ne hanc patris injuriam ulcisceretur. Tu meliorbus instructus præceptis ne tantùm quidem præstare potes? licuerit Iudæo, dentem pro dente, oculum pro oculo repetere, & lege Talionis uti: sed cum Christiano majora proposita sint præmia, cur non etiam majora certamina? Certè quidem post tot exempla in veteri, & in novo Testamento, quid non debes præstare? sed post Christi exemplum quò non debes virtutem tuam promovere? *Inspice, & fac secundum exemplar quod tibi in monte*

monte monstratum est. Quid non ille à suis pertulit post tot oblata beneficia, post tot collatas gratias? Tu nondum ad motem innocens damnatus es, nondum Cruci affixus: sed ne venditus quidem nec flagellatus, nec illusus. Quàm multa tibi toleranda sunt, ut ad eius imitationem per venias? sed hæc omnia ad eius Humanitatem pertinuerint: Nónne & Divinitatis ipsius tibi ostensa sunt exempla? Túne id dedigneris, quod vel ipse Deus non dedignatur? Túne majoris es juris? an majoris dignitatis? an plus offensus? ille patienter ferat, tu non patiaris? Ille ignoscat, tu vindices, ac ulciscaris? Quomodo Patrē appellabis, cui nullâ in re vis esse simills? An ille per ignaviam illatas sibi injurias dissimulat, an patitur ex impotentiâ, & infirmitate? aut non magis potentiâ, & misericordiâ? Hoc nimirum est esse Deum: Hoc est esse omnium Patrem, hoc est esse omnium Dominum: unde sic canit Ecclesia. Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas. Et dicitur Sapient. 11. *Misereris omnium quia omnia potes.* An tu in contrarium, sola ultione teputabis invictum, & fortem? *Quid gloriaris in malitiâ, qui potens es in iniquitate?* Quam afferes Deo excusationem, cùm te modis omnibus ad parcendum impulerit: minis, sed quantis? mercede, sed quali? exemplo, sed quam illustri? doctrinâ, sed quàm solida, & manifesta? exhortatione, sed quā vehementi? Certè majores minas intentare non potuit, negatione veniæ: neque enim parcet, nisi parcas, immò hac tibi conditione parcit: & in oratione quâ veniam petis, hanc quoque conditionem apponit: *dimitte sicut dimittimus* immò etiam revocationem veniæ minatur, nisi ignoscas: unde parabola de decem milium debitore. *Ita Pater meus cœlestis faciet vobis, nisi remiseritis unusquisque proximo suo de cordibus vestris:* Vnde sanctus Chrysostomus concludit, nihil esse pejus injuriarū recordatione, quod non solùm veniam delictorum impediat, quia nullam habet excusationem, sed etiam quod datam veniam revocet. Quid memorē iudiciū, quid carcerē, quid gehennam ignis, quid vincula, quid tortorē, quid externas & ęternas tenebras, & venię desperationē, & satisfactionis rigorē, donec reddat usque ad novissimum quadrantem? Item nec majorem mercedem proponere potuit, nempe remissionem omnium delictorum, etiamsi debeas decem mille talenta: Quod enim vix potes fusis ubertim lachrimis, multis laboribus, & ærumnis, & gravi pœnitentia consequi, illud parvæ injuriæ remissione consequi potes: Ad hæc filiationem Dei pollicetur, amorem ipsius, perfectam charitatem, & divinæ perfectionis imitationem; hæc est enim illa via sublimis, de qua Apost. 1. Cor. cap. 12. *Excellentiorem viam vobis demonstro*: Insuper fiduciam in die Iudicij, & misericordiæ certitudinem, uti suprà diximus. Iam quibus exemplis in utroque testamento, in veteri, & in novo: sed præcipuè Christi Domini, dicente Apost. ad Colloss. 3. *Donantes vobismetipsis, si quis adversùs aliquem habet querelam: sicut & Dominus dona-*

vit vobis, ita & vos. Immò & ipſius Dei, *ut ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt:* ut te pudeat non feciſſe, quod ante te multi fecerunt: ut pudeat id te non pati, quod ipſe Chriſtus diſſimulavit, & quod ipſe Deus, tot beneficijs quotidie proſequitur. Quod pertinet ad doctrinam, de quibus non te erudijt? Quomodo injuriam ferre debeas, & odium, & maledicta: Si enim te oderit inimicus, juberis amare eò uſque ut eum ad te redamandum deducas: Si putet ſe offenſum, vade prior, & reconciliare cum eo rebus omnibus alijs dimiſſis, & licet paratus ſis ſacrificare, deſere ſacrificium & hoſtiam ante ipſum altare, & accurre ad reconciliationem: Si maledicit, benedicas: Si perſequitur, pro eo fundas orationem: Si alapam impingat, alteram maxillam porrigas: Si rapit tunicam, des ei etiam pallium: Si cogit te ire ſtadium unum ſecum, pergas etiam duo ſtadia: Si trahit in judicium, ne litiges cum eo: ac licet ſit adverſarius, conſentias cum eo etiam in viâ, ut nihil planè ſit, in quo inimicum non feras. Iam quæ ſuavior & efficacior exhortatio eſſe poteſt, quam Patris ad filios, quã Domini ad ſervos? Ita te modis omnibus convincit, ut ignoſcas, ut parcas, ut non vindices, ut non oderis, ut patiaris, ut prævenias, ut diligas, ut ames, ut ores, ut benedicas, ut benefacias, & vindicas in bono malum. Si poſt tot ſalutis modos te charitas divina non tangit, neſcio quibus rebus tangi poſſis, & commoveri; & ſi tot amoris ignibus non ardes, neceſſe eſt ut æterno odio, & æternis ignibus ardeas in gehennâ. Fœlix ille in quo amorem Divinum nullæ injuriæ, nulla odia poterunt extinguere: Qui ſic diliget, Deus illum uti filium diliget, quod ſi filius erit, certè etiam erit & hæres regni, cœleſtis ſcilicet, & æterni; ad quod nos perducat Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

Amen.

FERIA

FERIA SEXTA CINERUM

CONCIO QVARTA

DE DILECTIONE INIMICORUM.

Contra Legem Mundi circa injurias: scilicet vindicandas esse. & ultionem esse licitam.

Diligite inimicos vestros, Matth.

SICVT sui sunt corporum nostrorum morbi, ita etiam sui sunt animorum: ex omnibus autem animorum morbis nullus difficilius curatur, quàm odium. Certè superbia difficulter curatur, unde tam pauci sunt humiles: ægrè amor & impudicitia: ægriùs avaritia, ait S. Chrysost. sed odium, omnium ægerrimè: aliud enim est excandescentia seu indignatio, aliud ira, atque odium, ait S. Basilius; prima facilè extinguitur, alterum multò tempore durat, neque facilè sanatur. Non ideò tamen æger est deserendus, quia periculosè ægrotat: Immò tunc magis elucet ars Medici. Ac licèt in morbis corporis multi sint incurabiles, unde Hippocrates sect. 12. aphor. 42. Levem Apoplexiam ait ægrè solvi, sed fortem, & validam non posse omninò, ideoque quorumdam morborum curationem prohibet, quòd curari non possint: tamen in morbis animi nulli sunt insanabiles, propter animi mobilitatem. Propterea age aggrediamur hodie difficilimum omnium morborum animi sanare, hoc est odium, iram, & appetitum vindictæ: sed quoniam multi hunc ferinum appetitũ non moribus solùm, sed etiam doctrinâ defendunt, utrumque adoriamur, & non tantùm voluntatem, sed etiam intellectum persanemus: neutrum facere possumus, absque gratiâ, illam petamus à Deo, ope virginis. *Ave Maria.*

CVM hic mundus unius Dei sit opus, perfectam habuit initio speciem atque imaginẽ unitatis: sui principij, adeo ut in omnibus suis partibus perfectam habuerit unitatem. Sed hæc unitas non diu perseveravit invidiâ Diaboli, cùmque unitatis prima divisio sit in duo, statim divisus est hic mundus, quasi in duas familias, vel in duo Regna: quorum nnius caput, & princeps, & Rex legitimus fuit Deus: alterius princeps, & tyrannus fuit Dæmon: secundùm illud Christi, Ioan. 14. *Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam:* Id expressit S. Augustinus per duas civitates, quas à duobus amoribus constitutas fuisse dicit, unam ab amore Dei, alteram ab amore sui. Fecerunt itaque civitates duas, amores duo, & hoc habent ut in omnibus contrarietatem habeant, una enim incipit ab amore sui & desinit in odium Dei: altera verò incipit ab odio sui, & desinit in amorem Dei. Itaque harum civitatum Principes Perpetuó inter se dissensere: unde ut ait S. Ioannes, *In hoc apparuit Filius Dei ut destruat opera Diaboli:* Ita

Ita etiã cives utriusq; civitatis perpetuũ bellũ inter se gessere: Ita Caïn Abelẽ persecutus est: Esaü Jacobum, Saül Davidem, filij huius sæculi filios lucis, Joan. 15. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: Quia vero de mundo nõ estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*: Ita amborum mores sunt longè dissimiles, pugnantia instituta, leges planè contrariæ: sed omissis cæteris, de unâ tantum hodie judicium instituendum est, nimirum de eâ quæ respicit injùriarum condonationem. Lex mundi est, nullam ab alio offensam ferendam esse quæ possit vindicari, & nunquam injurias obliviscendas: Lex Christi est, diligendum esse inimicum, & quamlibet injuriam esse condonandam. S. Chrysost homil. 27. in Epist. ad Roman. Meminit cuiusdam dicti nonnullorum; Si me dilexerit, diligam: Si me dexter quoque non dilexerit oculus, effodiam illum: Longè aliter Christus, *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderũt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos:* Ego utramque legem vobis judicibus ante rationis tribunal hodie examinare aggredior, nullâ factâ utriusque roboris, & æquitatis dissimulatione.

Incipiamus ab eâ quæ injuriarum memoriam & ultionem non tantùm permittit uti licitam, sed etiam ut utilem & necessariam præcipit. Cuius legis defensionem à mundano sapiente ita factam, me aliàs audivisse memini:

Non sum nescius in eâ causâ quam hodie coram vobis judicibus defendo, licet plurimos habeam approbatores, me tamen aliquos licet paucos habiturum adversarios, uti in rebus omnibus sunt hominum ingenia, & mores, neq; enim eadem omnibus probantur, adeò ut nulla sit tam evidens, certáque veritas, quæ non aliquos nanciscatur adversarios; scio quæ ad naturæ ipsius defensionem, & inculpatam verius tutelam, quàm iniuriæ irrogationem dicturus sum, ab omnibus nationibus, seu barbaris, seu excultis, recepta esse: non ignoro tamen esse aliquos, falso virtutis nomine, & ementitâ generositatis specie, qui velint in nobis omnem injuriarum sensum ita extinctum esse, ut cum Stoïcis ne se quidem offendi posse dicant: Ita Cato colaphis cæsus negavit se percussum, quem sic extollit Seneca lib. de Constantia cap. 14. Cato percussus in os, negavit factum: majore animo non agnovit, quàm ignovisset: quæ sic dicta, specie sunt maiora quàm veritate: Verùm ne præjudiciis cõtra nos agatur, aliquę vel invidię, vel suspiciones amovendæ sunt. Quarum,

Una esse posset ut malè existimemur amatores injuriarum, & ad aliorum offensionem propensi, aut amatores rixarum, ac jurgiorum, quo hominum genere nullum est odiosius, qui non solum ab omnibus Communitatibus, sed etiam ab Urbibus & Republicis, immò ab omni hominum cœtu longè arcendi sunt, & eiiciendi: qualibus hominib⁹ tantum abest ut faveamus, ut potius contra eos decertemus: Neque enim eos laudamus qui injuriam inferunt, sed qui ulciscuntur, primi enim sunt injuriosi, alij vero injuriã quantũ possunt, & à se, & ab aliis amoliũtur: Nam sicut non laudamus, aut approbamus crimi-

criminum authores, ſed vindices, eodem modo damnamus eos, qui injuriam irrogant; eos autem laudamus & approbamu, qui in juriarum thores reprimunt, &ulciſcuntur, quaſi injuriarũ vindices, atque hoſtes.

Altera ſuſcipio eſſe poſſet nimiæ teneritudinis animorum, quâ fieret ut nimis delicati & ad omnem injuriam molles eſſemus, ut qui rebus omnibus offendamur, qui unius aciculæ puncturam, mortale vulnus interpretemur, aut adeò ſimus iracundi, ut ad minima bilis noſtra commoveatur, aut ita moroſi & impatientes, ut ſingulis nos lædi queramur, & omni occaſione omnibus inimici fiamus; ita ut nihil unquam cuiquam à nobis parcatur: Nos non ſalutavit aliquis, aut imprudentiâ, aut alio caſu: haud dubiè, quia nos contempſit: Non blandè, aut urbanè reſpondit: hoſtis eſt, aut inimicus: facetè locutus eſt, & feſtivè, aut ſubriſit: contumelioſè tractavit: Beneficium non fecit aut negavit: apertè inimicus eſt, & odit: odio odium reponendum eſt: duriùs locutus eſt, aut ſe vel alium mihi prętulit, aut re minimâ offendit: injuria hęc ſanguine luenda eſt: Quæ agendi ratio ſi ſemel inter homines locũ habeat, nullus unquam erit amicus, omnes erunt hoſtes, cum omnibus hominibus inimicitiæ ſuſcipiendæ ſunt, & gerendæ: & iam uni homini orbis totus incolendus eſt, &omnes eiiciendi, ſi quietè vivere velit: Nolim adeò delicatam eſſe amicitiam, ut quâlibet injuriâ eſſe deſinat, ſed nolim etiam adeò eſſe ſtupidam ut nihil ſentiat: fateor multa ab amicis, immò & paſſim ob omnibus multa eſſe ferenda & diſſimulanda quę humanæ conditioni condonentur: ſed aſſero quaſdam eſſe offenſas quæ cum amicitiâ conſtare non poſſunt, quaſdam eſſe quas aut non ſentire, aut diſſimulare, aut ignoſcere, aut non ulciſci nemo poſſit, qui non ſit vel ſervilis ingenij, vel abjectæ & ſtupidæ mentis, ait ingeniorum Princeps, Ariſtoteles multis in locis: Hoc etiã innuit Eccleſiaſt. cap. 22. *Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa: ſic & qui convitiatur amico, diſſolvit amicitiam. Ad amicũ etſi produxeris gladium, non deſperes: eſt enim regreſſus. Ad amicum ſi aperueris os triſte, non timeas: eſt enim concordatio; excepto convitio, & improperio, & ſuperbiâ, & myſterij revelatiône, & plagâ doloſâ: in his omnibus effugiet amicus.* Ex quo loco colligitur quaſdam eſſe offenſas quæ condonentur, quaſdam autem quæ nunquam.

Tertium eſt nè videamur Evangelicis documentis adverſari, quæ præcipiunt inimicorum dilectionem, *Diligite inimicos veſtros, & benefacite ijs qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*: ſed ſciendum eſt plurima eſſe in Euangelijs quæ non continent præcepta, ſed cõſilia: de cõſilijs autẽ dicitur *Qui poteſt capere, capiat*, qui modꝰ loquẽdi ſignificat non hoc eſſe omnium capere, & qui non capiunt, non peccare, quod de inimicorum dilectione, accipere debemus, ſcilicet non eſſe præceptum, ſed conſilium, à quo recedi poteſt cum ratione, ut ſciamus non omnem vindictam damnari: Hos ſcopulos prætervecti ad rei ipſius probationem veniamus: ac doceamus vindictam non modò

vindictam non modò non esse illicitā si sit iniuriæ indebitæ, sed plerùmque etiàm rationabilem esse, perutilem,ac ferè necessariam:

1. Ratio peti potest ex ipso totius naturæ sensu, omnia enim se se tacito quodam instinctu tuentur atque defendunt, & injuriam propulsant. Id videre est in rebus insensatis,ut elemētis,quorum perpetua pugna est,in Plurib⁹ mixtis,plantis,& arboribus,in quibus mirabiles videmus sympathias, & anthipathias; in omnis generis animalibus, in pueris, in quibus natura sola est,non mores,non aliena persuasio: Quæ autē secundum naturam sunt, ea in vituperationem & reprehensionem cadere nō possūt,utpote quæ carēt malitiâ:Quid quod licet nociva animalia occidere, venenosas herbas eradicare,hostes suos propulsare, & consequenter suos etiam inimicos ulcisci.Audi quid dicatur Numerorum cap.25. *Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos,quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepere insidijs, per idolum Phogor:* Hinc bella possunt esse licita & iusta, quādo aliter allatæ injuriç satisfactio haberi nequit: Quia sicut princeps potest internos malefactores compescere, & punire, ita potest etiam externos: Nam principes alij alijs ratione injuriæ quodamodo subijciuntur, atque ita malefactores,seu injuriæ illatores, compesci, & castigari bello possunt:Idem cogita,respectu singulorum, cum aliter ius suum repetere nō possūt, quam ultione,id ipsis esse licitum,nam sicut unicuique licet jure naturæ vim vi repellere, ita eodem jure licet vim jam illatam resarcire, cum tandiu duret damnum quandiu non est vindicatum:

2. Ratio petitur ex sensu sapientum ne putes depravatum esse illum comunem naturæ sensum: Nam uti advertit S.Ambros.lib.2.de Abraham cap.6.dictum fuit Chilonis, unius de 7.sapientibus Græciæ:affectus injuriâ, reconciliare,contumeliam verò ulcisscere:Lactātius lib.6. Institut.cap.18. refert Tullij dictūm. Vir bonus, nemini noceat, nisi injuriâ lacessitus:Aristotel. lib.4.Ethic. cap.3.agēs de homine magnanimo;ait, eum non esse maledicū, ne in inimicos quidem,nisi ob contumeliā: apertè significans, iustū esse pro illatâ contumeliâ, contumeliam & maledictum reponere: Ex quibus locis patet 1. Virum bonum,non debere ultro injuriam irrogare: 2. Non sufficere quamlibet injuriam ad ultionem provocandam, nam leves negligendæ sunt, & ignoscendæ: 3. Quasdam esse injurias quæ non debeant condonari, qualem dixerunt Aristoteles, & Chilo unus ex 7. Græciæ sapientibus esse contumeliam: Ratio esse potest: Quia ex Aristotele 2.Rhet. cap.2.Contumelia est,damno, atq; dolore affici in ijs in quibus turpe est pati: nempe circa honorem qui nobis vitâ charior esse debet. Nam si dixit Sapiēs Ecclesiastici 41. *Curam habe de bono nomine,hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni,* certè nemo negligere debet recuperationem honoris, quæ fieri nō potest, nisi per vindictam, quæ honorem repetit ab injusto detentore:

Hinc multi Duella apud milites,& Nobiles, & Aulicos usitata, defendunt:nō illa quidē quæ sine ullâ occasione, aut solâ temeritate, aut vanitatis studio

studio, aut alios lacessendi libidine fiunt, sed quę sui honoris defendendi causâ suscipiuntur: eo quippe res recidit ut nulla jam sit in Nobilibus, sui honoris aut defendendi aut recuperandi ratio, quam si aut duellum oblatum admittant, aut offerant sui honoris injusto raptori: Nam si ad obtinendam vel retinendam aliquam dignitatem, licet cum alio qui obsistit, etiam cum vitæ periculo decertare, quis dubitet, non licere quoqne acceptationem Duelli, quæ jã ex consuetudine, inter nobilitates recepta, ad sui honoris integritatẽ servandam necessaria est: Cum enim, ut ait Philosophus lib. 4. Ethic. cap. 3. bonorum omnium externorum maximum sit honor; quod hinc probatur, quia Dijs ipsis, tribuitur, & quia à viris maximis, & in dignitate positis affectatur, & quia uti præmium, ob res præclarissimas, tribui solet: certè quod pro cæteris bonis licitum est, ut pro divitijs, & libertate, multò magis pro honoris conservatione: Et quidem si actus invadendi furem aut prædonem, conantempecuniam meam auferre, quam aliter recuperare non possum, est licitus: quis jam dubitet licitã esse acceptationem Duelli: cum in eâ solâ sæpe sit honoris sui defensio, aut ablati recuperatio. Nec satisfaciunt qui eiusmodi honoriem imaginarũ esse dicunt; Quia cum ex Philosopho honor, nihil sit aliud, quam judicium, & testimoniũ de alterius excellentiâ, cum jam ex cõmuni opinione hominum, & ex receptâ consuetudine factum sit, ut ad eiusmodi judicium de alterius excellentiâ, in Militum & Aulicorum, atque Nobilium mentibns, necessaria sit acceptatio Duelli; Iam ex eiusmodi acceptatione, eorum honor dependet: Nec magis etiam me movet, quod dicatur, illud judicium esse erroneum, cũ ea causa non sit omninò sufficiens, ut tale iudiciũ feratur? Nam satis est, ita se rem habere, & ita fieri, cum honor sit tantũ existimatio de alterius excellentiâ; & existimatio oriatur ex cõmuni hominum sensu, licèt ille sensus, oriatur ex causâ minimè sufficienti, ex parte objecti: sicut quotidie fit, ut aliquis ex falsâ accusatione honorem perdat, verè enim perdidit: Ita fit in eá nobiliũ existimatione: Nam ut demus causam non esse sufficientem, quia tamẽ ita passim creditur apud nobiles, is qui Duellum non acceptavit, honorem suum perdidit ut apud Lacedæmonios, qui clypeum abjecit? apud alios, qui terga vertit: licet non apud Parthos, quòd isti fugiendo pugnarent: ut apud Iaponicos, qui mori jussus â principe mortem gladio sibi non consciviset: Itaque licitum erit acceptatione Duelli honorẽ suum recuperare, cum ea unica recuperãdi ratio relicta sit: Neque magis terreor legum prohibitione, & Principis decreto, sub gravibus pœnis, Duellum quâcunque ex occasione prohibẽtis: Nam vel aliquis dicere posset, eiusmòdi leges tantùm esse pœnales, quæ ad pœnam tantùm obligent, non ad culpam: quales multæ sunt ad politiam? vel uti aliquando dicitur, dari bellum utrinque justũ: Itàque justam esse principis prohibitionem, & justam esse priuatam Nobilis actionem: Principis quidem, ne si Duella permitterentur, aut sinerentur inulta, multis daretur occasio inferendæ injuriæ,

 præ-

prætextu ultionis, & honoris recuperandi: Privati autem hominis, qui possit honorem suum vel tueri, vel recuperare, non minus licitè, quàm quilibet sua bona. Denique dicere forsitan aliquis audaciùs posset, Principem esse quidem posse bonorum meorũ, immò etiam & vitæ meæ dominum, sed non etiam honoris mei, atque famæ: Itaque sicut leges dum prohibent, ne quis privatâ authoritate, sua repetat, non impediunt justam compensationem, dum aliter mea recuperare non possum: ita mihi quoque licitum est, illâ unicâ mihi restante actione, honorem meum, aut defendere, aut recuperare:

3. Ratio hinc petitur quod hic sensus totius naturæ, & omnium sapientum non sit malus, & illicitus.

Probatur 1. Quia non est injustus: Neque enim vindicta violat ius alterius; sed potius, qui primus injuriã intulit, jus violavit, & lædendo alterius jus suũ amisit, itaque vindicta non est iniusta: Vnde Aristoteles 2. Rhetor. cap. 2. Qui par pari reddunt, non contumeliãtur, sed ulciscũtur: quasi diceret nõ esse illos injuriosos, neque contumeliosos, sed illatæ sibi injuriæ vindices: & hinc oritur quod cõmuniter credatur, eos passim iuvari à Numine qui sunt offẽsi: quod ex parte illorum sit jus: itaque Aristot: loc: cit. cap. 5. ait affectos injuriã esse confidentiores, quod credatur Deum opitulari injuriâ affectis: Vnde in fine libri de Mundo ad Alexandrũ. Vltio, comes est Numinis: ac licet leges aliquando vindictam prohibeant, non tamen sequitur esse illicitam, sed tantùm esse contra obedientiam Legislatori debitam, si ille perfectam à nobis exigat patientiã: verùm sicut in bonorum injustè ablatorum restitutione, cùm non sunt aliæ viæ recuperandi, licet ea per occultam compensationẽ resumere: ita cùm aliquis injustè meum honorẽ retinet, si aliter recuperare non possum, quam reponendo injuriam, quis dubitet in eo casu licitam esse ultionem?

Probatur 2. Quia qui se ulciscitur, non modo injustus non est, cùm nullius ius violet, sed etiam iustus est, & positivè iustitiam exercet: Nam uti agnovit Aristot. 5. Ethicor. cap. 5. Multi, inter quos fuerunt Philosophi Pythagorici, ipsam repassionem iustam esse docuerunt: itaque definientes iustum, repassionẽ esse dixerunt: unde adeo laudata fuit iustitia Rhadamanti dicentis. Si contra passus fuerit, quod fecerit idem: iudicium planè rectum, vindictàque fiet: Eadem quoque fuit lex 12. Tabularum: si membrũ rupit meum ex pacto, talio esto: imò in lege divinâ, idem præcipitur Exod. 21. & Levit. 24. *Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum, sicut fecit, sic fiet ei: fracturam pro fractura; oculum pro oculo: dentem pro dente restituat, qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur*: Hinc docet Aristoteles 1. Rhetor. cab. 12. Facilè injuriam irrogari iis, qui aliis iniuriam intulere, aut inferre solent: Rationem subdit. Nam id non videtur ferè injuria, cum tale per pessus quispiam sit, quale ipse facere solitus sit: & si quis convitiari solitum verberaverit: vel eos qui male fecerunt aut voluerunt, aut facturi sunt: nam & voluptatem id. & laudẽ habet, nec ferè iniuria esse videtur:

Quod

Quod dicit eiusmodi retributionẽ habere voluptatem, nová aperit rationẽ iustitiæ: Nam ficut Injuria dolorem affert, quia fit contra voluntatẽ eius qui patitur injuriam: ita voluptatem habet retributio, & ultio: in eo igitur est iustitia, ut ficut qui offendit, ex alterius dolore voluptatem cepit, quia excellere fibi visus est: ita viciſſim alter ex eius dolore voluptatem accipiat, quasi reciprocante victoriâ: Vnde idem 4. Ethicor. cap. 5. distinguens varios iræ gradus, ait esse aliquos, qui odium diutiùs retinent, & eos vocat amaros, neque eos placari vult, niſi ultione: Amari (inquit) longo tempore ſub irà ſunt, detinent enim ipſam: ſed ubi reddiderint, ceſſant: ultio namque ponit iræ modum, pro dolore voluptatem efficiens: quod ſi hoc non fiat, habent ipſum pondus: Hinc docet 1. Rhet. cap. 10. differre pœnam, & ultionem: Quia pœna eius gratiâ fit qui patitur: nam aut emendatur, & corrigitur, aut impeditur ne ampliùs peccet: ut nemo pereat ait Seneca l. 1. de Ira c: 6. niſi quẽ perire, etiãpereũtis interſit. ulrio verò eius eſt, qui facit, ut expleatur: Hinc quidã dixerunt nihil eſſe gratius, aut iucundius ultione: ſic Ariſtot. 1. Rhetor. cap. 11. ulciſci iucundum eſt: quod ſi non aſſequaris, triſte: ſi aſſequaris, id iucundũ eſt: Qui verò iraſcuntur, magnopere dolent, non ulti: Idem lib. 3. Ethicor. Ira voluptatẽ quandam habet, cum ſpe, nempe ultionis ſumendæ:

Probatur 3. Ex publicâ ſcelerum vindicatione, quam nemo negat eſſe iuſtiſſimam, cuius exemplũ habemus in iuſtitiâ divinâ vindicativâ, quácũ eius ſanctitate, & bonitate, rectè cohærere, optimè docet S. Cyril. Alexandr. contra Iuliani Apoſtatæ calumniã lib. 3 adverſus ipſum: & probat S. Cyrillus 1. Quia conſtat eſſe bonum, non ferre mala. quæ coërcere poteſt, ac debet hæc iuſtitia: 2. Quia conſtat ſupplicia iuſta eſſe veluti vincula, quibus improbitas conſtringitur, ne licenter in quodvis ſcelus feratur, quod impedire, nemo improbet ſanę mentis: alioqui omnes leges damnandæ eſſent, quibus firmandis Legiſlatorum providentia, non ſine ratione, ſupplicium adjunxit; quaſi retinaculũ ſceleris: Eodem ſenſu Syneſiꝰ Epiſ. 121. Publicus gladius, non minus, quã luſtralis aqua, quæ in templorũ veſtibulis collocatur, civitatis eſt piaculum: Idem voluit Apoſtolus Rom. 13. *Vis nõ timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa: ſi autem malum feceris, time: non enim ſine causà, gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit;* Plato lib. 9. de Legibus. Profectò legum optimarũ officiũ eſſe dicimus, ita animos hominum inſtituere, ut oderint injuſtitiam, &c. Legiſlator id aſſequatur, ſeu voluptate, ſeu dolore: vel honore, vel infamia: quos verò inſanabiles eſſe ſenſerit, ultimo ſupplicio hos afficiat: Nam horum exemplo, à peccato cæteri deterrentur, & improbis hominibus, civitas ipſa mundatur: Et ut ait Seneca lib. 1. de Ira cap. 8. Qui vivi noluerunt prodeſſe, morte eorum certè reſpublica utatur. Sed 3. præcipua, & quaſi fundamentalis ratio eſt: quia eò aliquando devenitur, ut & cõmunitati, & parti lęſę ſatisfieri nõ poſſit, niſi ſupplicio lædentis: unde utique ei pœna debetur. Ad

Ad hæc quælibet injuria, iusto suo stipendio digna est, illud autem non est aliud quam pœna: Nam quantum quis male sibi in pravo opere placuit, tantum debet pœnæ, prudenter definitæ, repositione tristari, &hanc causá plectendi iustam esse, & legitimam agnoscit S. Aug. lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 16. & 34.

Hoc posito tria hinc infero: primũ est eiusmodi: igitur vindicatio, & ultio, ex suâ naturâ non est illicitn. alioqui neque publica licita esset, quod nemo ratione præditus negare audeat: secus enim lata via criminibus operiretur, dum mali nihil timerent, ac nullum esset vitiorum repagulum, & impedimentum: 2. est, quoniam sæpe Iudices ac Magistratus reos non puniũt, neque satisfaciunt læso, hoc illi unũ superest, ut quo ipse modo potest, jus suũ repetat, atque resarciat, quod quia sæpe nõ potest, nisi priuatâ, uindicta sequitur eá posse adhiberi, ut mediũ ũicũ sua recuperandi: 3. est, ut in ijs casibus, in quibus publica iustitia non potest, aut non vult vindicare læsum, in illis quilibet possit suum jus ab inimico repetere: cæteroquin contingit, quod dicit Ecclesiastes c. 4. *Vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eorũ violentiæ, cunctorum auxilio destitutos.*

Probatur 4. Quia oportet modum imponere injurijs, quod non melius fit quam vindicatione: sicut enim scelera multiplicantur, si non puniuntur; ita injuriæ, si non vindicentur: quod patet experientiâ. Neque enim facile aliquis illum offendit, qui nihil ignoscit, è contrario verò qui ovem se præstat, facile à lupo devoratur, & hoc Reipublicæ utile est, ut nonnullorũ audacia coërceatur: Hinc Aristot. 1. Rhetor. 12. enumerans eos qui facilé injuriâ afficiuntur, sic loquitur: Illi facile injuriantur, qui affecti à multis iniuriâ, non curarunt de ultione: Nam uti dicitur in Proverbio, Mysorum præda sunt: Mysi autem abjectissimi fuerunt hominum, unde pro ultimo hominum apud Tullium dicitur, ultimus Mysorũ: qui itaque nullam habent defensionẽ, neque se vindicant Mysorum præda sunt, hoc est omnibus, etiam abjectissimis hominibus expositi sunt, & ab omnibus malè tractantur. Idem dicit de iis, qui nec ad dicendum, nec ad faciendum, multùm valent: nam ii aut ulcisci negligunt, aut reconciliantur, aut non ad finem usque persequuntur: Item deiis quibus inutile est tempus consumere, dum judicia, & compensationes expectant, quales sunt advenæ& opifices, qui injuriantes sibi, parvo absoluunt, & facilè mitigantur. Et loquens de iis qui facilè injuriâ afficiunt, inter alios eos indicat qui se veniam facilè consecuturos sperant, præsertim in rebus quæ occultari possunt. Ex quo Philosophi discursu patet causam ordinariam cur facilè injuria fiat, esse, quod non satis qui offensi sunt se ulciscantur, ideoque vel eo solo nomine licitam esse vindictam, ut injuriis modus imponeretur.

4. Ratio petitur ex eo quia vindicta pertinet ad fortitudinem, ille enim fortis est qui est invictus, & consequẽter qui repellit injuriã, si non omnẽ, nã aliqua

aliqua ob levitatem negligi debet, sed eam certè quæ honorem attingit, & quam ut ait Philosophus, turpe est pati: unde uti diximus, Idem Arist. 4. Ethicor. cap. 3. docet virũ magnanimũ non esse maledicum, ne in inimicos quidem, nisi ob contumeliam, apertè indicans esse aliquam injuriam quam vir magnanimus pati non debeat, sed ulcisci: & illam dicit esse contumeliã: quia ex eodem 2. Rhetor. cap. 2. in eo est contumelia, quod quis damno, aut dolore afficiatur, in quibus turpe patienti est, non ut qui facit contumeliã, idem faciat quod sibi factum est, sed ut voluptate afficiatur: In eo autem est voluptas, quod putet se malè agendo, magis excellere: in quibus verbis Philosophus includit causas ob quas vir magnanimus non debeat pati contumeliã, quia turpe est patienti, quia vera iujuria est, cùm non sit retributio, denique quoniã est contemptus personæ: Itaque in universum idem ipse pronunciat 5. Ethic. cap. 5. Homines aut reddere malum quærunt; quod nisi fiat, servitus esse videtur, quia servo non licet in dominum etiam injustè sævientem assurgere, aut retribui sibi bonum: quod nisi fiat, actus dandi, beneficiũque non fit, ideòque gratiarum templum in mediâ civitate condere soliti erant, ut retributio fit: hoc enim gratiæ proprium est. Quasi diceret, tàm esse justum reponere injuriam, quàm justum est beneficum reponere: si enim primum non fiat, perierit libertas: si secundum, perierit beneficium: Idque etiam de Deo pronuntiat Scriptura 2. Reg. cap. 22. *Cum electo, electus eris: & cum perverso, perverteris*: Etenim Deus in præstantes in benefaciendo, eodem modo se gerit, magnis eos beneficijs cumulans: Quod si quis suam justitiam deserat, (hoc enim est perversum esse.) Ita Deus suum morem deseret, & ex benefaciente, puniens evadet. Idem sæpe inculcat, Levitici 26. *Si ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque cõtra vos adversus incedam*: Et Christus Matth. 7. *In qua mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis*: sed signanter Deuter. 28. *Sicut ante lætatus est Dominus super vos: bene vobis faciens, vosque multiplicans, sic lætabitur disperdens vos, atque subvertens, ut auferamini de terrâ ad quam ingredieris possidendam.*

5 Ratio petitur ex naturâ mansuetutinis, ne videar tam amabilem virtutem impugnare voluisse, quæ certè non in eo consistit. ut nunquam quis irascatur. aut ulciscatur: Nam, ut ait Aristoteles lib. 2. Etic. cap. 7. & lib. 4. cap. 5. Mansuetudo est mediocritas circa iram: is igitur, ait Philosophus loco vltimo, qui pro quibus, & quibus oportet, & ut oportet, & cùm oportet, & quanto tempore oportet, irascitur; laudatur, estque hîc mansuetus: si quidem laudatur ipsa mansetudo: Defectus verò, sive sit quædam iræ vacuitas siue aliquid aliud, vituperatur: Qui namque non irascuntur pro quibus oportet, & ut oportet, & cùm oportet, & quibus oportet, fatui sunt: nam neque sentire, neque dolere videntur: atqui qui non irascitur non est aptus ad ulciscendum: perferre autem calumnias, & suas negligere, est sine dùbio servile: Ex quib⁹ verbis constat ultionem, aliquando non modò non esse malam, sed honestam,

& actum

& actum virtutis: immò etiam, quod multi mirabuntur, & pauci putassent, actú mansuetudinis, quæ modum ponit circa iram, quem qui supergreditur iracundus est; a quo qui deficit, præsertim in contumelijs, ex Aristotele, fatuus censendus est, &ingenij servilis, & ut ait in MagnisMoralib⁹ iib. 1 cap. 23. análgytos. stupid⁹, torpens, insensibilis, & incommobilis, quia nullâ re commovetur, ut qui sit sine sensu, & qui dolere nesciat, quia non sentit: quapropter, ut ait, in reprehensionem cadit. Sicut enim (inquit) non decet excandescere omnibus,&omninò semper, quod facere solent iracundi;sic neque contrà ita se habere ut cuiquam nunquam, is namque incommobilis, & indolens, atque insensibilis sub reprehensionem cadit.

Quæ cum ita sint, vide an jure, an injuriâ,omnis omnino vindicta ab hominibus excludatur,quam tot rationes persuadent: Ego quidem nolim illam crudelem,& cruentam vindictam, quæ non nisi cædes moliatur,&tantùm aliis nocere quærat: sed aliam laudo gēerosam, &nobilem,quæ uti nullam ultrò facit injuriam, ita nullam, si gravis sit, patiatur. Nolim ego homines, ad rixas,& jurgia, &contentiones incitare, scio enim eos qui ad eiusmodi, aut naturá, aut consuetudine proclives sunt, & incitati, odiosos esse, & intolerandos, & generis humani pestes esse: sed nolim etiam homines esse stupidos, & fatuos, & insensibiles, & assuetos servituti,qui abjecta quæque ferant cum dedecore. Non omnis vindicta crudelis est, si ipsa itiā pars est mansuetudinis: Non omnis ferox est,& belluina: si aliqua, propria est hominis, non tātùm generosi, sed etiam magnanimi. Nolim ego januā aperire rixis, & contentionibus,sed potiùs velim illis modum afferre: ut qui sunt ad offensionē proclives,sciant se nō impunè laturos, si virum fortem offenderint. An non illud facere liceat, quod ipsæ leges faciunt, quod magistratus, quod justitia quæ unicuique jus suum reddit? Sic instituendi sunt & informandi nobilium animi,& quibus natura generosam indolem dedit, nec mollia puerorum ingenia ad mollitiem inflectenda, nec ad servilē statum deprimenda: leves quidem injurias discant contemnere, & ferre patienter, ne nimium delicati esse videantur, sed contumeliam non leniter ferant,quam ut ait Philosphus, turpe est pati: quod autem turpe est, nemini nisi servo ferendum est, nemo verò turpiter servit nisi cui Iupiter mediā cerebri partem abstulerit ut dixit Homerus: Ita fiet ut nemo unquam vel in se vel in alijs,quod turpe est&indecorū patiatur: Ita fiet, ut cùm privatas injurias, ulcisci assueverint,discant aliquādo publicas vindicare: Ita fiet, ut nemo vel palàm inimicus esse audeat,vel palàm nocere, cum unusquisque intellexerit, nihil seimpunè laturū,sed statim adesse vindictam: quandoquidem magnis viris æquè persuasum sit, injuriam,neque inferendam esse,neque tolerandam: cum inferre injuriam sit hominis procacis, & injusti: tolerare autem injuriam, hominis sit, aut timidi, aut fatui, aut servilis. Scio hunc discursū, tibi non displicere, ô Nobilitas,

quæ

quæ generosos animos geris, cuius prærogativa, & virtus propria est fortitudo, quæ te hortatur ut te indignum nihil facias, aut feras, quod te pati turpe sit: Tu meritò cætera omnia bona externa parvi facis, quæ cum omnibus habes communia, & quibus sine dedecore carere potes: Sed honorem vitâ ipsa habe chariorem, qui te super alios extollit: Ita tui maiores senserunt, ita vixerunt; his moribus cæteros homines superarunt; his institutis educati nihil se indignum passi sunt, sed suum honorem rebus omnibus prætulerunt, & omne dedecus, & suo, & alieno sanguine redemerunt: Non aliâ de causâ ensis tibi de latere pendet, non belli tantùm tempore, sed etiam pacis, non ut facias injuriam, sed ut tibi illatam si gravis sit, aut repellas, aut vindices, ratus te tam lentum esse debere injuriæ faciendæ quam facilem ulciscendæ.

Ecce, Auditores, præclara humanæ prudentiæ effata, ac propè extremum quò aspirare sapientia illâ potest, de quâ loquens Apostolus ad Rom. cap. 8. ait, *Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest.* En egregias, quæ prætexuntur causas ad cupiditates animi explendas, atque ad serviendum studio ultionis. En venenum, quo alitur juventus, & Galliæ totius adolescentium inocentia corrumpitur, eò usque ut neque anathemata Ecclesiæ, neque Principum edicta, neque familiarum mœror, nec suprema quæque acerbitas, nec suppliciorum vis prohibere possint, & abducere à profundẽdo Gallorum nostrorum sanguine, quo rixæ animo confictæ vindicentur, sustineaturque honoris species, qui nullus est, neque alio quoquam nisi mendacij fundamento nititur. Tantine istud est, ut saluti nuncium remittas, labem inferas conscientiæ, crimina mortem millies commerita admittas? animo certè quidem affectuque voluntatis; sine ullo amicorum, propinquorũ, affinium, innocentium, respectu, teque addicas ultrò æternis ignibus, offensioni numinis, cruciatibusque nullum finem habituris? Quis tibi futurus est sẽsus in mortis articulo, ubi te in ultimũ præcipitium incumbentem videbis, nihilque expectabis reliquum, nisi postremam summi Judicis tui sententiam? sciscitare ab iis qui mortifero vulnere sauciati sũt in singulari aliquo vel prohibito certamine, ecquis sit ipsorum sensus? attende quantum eos pœniteat facti quod tantopere optarunt, tantoque æstimarunt pretio? ut detestabile animi sui propositum cõdemnant, quod alias amplexati sunt? Tum enim verò ignoscunt ijs, qui lethiferam inflixere plagam, cum levem antea offensiunculam, fictamque damni speciem ulcisci, etiam cum vitæ periculo voluerint. Si fortis est animi vindicta, cur nam ignavi sub vitæ finem evadunt? Cur nõ moriuntur uti vixere? Si actus est virtutis, dignusque forti homine, ac eo qui magnanimus vocatur, cur esse probi virtuteque præditi desistunt eo tempore, quo ij etiam qui minimè fuerunt, eiusmodi, esse concupiscunt? Nempe, quia ubi oculos occludunt ad claritatem solis, eos veritatis splendori aperiunt, & à vitæ erroribus abeunt. Parùm tunc ipsorum interest, quid judicent homines, plurimũ autẽ, quid Deus suprema

veritas de ipsorum actionibus judicet. Quid ad tui defensionem purgationẽque coram majestatis suæ throno dicturus es? Agebatur (inquies Deo) de honore meo. At, responderet tibi, de meo etiam agebatur, offensus fueram: Esto, sed offendere me non veritus es. Quod à me factum est, dices, id ego egi secundùm mundi leges in quo versabar, & cuius pars eram: At, secundum meas, dicet, vivere debueras. Nihil feci nisi quod universi homines approbãt: Sed ipsum istud est quod improbaveram. Me ut honestum hominem gessi: Sed ut nequam improbumque Christianum. Egi nihil homine probo indignum: Tuus iste quidem error fuit, at contrarium præceperam tibi. Mundi sensa insecutus sum: sequi mea debuisti. Vixi ex legibus terræ, cuius incola eram: At legibus cœli adversabantur, cuius gratiâ te creaveram. Ex rationis usu esse duxi facere quod unusquisque probat: Sed quid rationis habere potuisti ad faciendum contra Evangelij veritatem? Voluisti me nobilem nasci: At quid nobilitatis est in ulciscendo, quod postremus hominum facere potest. Conditionis meæ professio ensem mihi ad latus alligaverat, non ut eo minime uterer: Volo id quidem, sed nequaquam ut temerè gladiatorem ageres, quò provocares utrumlibet, privatas vindicares injurias, teque omnibus formidolosum præstares, verùm ut propugnares patriam, servires Principi, & pro re nata offensas in Deum ulcisceréris. Dic mihi, charissime Auditor, si fortè ultionis studiosus fuisti, quis tibi futurus est sensus, inferorum in tormentis, quibus secundùm ea quæ pronunciantur in Evangelio, quin dãnandus sis abesse non potest, cùm vindictâ usus fueris, nec ignoveris inimico, post mandatum tibi à Deo sancitũ? O quàm id temporis, præclara mundi effata, videbuntur tibi non modò falsa atque injusta, sed ridicula prorsus, & dignissima contemptu! Quàm parùm tuâ tunc intererit ab unoquoque laudatum fuisse, cùm ab Deo vituperaberis! ornatum fuisse fortis, generosique titulo, magnanimi atque invicti laude, quandoquidem te Deus contrariis omninò nominibus damnabit: *Qui me contemnunt, erunt ignobiles*. Exile illud cor, homo ille, vi & animo omni vacuus, non potuit sustinere voculam, convicium, despicientiam, torvum oculi conjectum, contemptionem: ulciscendum fuit sanguine, & suo, & inimici, utriusque vitâ, & quod absque indignatione dici nequit, propriâ salute, quam postposuit vindictæ, ita ut coërcere illum non potuerint leges, debitaque Principi suo obedientia, subjectio Ecclesiæ, observantia Evangelio, timor Deo, qui minatus inferos, atque æternitatem pœnarum, ipsi ultionem prohibuerat. O quàm carè honor tibi constabit! ô quã crudelis tibi vanitas existet! ô quàm certò ista quam expetieris vindicta subijciet te alteri longè graviori, nunquam terminandæ, quæ ad æternitatem usque pervadet. Si honoris & gloriæ respectus, saluti consulere Nobilitatem non sinit, & reliquos maximè in hominum genere spectabiles, quid arbitrari possumus de aliis ultionibus, quæ ad res levioris momenti, vilorisque conditionis inter mortales perti-

pertinent? *Quia si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Sanctus Hieronymus scribens Romanæ mulieri viduæ, eam hisce verbis affatur: Cogita quotidie te morituram, & de secundis nuptiis nō cogitabis. Idem te commoneo, chare Auditor, de morte crebrò cogita, & non tenebit te studium vindicādi quas acceperis injurias: levioris sunt ponderis quàm ut id exigant: meditaberis potiùs rationem vitæ anteactæ, quam Deo reddi abs te necessarium est. Disceqtationes alias habes dirimidas cum Deo, quæ quidem momendi longè gravioris sunt; namque æternam aut infœlicitatē, aut beatitudinē spectant.

Verum, Auditores, cùm vos cæco ignoscendi officio astringere nolim, & sine comēmoratione rationum & causæ, mihi jam pro Evangelicæ legis defensione dicturo, eandem in audiendo attentionem date, quam hactenus adpibuistis dicenti pro infami Mundi lege propugnanda: ut intelligatis quàm optimo jure Legislator noster edictum hoc in Evangelio promulgaverit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Omnes metas hodie supergreditur oratio, sed id exigit argumentum; nec vobis, etsi fatigatis, eiusmodi productionem fastidio futuram spero.

SECUNDA PARS CONCIONIS.

VT varia esse solent in magna hominum multitudine judicia, non dubito hîc fuisse aliquos qui nō ita probarint, quod tam multis rationibus stabiliverim iniquam Mundi legem, quæ præcipit nullam injuriam condonari, quæ vindicari possit, & injuriam patientiam denotare animum demissum atque servilē: & erunt fortasse aliqui, qui in me maiorem prudentiā desiderassēt.

1. Quia in turbâ plurima sunt infirma ingenia, quæ facilè scandalum patiuntur; & in lege præcipitur Levit. 19 *Nec cæco pones offendiculum.*

2. Quia in materia quæ ad religionē spectat vel salutem, dubia non sunt movenda; ut pote quibus lædatur in multis innocentia, aut simplicitas, cùm bonâ fide accipiant quæ proponuntur, solâ inducti proponentis authoritate.

3. Quia vulgò exigua ingenia, capaciora sunt difficultatum quas objici audiunt, quàm solutionum quæ afferuntur: nam ad formandam sibi difficultatem, quilibet juvatur ab ignorantia, & ingenij tarditate; ad concipiendam autem solutionem opus est aliquâ scientiâ, & ingenio: unde de rebus fidei, ut principiis nostræ religionis, & de plurimis controversiis, plurimi docent non esse uberiùs tractandum, coram plebe imperitâ, ne multi dubitare incipiant de rebus quas habebant ut certas, cùm pauci earum rerum sint capaces: ita Christus quædam initio Apostolis suis occultavit, Ioan. 16. *Multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modò:* Et Apostolus 1. Cor. 3. *Et ego, fratres, non potui loqui vobis tanquam spiritualibus, sed quasi carnalibus: tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed ne nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis.*

Et hoc maximè intelligendum eſt, ubi errores ſunt vulgares. Ad hæc in rebus moralibus id valdè periculoſum eſt, in iis præſertim ad quas eſt naturalis inclinatio,& propenſio; nam quod amatur,facilè creditur.

4. Sed quæ perſuadent vindictam, plauſibilia ſunt: & propterea facilè admittuntur;quæ iubent inimicorum dilectionem, & difficilia ſunt, & magis ſpiritalia: *Animalis* autem *homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus:* Præcipuè cùm ea quæ à fide proponuntur, noſtrum captum ſuperent, & quæ ſunt Evangelij præcepta,ſint contraria ſenſui,& carni.

Verùm cùm magna mihi de vobis ſit opinio & æſtimatio, non timui vobis omnia proponere, cùm alioqui ſciam ea paſſim eſſe in hominum mundanorum ſermonibus; quibus ut reſponderem, ea vobis etiam non fuerunt diſſimulanda. Etenim & multùm ſpero à gratia Dei, quæ veſtris mentibus lumen,& voluntatibus robur addet. Deinde quàm rationabiliter nobis præcepta ſit iniuriarum condonatio, hinc apertiùs oſtendemus,cùm & probationes attullerimus, & contrariis reſponderimus cumulatè. Age igitur,aggrediamur.

Legem mundi diximus eſſe eiuſmodi: nullam ab alio illatam offenſam ferendam eſſe quæ poſſit vindicari,& iniurias nunquam eſſe obliviſcendas: cuius defenſionem atque patrocinium, ab homine mundano, ſecundùm omnẽ humanæ prudentiæ ſapientiam ſuſceptum,ſic audivimus, ut Chriſtianis aurib⁹ horrorẽ attullerit. Lex Chriſti eſt in toto Evangelio ſæpius promulgata, quæ præcipit diligendũ eſſe inimicũ,& quamlibet iniuriã condonandam, cuius defenſionem ſuſcipimus, contra deteſtabilia mundi pronunciata. Certè ſi rem authoritate vellem definire, unico verbo totam cauſam abſolverem. Si dicerem primæ legis, quæ vindictam indicit, authorem eſſe vel mundum, vel Mundi principem, hoc eſt Dæmonem: vel prudentiam aut ſapientiam carnis, de qua Apoſtolus Romanorum 8.*Prudentia carnis mors eſt;* quia infallibiliter mortem affert: & *Sapientia carnis inimica eſt Deo; Legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt:* Alterius autẽ legis eſſe Chriſtum, qui datus eſt nobis à Deo Patre, ut Dominus,& Magiſter,& Legiſlator, qui eſt Sapientia increata: *In quo abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientię Dei:* qui eſt prima veritas, quę nec falli, neq; fallere poteſt: qui eſt ſuma Sanctitas, & incorrupta Iuſtitia; cuius leges non poſſunt nõ eſſe ſanctiſſimę, juſtiſſimę,& ęquiſſimę,& in ſeipſis juſtificatę: ex quo ſit, ut hoc ſi ſolùm eſſet, nobis omninò ſufficeret, quod opponerẽ omnib⁹ authoritatib⁹, omnib⁹ ratiõib⁹ cõtrariis, omnib⁹ judiciis, omnib⁹ argumẽtis, õnib⁹ legib⁹ cõſuetutinib⁹, præiudiciis, cõvictionib⁹, demonſtrationib⁹ quibuſcunque: cùm Deũ ſic pronunciantẽ audiam⁹ in Evangelio: *Ego autẽ dico vobis, diligite inimicos veſtros:* Nam ſicut in reb⁹ quę nobis ad credendũ proponuntur,& noſtris ſenſib⁹, & experimentis, & rationi,& argumentis,& demonſtrationibus, & placitis Philoſophorum, & omni ſapientiæ humanæ, & carnali prudentiæ, fidem demimus: rebus omnibus in contrarium ſe erigentibus, unicam

unicam Dei authoritatem opponentes, quæ apud nos plus habet ponderis, quàm quidlibet creatum? Ita in morib⁹, & in iis quæ ad actionem pertinent, sola Christi authoritas sic omnibus rebus præponderat, ut si aliquid damnet aut reijciat, nullâ apud nos, aut ratione, aut authoritate, fieri possit non dico certum, & indubitatum, sed vel tantùm probabile. Itaque cùm ex multis locis Evangelij constet vindictam esse prohibitam, & dilectionem inimicorũ esse præceptam, secundùm illud Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos:* Et Mat. 6. *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra:* & Matth. 18. *Sic Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris:* Quidquid in contrarium afferri potest, non dubito illud esse erroneum, detestabile, & abominandũ; nulloque prætextu ultionẽ esse licitam: nullumque salvari posse, qui quamlibet iniuriam non condonet, qui quemlibet inimicũ non diligat: unde Augustinus serm. 5. de Sancto Stephano: Nemo se circumveniat, nemo se seducat, qui vel unum hominem in hoc mundo odio habet, quidquid Deo in operibus bonis obtulerit, totum perdit; quia non mentitur Paulus dicens: *Si dedero corpus meum, ita ut ardeam, nihil mihi prodest.*

Quia tamen ante ipsius rationis tribunal stetimus, ne videamur solâ authoritate agere, licet authoritas divina prima omnium, & suprema ratio sit, Age, videamus quantis rationibus lex ista Christi innitatur, & quàm futilibus, & imbecillis fundamentis lex mundi impia, quæ vindictã vult esse licitam, fulciatur.

Tota Dei gubernatio ad creaturæ bonum ordinata est; quia cùm Deus nullâ re indigeat, secundum illud Pauli ad Athenienses Actorum 17. *Nec manibus humanis colitur, indigens aliquo,* omni creaturã carere potuit; sed quia infinitè bonus est, nõn passus est, se unum bonũ omne possidere, sed creaturam & entis & innumerorum bonorum voluit esse participem: hinc factum ut omnem suam gubernationem in bonum creaturæ ordinarit. Itaque cùm creaturam rationalem gubernet per legum directionem, eas omnes in bonum eius destinavit. Atque ut de hac una tantùm agã, quâ nobis præcipit inimicorum dilectionem, & injuriarum condonationẽ; inter cætera eius beneficia, hoc non minimum agnoscit Isidorus Pelusiota libro 3. epist. 234: ad Dioscorum, quod prohibiti sumus injuriam reponere: & licet (inquit) hoc mirum, atque ab hominum opinione remotum videatur, maximum tamen est beneficij genus *evergesias eídos mégiston tulkánei.* Atque inter cæteras causas, hæc non minima esse videtur.

Primò, quòd longè facilius sit, suavius, atque iucundius ignoscere, quàm vlcisci. Non ignoro atque dissimulo fuisse aliquos qui dicerent nihil esse ultione suavius, atque jucundius; ideòque dictum esse communiter de ira, quæ nihil aliud est quàm amor vindictæ, dicit Aristoteles 2. Ethicorum capite 2. eam defluente melle dulciorem in virorũ pectoribus gliscere: cuius rei hanc ipse ex suo sensu affert rationem.

Iram ſequitur voluptas propter ſpem ultionis: jucundum enim eſt, ſi quis putat ſe ea conſecucurum quæ expetit: nemo enim quæ ſibi videntur impoſſibilia expetit, quare iratus poſſibilia ſibi expetit, & hinc voluptas iram conſequitur, & quonim in ulciſcendi cogitatione immoratur, quæ imaginatio voluptatem efficit ſimilem ei quæ in ſomniis accidit. Sed ſi rem exactè examinemus, inveniemus innumera mala pati eum qui iniuriam referre conatur, uti rectè explicat Iſidorus Peluſiota libro 2. epiſt. 67.

Primò quidem in ipſo ſenſu injuriç, & commotione quam patitur: Imprimis enim (ait Iſidorus) ebullit in eo affectus, (aptiſſimo verbo uſus eſt) uti uti videmus initio tempeſtatis pontum effervеſcere; deinde ad vindictæ cupiditatem extimulatur, quod non fit ſine ſenſu & dolore 3. Infinitos fluctus excitat variorum ſenſuum, qui etiam apparent in exterioribus, in oculis præſertim & toto vultu, in brachiis, in pedibus, & toto corpore; neque enim paſſio in nobis excitatur ſine aliqua corporis immutatione: nulla autem paſſio graviorem efficit, quàm iracundia, quæ eſt excandeſcentia, & ebullitio ſanguinis circa cor, unde ſpiritus vehementiſſimè inflammantur, & ſic inflammati, per omnia corporis membra variè diſcurrunt 4. Mille cogitationum vias Ingreditur, dum varia ſibi repreſentat. 5. Metus ſubit, ac tremor, animique angor, qui rationem ſubdit, iracundiâ nimirum, cum interrumpente, hoc eſt diſcerpente, ac metu concutiente, dum illud ſecum cogitat, quoniam pacto quod cupit, aſſequatur, acceptamque injuriam vindicet: & rectè ſubijcit Iſidorus. An non videtur tibi eiuſmodi homo, ante eum qui pœnas daturus eſt, ipſe pœnas dare? Atqui patientiam adhibet, & ignoſcit, ab his omnibus exemptus eſt: totius enim negotij dominus eſt, & ipſe totum abſolvit, & quidem uno actu, videlicet patientiâ.

Secundò: Non levia patitur ab odij amaritudine, quòd eum qui illo flagrat nunquam ſinit quieſcere: nam (ut ait Sanctus Chryſoſtomus homil. de ſimultate) qui vindictam adornat, ſeipſum tormento afficit, iram ſibi uti carnificem apponens, ſua ipſius viſcera dilanians. Et ſicut furioſi nullâ tranquillitate fruuntur, ita qui ſimultatem gerit, & habet inimicum, nullâ unquam pace fruitur: perpetuò æſtuans, tempeſtatem cogitationum in dies aggravans: vide enim quid agat; omnnia inimici ſui verba & facta ſecum reputat; ac ne nomen quidem ferre poteſt: ſi illum audiat tantummodo nominari, continuò efferatur: magno cum animi cruciatu: ad ſolum illius conſpectum trepidat, & horret, tanquam ſi ultima pateretur: quod ē quid ad illum pertinens, ut veſtem, vel donum, vel angiportum videat, omnium iſtorum intuitu torquetur: ut enim amicorum veſtes, vultus, calceamenta, domus, vel angiportus, mox ut viſa fuerunt, excitare nos, & commovere ſolent: ita quoque inimicorum, & odioſorum ſervus, amicus, domus, angiportus, in conſpectum datus, aut quodcunque illius monumentum, animum verberat, & alias

ſuper

ſuper alias,ut viſum fuerit, plagas incutit. Itaque ſi vel gehenna deeſſet, quę odio laborantibus certa eſt, tamen vel ob odij ipſius cruciatum condonanda eſſent peccata: cùm autem æterna ſupplicia eos maneant, quid ſtultius eſt, quàm hîc & illic ſemetipſum mutilare, dùm de altero ſe credit ultionem ſumere? ſi enim florentem illum videat, mœrore perit: ſi afflictum cernat, veretur ne in melius fortuna ſe convertat, undiq; ſibi ſupplicium adſciſcens: cùm è contrario ut ait ibidem, nihil facilius ſit, quàm homini qui te læſerit, iram remittere: non enim longis ad id peregrinationibus opus eſt; non pecuniarum inſumptu, non aliorum exorationibus; ſufficit ut tantùm velis, ac jam virtus illa ſuum opus explevit: quibus verbis mira veniæ facilitas indicatur.

Tertiò: Quātæ difficultates in adornatione vindictæ; nam ut ait Iſidorus eo loco, vindicare ſe volenti, & temporis commoditate opus eſt, & loco, & fraude, & verſutâ improbitate, & armis, & machinis, & adulatione ſermonis, & hypocriſi: alter autem qui ignoſcit, per ſe totum abſolvit: & ut modò dixit Chryſoſt. ſufficit ut tantùm velis, & jam virtus illa ſuum opus explevit. Itaque rectè idem homiliâ 41. in Acta Apoſtolorum: Ipſos ulciſcendi avidos perdit ultionum meditatio, ut futura præteruam: nam quantem putas tormentum eſſe hominis afflictæ animæ, quotidie cogitare ut ulciſcatur inimicum: neceſſarium enim eſt apud te flagrare ignem, & incendium in te augeſcere, dum cogitas quod malum inferes, &c. Quid hac inſaniâ moleſtius, ſemper contriſtari, & inflari, & ardere: tales enim ſūt animæ eorum, qui ultionem meditantur, &c. Quare beſtiam in viſcera tua includis? melius eſſet viperam vel ſerpentem in corde tuo poſitam eſſe, quā iram vel invidiam: nam illæ quidem ſtatim excuterentur; hæc autem manet ſemper, dentes fortiter infigens, immiſſoque veneno, peſſimarum cogitationum exercitus producit.

Quartò: Sed præcipuè patitur in ipſa vindicta, & nocumenti illatione: etenim tàm is qui facit, quam qui refert injuriam, ſeipſum & prius, & graviùs lædit, quam eum quem lædit. Audi quemadmodum id explicet Hierax in opere de juſtitia. Id quod injuriam facit, & molitur inſidias, eſt malitia, quæ ab authore incipiens, in illum qui afficitur, redundat; ſed ipſum authorem magis afficit, minus autem qui injuriā accipit: ab authore enim principium fit motus & excitatio: intùs verò concitata ſemel injuria, parturientem primum incendit, & antequam pepererit, inflammat parturigine, tranſienſque lædit, & veneno pertinaci inficit; ut ignis antequā ad alia ſe convertat, ipſam materiam in qua conceptus eſt, abſumit: ita qui injuriam alteri infert, malitiam ſuam primus experitur, antequam in alios emittat: idem docuit Attalus apud Senecam epiſtolâ 81. Minimum ex nequitia, leviſſimumque ad alios redundat: quod peſſimum ex illa eſt, & ut ita dicam, ſpiſſiſſimū, domi remanet, & premit habentem. Huius effectus rationem affert Sanctus Chryſoſt. homil. in epiſtolam ad Hebræos in morali. Qui nullum eſt malum, quod

quòd se sistat in eo qui patitur;sed eum quoque qui facit,comprehendit:ut invidus quidem videtur alteri insidiari, ipse autem prior fructum accipit peccati,ut qui tabescat, & corrumpatur,& ab omnibus odio habeatur : Avarus alium privat pecuniis ; sed sibi quoque aufert aliorum amorem , & efficit , ut eum omnes maledictis insectentur : Ita iracundus priùs seipsum cruciat, laniat & discerpit;dein illum cui irascitur : & universim loquendo ,qui bonum parit, & malum , jure merito prior ipse fruitur : & quemadmodum aqua vasa implet eorum qui afferunt , & fontem nō minuit ex quo emanat;ita etiam & vitium & virtus,illum unde exit , & delectat , & perdit. Ex quibus omnibus satis constat, quod diximus , inter cætera Dei beneficia non minimum esse, quòd injuriarum condonationis legem nobis dederit:Nam si fingamus contrariam legem à Deo nobis datam esse, nullius ferendæ injurię,sed imperatam nobis esse à Deo ultionem, in quas angustias nos sæpe talis necessitas redigeret?Si enim à potentiori sis offensus, si ab æquali,si à pluribus , quis modus ultionis ? & vide nùm ultio foret aliquando gravior injuriâ ? Denique, uti præclarè notat Isidorus Pelusiota loco cit.inimicitiæ redderentur infinitæ, dū injuria ultionem attraheret , ultio non esset sine nova injuria , cui altera ultio succederet; quæ cum esse non possit sine injuria , aliam deposceret ultionem, çuius vicissitudinis nullus unquam finis existeret;cùm is qui utitur patientiâ, inimicitiam statim extinguat , sævum hominem mitigando , & ad amicitiam arte mirabili alliciendo:ubi autem amicitia est , nulla remanet inimicitia.Rationem affert Tertul. l. de pat. c. 18. quam supra retulimus : Omnis injuria cùm patientiam offenderit, eodem exitu dispungitur , quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum , & obtusum , concidit enim ibidem irritâ operâ , & infructuosâ , & nonnunquam repercussum in eum qui emisit,reciproco impetu sæviet:Ut scias plus lædi qui offendit,quàm qui patitur,immò qui patienter fert injuriam nihil patitur , sed qui facit injuriam : quod autem dicitur de faciente injuriam , idem dicendum est de referente: unde sequitur eum qui patienter tulit injuriam,nec reposuit,nec à se , nec ab alio pati , ut scias quod diximus facilius esse , atque jucundius ignoscere quam ulcisci.

Secunda causa cur inter Dei beneficia magnum sit quod legem nobis dederit de non vindicanda injuria , hæc est;quia plus peccat qui non parcit,quā qui primus offēdit:est autē sum̄um beneficiū à peccato liberari , & eo majus beneficiū,quod à majori liberemur : ut hæc veritas melius intelligatur:

Certum est 1. maius esse malum injuriam inferre , quàm pati : rationem dat Synesius epist. 67. quia inferre injuriam proprium est malum;pati autem est alienum:deinde , quia licet pati injuriam malum sit pœnæ , tamen culpâ vacat , atque adeò non est probrosum: ad injuriam inferre probrosum est;quia intervenit culpa. Denique sicut honor magis est in honorante,quàm in honorato,ita injuriæ irrogatio.

Certum

Certum est 2.quód is peccat qui infert injuriam, si ille etiam peccet qui reponit eam. Id latè probat Socrates apud platonem in Critone, & pro fundamento suæ doctrinæ id jacit, nulli omnino inferendam injuriam, quidquid tandẽ dicat vulgus, id enim contra justitiam est:quod annuente Critone,subinfert Socrates; neque igitur etiam licet & cui est facta injuria,vicissim rependere injuriam, quemadmodum vulgus existimat,quandoquidem nullo modo fas est injuriam facere: mox adducto eodem,ut fateatur nulli damnum esse inferendum,addit,læsum, cùm injuriam refert, damnum referre; unde concludit iniquam esse talem injuriæ repositionem: non igitur rependenda est injuria, neque damnum cuiquam mortalium inferendum est, quidquid tandem passi fuerimus ab alio incommodi. Eodem modo procedit libro 1. de Repub.ubi Socrates agens cum Polemarcho,destruit falsam vulgi doctrinam, quasi liceret de inimico ulcisci: si quis justum esse dixerit debita cuique tribuere; hoc autem intellexerit deberi inimicis damnum à iusto viro; amicis verò utilitatem,non ita prudenter dixerit: nusquam enim justum est visum violare quemquam: itaque negat dictum illud, justum esse amicos juvare, & inimicos violare,esse alicuius sapientis,ut Biantis, Pittaci, & similium, sed esse vocem tyranorum, ut Periandri,Perdiccæ, vel Ismeniæ Thebani, aut alicuius potentiam affectantis: itaque Alcimus cap.23. concludit ex Socratis doctrina: tantum malùm injuria est,ut ferenda potiùs sit, quam inferenda: hoc enim perversi est; illud infirmi. Id optime explicat Maximus Tyrius serm.2.de non referenda injuria. Si simpliciter (inquit) injuriam inferre improbum est: etiam referre injuriam improbum est; nam si improbior est qui infert injuriam eo quod incipit, certè improbitate ei æquatur qui hoc ipsum reddit: & si is, qui injuriam facit malè facit, qui malum pro malo compensat, non minus malum facit, quamvis malum ulciscatur:nam uti beneficium qui reddit ei à quo accepit priùs,nihilominùs benè facit, quamvis acceperit priùs: ita qui remuneratur malum, non minus malum facit, quamvis priùs malè acceptus sit.Idem enimilli contingit, ut qui fuligine imputum tractat,eâdem se fuligine inficit. Ita qui congreditur cum improbo,eiusdem malitiæ fit particeps. Itaque constat ex istis æqualiter saltem peccare, qui infert, & qui refert injuriam, cúm Idem faciant,& ut ait Lactant.lib.6.Institut.cap.18.Qui referre injuriam nititur, cum ipsum à quo læsus est gestit imitari. Adde Tertullianum lib.de pat. cap.10. Quid refert inter provocantẽ, & provocatum, nisi quòd ille prior in maleficio deprehenditur;at ille postremó? tamen uterque læsi hominis Domino reus est, qui omnem nequam, & prohibet,& damnat:nullo in maleficio ordinis ratio est: nec locus secernit, quòd similitudo cõiungit: absolutè itaque præcipitur, malum malo non rependendum: par factum,par habet meritum. Neque enim valet frigida quorundam excusatio, quòd qui prior læsit, nos provocavit; nam ut benẽ

dixit Basilius comment. 17. de Ira: Non differt hæc excusatio ab ea quâ scortatur uteretur, suam omnem culpam transferēs in meritricē, quod ab illa ad peccandum fuisset illectus, quasi verò non ideò æqualiter condemnetur. Mala res est injuria? hanc tu ne imiteris; neque enim quòd te aliquis prior lacessiverit, ideò judicij severitatē hac excusatione deprecaberis.

Sed parùm est quòd dixerim utrumque peccasse, & qui fecit, & qui retulit injuriam, cùm uterque injuriam fecerit; illud addidi plus peccare qui refert injuriam, quàm qui facit. 1. quidem; quia qui refert injuriam, magis voluntariè peccat, quàm qui infert: nam ut ait Maximus Tyrius serm. 2. Qui infert injuriam ex ignorantia juris, injurius est; unde minus agit liberè, nam ignorantia minuit libertatem: qui autem reponit injuriam, melius novit quid illa sit, quoniam illam expertus est, & peccat post exemplum: unde Basil. com. 17. de ira: Tu hominem irâ percitum adeò indecorè se gerentem intuens, non caves, ne illi similis fieres, sed indignaris, acerbiùs obiurgas, obluctaris, &c. Certè si ira malum est, cur malum illud non declinasti? sin veniâ digna est, quid irascenti succenses? itaque te alterius exemplum instruere debuit, non provocare: cùm igitur illator iniuriæ non habeat exemplum instruere debuit, non provocare: cùm igitur illator injuriæ non habeat exemplū, tu verò habeas, plus peccasti.

Secundò, quia qui infert injuriam, id alicuius gratiâ facere solet, ut vel bonum aliquod assequatur, aut illud alteri eripiat: at qui ulciscitur, cùm solam vindictā appetat, nullā aliā habet suæ actionis causā, quā alterius malū, quod habet & pro fine, & pro motivo, unde altero est deterior.

Tertiò, quia qui ulciscitur plures leges infringit, quàm qui primus offendit; nā qui ulciscitur, præterquam easdem leges infringit, quas illator injuriæ; idem enim facit quod alter, cuius est imitator; etiam peccat contra eam quæ prohibet vindictam, & quæ jubet ut inimicus diligatur: Roman. 12. *Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus*: Et Matth. 5. *Diligite inimicos*, &c.

Quartò, quia in vindicta semper est certamen quoddam; nam ut ait Basil. orat. 17. de ira, uter malis vincat, contentio exoritur, in quo vitiorum certamine, qui superiôr evadit, is est procul dubio miserior: cùm itaque is qui ulciscitur, vincere studeat, certè ita fit, ut fere sēper sit deterior; in eiusmodi enim certaminibus improbis, ait Basil. loc. cit. miserior ille est, cui vicisse contigit, quoniam plus secum peccati reportat. Et hinc origo omnium malorum: hinc etiam nata omnia bella inter nationes, uti probat exemplo Græcorum Maximus Tyrius serm. 2. prætextum injurię existimantes, prævenientem injuriam: unde factum sæpe ut unam capientes urbem, multas everterent: ut enim (inquit) qui divitias quærunt, ac mari se committūt, maximo interdū fœnore pecuniam sumunt: sic etiam qui irę indulgent, maximis se calamitatū usuris in volvūt. Vide enim quid vindictę studiū

sequatur

ſequatur apud Lactantium 6. Inſtitut. cap. 18. Nam inde certamina inter homines, inde pugnæ, contentioneſque naſcuntur, niſi quod improbitati oppoſita impatientia, magnas ſæpè concitat tempeſtates: quòd ſi patientiam, quâ virtute nihil verius, nihil homine dignius inveniri poteſt, improbitati oppoſueris, extinguetur protinùs, tanquam ſi igni aquam ſuperfuderis; ſin autem provocatrix illa improbitas, impatientiam ſibi comparem nacta eſt, tanquam perfuſa oleo, tantum excitabit ignem, ut id non flumen aliquod, ſed effuſio cruoris extinguat: unde patet qui vindicat ſẽper addere ad injuriã.

Quintò, quia ſi malum eſt injuriam inferre, quod nemo negat; certè ille deterior eſt, qui maiorem infert injuriam; atqui uti oſtendimus, ita ferè fit, ut plus noceat qui refert injuriam, quàm qui facit: unde licet putet ſe jure facere quod reponat injuriam, quaſi idem reſtituat, in eo tamen manifeſta injuria eſt, quòd reponat majorem: non jam, uti lex præcipiebat, *dentem pro dente, oculum pro oculo:* ſed ut notat Baſil. conc. 17. de ira: Sæpius injuriam non æquâ lance rependimus, ſed eam præter modum ulciſcimur: Neque tantùm iraſcimur, ſi contumelias accipimus, ſed etiam ſi non honoramur: eos quoque qui nos minùs honorant, quam nos dignos putamus, pro inimicis habemus: In univerſum itaque id obſervandum eſt quod docet Iſidorus Peluſ. l. 3. Epiſt. 327. ut qui modum in ulciſcendo excedit, cenſeatur injuriam inferre: nam cùm quiſpiam majores delictis cruciatus infert, rurſum injuriæ auſpex eſt; itaque uti ſuperat pœnâ, ita ſuperat injuriâ, ſi ſuperat injuriâ, ſuperat crimine.

Sextò, quia qui ulciſcitur, injurias facit æternas, & inimicitias perennat: nam ut ait Maximus Tyrius ſerm. 2. Quis erit unquam injuriæ finis, ſi qui injuriam eſt paſſus, ultionem nequaquã remittit, profectò neceſſarium erit malum continuè ab alio ad alium transferri, ac tranſilire, injuriamque novam veterẽ ſemper injuriam excipere: quoniam quo jure permittis ei qui injuriâ affectus eſt, ut injuriam authori injuriæ reddat, eodẽ reddit iterum ad eundem vindicta: eadem enim juris in utroque ratio eſt, & idem agendi eadem æquitas eſt: vide igitur quid facias, qui jus conſtituis ex injuriis: quouſque ſe diffundet hoc malum? ubi deficiet? Non vides quod facias, perennis improbitatis fontem moves, legemque fers quã primam malorum cauſam univerſus orbis agnoſcat, & experiatur.

Septimò, quia vindicta peculiarem habet cum peccatorum condonatione oppoſitionem: nam alia facilè condonantur, iſtud autem non codonatur, oportet ergo ut peculiarem in ſe contineat malitiam. Id probat S. Chryſoſt. hom. 1. de diverſis novi Teſtamenti, cùm exponit parabolam de decem millium talentorum debitore, quâ ſignificatur Deum facilè remittere innumerorum peccatorum multitudinem, quæ deſignantur per decem mille talenta: *Omne debitum remiſi tibi quia rogaſti me:* ſed non vindictam & negationem condonationis; etenim eum qui ſic ſe geſſerat, & duriùs objurgavit, eum ſceleſtum appellans: *Serve nequam, omne debitum*

remisi tibi, & duriùs tractavit; nam cum tortoribus tradidit, quòd initio non fecerat: immo priorem revocavit misericordiam, & veniam datam retractavit, ut intelligeret sub illa conditione ei datam esse veniam, ut idem conservo faceret; quod cùm non fecisset, veniam datam Dominus retractavit: unde subdit Chrys. Quid est igitur peius injuriæ recordatione, cùm benignitatem Dei jam depromptam revocet, & quæ non potuerunt efficere alia peccata, hæc efficiat ira erga proximum: Quamobrem non erraverit quis (pergit idem S.) si hoc peccatum gravius omni peccato pronunciet: alia omnia veniam impetrare potuerunt; illud solùm adeò non potuit veniam adipisci, ut jam deleta, & jam extincta iterùm refricarit: duplex igitur malum: pertinax injuriæ memoria, & quod nullam excusationem apud Deum prætendere potest, & quod reliqua peccata jam remissa iterùm revòcet, & contra nos constituat: quod hîc factum est; nihil enim omninò ita Deus odit, & aversatur ut hominem offensarum memorem, & tenacis iræ: quocirca audacter dixero omni peccato istud gravius esse: quin immò nec hoc dico, sed Christus per parabolam istam illud ostendit: si enim decem millibus talentorum, hoc est ineffabilibus peccatis, istud gravius esset, nequaquam huius causâ, illa omnia iam donata, revocata fuissent, &c. Nec meus est sermo iste, sed illius qui nos judicaturus est, Dei: ex quibus omnibus patet quod à me dictum fuerat, plus peccare qui injuriam ulciscitur, quàm qui infert. Hinc vide quàm malè adversarius ad justitiam retulerit injuriæ vindicationẽ, cùm ipsa nihil sit aliud quã maioris injuriç irrogatio, quàm plurimũ legum violatio, quàm maioris criminis admissio, quàm inimicitiarũ perpetuitas & perennitas, quàm injuriarũ accumulatio.

At oportet finem imponere injuriis, quòd nullũ ratione meliùs fiet, quàm si nulla impunè à quoquam feratur injuria, sed per vindictam alterâ injuriâ vindicetur: hinc enim unusquisque timebit alium offendere, si sciat se vindictam, & injuriæ repositionem expectare debere. At vide præposterum agendi modum, siquidem vindicatio æternas facit inimicitias, dum injuria injuriam excipit; nam si propterea alicui conceditur injuriam reponere, quia injuriam passus est, certè in eundem etiam revertitur ultio, quia aliam injuriam fecit; & sic deinceps ab altero in alterum fiet. At, inquies, injuriam non fecit qui primam injuriã ultus est, quia jus habuit ultionis, & tantumdem reposuit. Sed 1. ostendimus vix fieri posse, ut in vindicta ita modus servetur, ut non excedatur: itaque ut non nova fiat injuria, cuius si ultio etiã licita sit, jã ab alio etiã vindicãda erit, & fiet ultionũ mira multiplicatio. 2. Neq; offenso licet privatâ authoritate offendentẽ ulcisci: itaq; si faciat, iniustè faciet, & injuriã faciet, cũ sese ulciscendi ius habeat nullum; nam qui prior læsit, ius habet, ne is quem læsit, de illata sibi injuria sumat ultionem, cùm possit injuriæ illatæ compensationem exigere, implorato Magistratus auxilio cuius partes, si usurpat, qui læsus est, & authoritate

suâ

suâ injuriam reponat, injustè agit, non modò contra Iudicem, cuius potentiā sibi arrogat, sed etiam contra eum qui prior læsit: licet enim alter inæqualitatem induxeris cum iure alieno, tamē retinet jus, ne in æqualitatis inductæ reparatio, ab ullo alio inferatur, quàm ab eò, qui ad hoc munus delectus est, hoc est à Magistratu: qui si sileat, & injustè deneget ultionem, tolerandum est patienter, donec veniat Iudex omniū, qui *arguat pro mansuetis terræ*. Neque valet exemplum quod affertur, de occulta resumptione rei suæ ab injusto detentore per compensationem, cùm aliæ viæ suas res recuperandi intercludun-tur: quia nuda injuria nullam facit inæqualitatem in rebus alienis, ac proinde nihil ad læsum attinens evertat in rebus offendentis vel formaliter, vel virtualiter, ut liceat absque injustitia sibi assumere in locum rei propriæ: unde patet ultionem fieri non posse absque injustitia, & maiore etiam, uti ostendimus, quàm fuerit prima læsio, ita ut peior sit qui refert injuriam, qnàm qui primus facit.

Hinc collige quàm verè dictum sit à Sapiente, Ecclesiast. 28. *Qui vindicari vult, inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit*: quia nimirùm eodem modo se erga te geret Deus, quo tu erga proximum, secundùm illud Matth. 7. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*: vindicari voluisti, vindictam invenies: alterius offensas mente retinuisti, Deus *peccata tua servans servabit*: jam utrūque inter se confer, & tuā vindictā, & Dei vindictā, quid potes quid Deus potest: quò tua vindicta pertingere potest, quò Dei vindicta: tu aliena peccata servas, quia memoriā eorūm retines, & Deus *servans servabit tua*, sed quo usque? etiā post interitū, etiam in æternitatem: *sic pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis invicem peccata vestra de cordibus vestris*: Pergit Sapiens loc. cit. Ecclesiast. 28. *Ipse cum caro sit reservat iram, & propitiationem petit à Deo: quis exorabit pro delictis illius?* In qnibus verbis significat injurias in hominem admissas non posse esse magnas. *Ipse cùm caro sit, reservat iram*: & cùm hoc faciat, rem indignam subijcit, *& propitiationem petit à Deo*: quomodò enim veniam petere potest suorū dilictorū, qui non parcit in se admissa: sed si nō petat, alius pro illo petet: vide quid subijciat. *Quis exorabit pro delictis illius?* adeò nempe alienus est ab omni venia, ut nihil neque per se, nec per alium, sperare possit: quia oppositionē habet cum donatione veniæ, quod ipse non ignoscat: nam deneganti veniam omnis venia negatur: sed nimirum id provenit quia nemo de sua morte cogitat: unde pergit Sapiens. *Memento novissimorum, & desine inimicari*: Nam qui mortem suam, & ultimum judicium, ob oculos habet, non valde cogitat de ultione, sed magis de petenda venia, quam intelligit non esse sibi expectandam nisi ipse prius ignoscat, cum à Deo nunquam venia detur nisi sub hac cōditione: *Tabitudo enī & mors imminent*, hoc est brevi morieris, & putrefies in sepulchro: talis itaque futurus, quid vindictam cogitas? *In mandatis eius*, supple, permane: *Memorare timorem Dei, &*

non irascaris proximo: Certè defectus timoris Divini in causâ est cur potius immoremur in ijs quæ alij contra nos moliuntur, quam in ijs quæ contra legem Deí audemus: at si iram Dei, si eius judicium, si eius iracundiam, si supplicia æterna cogites, non cogitabis de vindicandâ injuriâ, sed de venia impetrandâ, quam sequitur beatitudo ad quã nos perducat Jesus Christus, qui cũ Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.



FERIA SEXTA CINERUM,

CONCIO QVINTA

DE DILECTIONE INIMICORUM.

Continuatur defensio Legis Christi circa injuriarum condonationem, quæ probatur esse omnium optima vindicta exemplo Davidis.

Diligite inimicos vestros. Matth. 5.

QUÆ hactenus dicta sunt in defensionem legis Christi, quæ nobis vindictam prohibet, sufficere possent homini cordato: Sed appetitus vindictæ tam altas in hominum pectoriqus jecit radices, ut una manu avelli non possit. Quod enim naturale est, semper recurrit, & cum putas excisum, renascitur, ac difficile est homini persuadere, numquam ulcisci. Propterea sicut quædam vitia ipsis virtutibus cõtra virtutes utuntur, ipsâ vindicta, contra vindictę appetitum utamur, efficiamusque quod ait Psalmista, *irascimini, & nolite peccare*, quod fiet si ipsam condonationem ostendamus esse optimã omnium vindictam: & vindictam obtineamus condonando. Quod ut nemo assequi potest, nisi per gratiam, neque ego possum dicere, nec vos ut oportet potestis comprehendere sine gratiâ, quam nõ nisi per Mariam sperare possumus, cùm ipsa sit & auctrix, & mater gratiæ. *Ave Maria.*

MAGNA Dei bonitas est, & mirifica ad rationes nostras accommodatio, qnod cum nobis mandatum aliquod indicit, ubi nostra natura multùm laboris & difficultatis haberet, facile illud

illud nobis præstat quantum fieri potest, nobis id solùm prohibens quod omnino noxium est, & nobis permittens quod aliquo modo est tolerabile, ac sæpe numerò nil nisi objectum mutans, minimè se opponendo propensioni nostræ, sed eam abducendo & applicando ad quidpiam melius. Ita cùm nobis humilitatem præcipit, fugamq; honoris, sicut novit appetitum hunc intimum esse in hominum animis, nobis spem objicit eius rei quam cupimus, nobisque honorem pollicetur, honoris contemptu: Matth. 23. *Qui se exaltaverit, humiliabilitur: & qui se humiliaverit exaltabitur.* Vetat nobis studium obeundi actiones nostras in conspectu hominum, eorumque approbationem optandi Matth. 6. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Verùm quia scit aliunde inclinationem quæ nobis naturaliter inest, ut videamur, cùm opus aliquod egregium facimus, nobis hominum theatro gloriosius, aliud proponit, Deumque præbet actionum nostrarum spectatorem. *Et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Obstringere nos poterat, ad serviendum ipsi absque ullâ remuneratione, tantùm potestatis in nos habet jurisque in actiones nostras, tàm supra nos excelsus est, summaque ipsius conditio nos ei subijcit, adeò illi sumus obligati totq; nominibus devincti; uti nihilominus hominem scit penitus studere commodis & rationibus suis, suique ipsius amorem ei esse innatum, nec ab eo unquam deponi, nihil ipsi jubet, quin ad mandati finem, adijciat pollicitationem mercedis. Matth. 5. *Gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et cap. 10. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit justum, in nomine justi, mercedem justi accipiet, & quicunque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Idem planè fit in negotio vindicationis, quam damnationis pœnâ nobis interdixit Matth. 6. *Si non dimiseritis hominibus nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* At cum ultionis sensus, tam altè animis nostris injustus sit, ut reperiatur etiam in infantibus qui adhuc ubera nutricum exugunt; unde adversarius noster voluit aliquid sibi opportunum sumere, dicendo id jure culpari non posse, quod animo natura impressit: id quidem absque dubio tolerandum esset, si proponeretur nobis sensus naturæ in suæ innocentiæ & integritatis statu, minimè autem illius sauciatæ, corruptæque peccato. Verùm abstinens usu huiusce defensionis, cui tamen quod respondeat non habet, hāc hodie propositionem induco, positâ naturali propensione quam ad vindicationem habemus; Eum qui condonat injuriam sibi factam, & bonum pro malo, eius authori rependit, meliùs, ac nobiliori modo se vindicare de inimico, & de eo, qui ipsum offendit, quam eum qui ulciscitur retribuens injuriam pro injuriâ, malumque pro malo.

I. enim quid ultione quæritur, nisi ut adversarius, vel nihil, vel minus noceat: videtur enim ultio, injuriæ propulsatio: ut itaque adversarius nocere vereatur, ultione terretur, quare in hunc

hunc finem à multis adhibetur ne quis illos aggredi, aut illis inferre injuriam audeat: Verùm id melius patientiâ, & condonatione obtinetur, quàm ultione, & repositione injuriæ: qui enim ulciscitur, fatetur se affectum injuriâ, juxta illud Senecæ, ultio, doloris confessio est: non itaque repellit injuriam, sed reponit: at qui patienter fert injuriam, ne ab illâ quidem læsus est: Tertull. lib. de Patientiâ cap. 18. Omnis injuria cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungitur, quo telum aliquod in petrâ constantissimæ duritiæ libratum, & obtusum? concidit enim ibidem irritâ operâ, & infructuosâ. Certè illud apud S. Chrysost. frequens est. Neminem lædi nisi à seipso: quod si verum est, nemo læditur ab alio, quo posito, nulla esse potest vindicta: hæc enim inter se connexa sunt, ut si nemo lædatur ab alio, non sit vindicta: Item si nulla sit vindicta, nullus sit injuriæ sensus, & consequẽter omnis injuria cassa sit, uti dictum est.

2. Quid ultione spectari potest, nisi ut inimicus puniatur? atqui gravius punitur si condones, quàm si ulciscaris: Etenim si vindices, præterquàm quod peccas, & tibi peius facis quam illi, nã tibi facis malum culpæ, illi autem malum pœnæ, quod minus est; non potes insuper illi magis nocere quàm quantum vales, quod semper exiguum est: sed si non ulciscaris, ne timeas impune laturum, quia ut ait Seneca lib. quod in sapientem non cadat injuria cap. 16. non deerit illi aliquando par: invenietur qui te vindicet: & si nullus sit mortalium, qui id præstet, certè relinquitur Deo vindicta, quæ semper maior est, & in quâ non peccas. Chrysostomus, Deus omittit vindictam, quam tu sumis, immò in te iram suam convertet: sed si tu condonaveris, & oraveris, nec tamen conversi fuerint, eos graviter puniet, nec tantam eorum curã aget. In hunc sensũ exponit locum Apostoli Roman. 12. *Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ: scriptum est enim mihi vindictam, & ego retribuam eis*, & subdit. Cui iræ? Dei: quandoquidem enim hoc potissimum qui injuriis affectus est, videre cupit, ut ultione fruatur, hoc ipsum Deus copiosè, & abunde dabit: Nam si teipsum non fueris ultus, Deus erit qui te juvando ulciscetur: permitte itaque ei ut adversarium tuum in jus vocet: hoc enim est, quod dicit, date locum iræ. Non quod vindictam divinam injuriæ tuæ vindicem desiderare possis, sed ut scias non defuturam vindictam, si non ipse sumpseris: Nam aut ipse punire se debet per pœnitentiam, quæ, ut ait Tertullianus Justitiæ munere fungitur, aut à Deo impœnitens propter illatam injuriam punietur. *Sciens*, ut ait Jobus, *quod non parceres delinquenti*: Verum igitur est, meliùs satisfieri vindictæ, condonando, quam ulciscendo.

3. Quid quærit homo ultione nisi ut injuriæ non succumbat? at id non obtinet qui ulciscitur: nam & se injuriâ jam victum esse fateatur necesse est (ultio enim doloris confessio est) & irâ etiam esse superatum: qui autem condonat, mul-

multiplicem refert coronam, & Victoriam, imprimis de irâ, & passione, quam & in seipso vincit, & in alio, deinde de ipsâ injuriâ, denique de adversario, idque multis modis.

Dixi 1. Victoriam referre de irâ, & passione, in se & in alio: Cum duplex sit in nobis appetitus concupiscibilis & irascibilis, iste primo longè vehementior est, & pauci iram domuerunt, nam uti dicitur Proverb. 27. *Impetum concitati ferre quis poterit*, nihil autem sic iram provocat quàm injuria. Itaque qui ignoscit, ira superior est: Nam ut ibid. dicit Salomon, *Ira non habet misericordiam*, qui autem ignoscit, habet misericordiam: sed multum est majorem esse irâ, quam frænare tàm difficile est quàm Leonem domare: Neque tantũ in se sed etiã in alio, quia uti dicitur Proverb. 15. *Responsio mollis frangit iram:* Nempe ut ait Nazianz. ex hoste, facies discipulum.

Dixi 2. de ipsâ injuriâ. Nã, ut ait Seneca lib. 3. de Irâ cap. 5. Vltio, doloris confessio est: non est magnus, enim quẽ incurvat injuria: at qui condonat nec se læsum ostendit illâ, neque victum: Et hæc de præteritâ injuriâ: quin ètiam futuram prævenis, cum è contrario novam advoces ulciscendo. Chrysost. homil. 18. Matth. Nec enim aliquando ignis, igne: sed aquâ, utique ignis extinguitur: & certè id videmus experientiâ: Nam si injuria molliter excipiatur, statim, finitur, si alia injuria reponatur, semper gravior succedit. Nam si contemptus feratur molliter, nihil erit: si alio contemptu, succedit convitium, si convitio excipiatur, succedunt verba, si hæc verberibus, ad homicidium pervenitur.

Dixi 3 de adversario suo, idque multis modis.

1. Ex eo quòd ignoscendo relinquitur inimico integra injuria, & vituperatio culpæ: non partiendo eam cum ipso; contrà verò qui se vindicat, injuriam & vituperatio culpæ: non partiendo eam cum ipso; contra vero qui se vindicat; injuriam & vituperationem cum inimico partitur. Chrysost. homil. 22. in Epistolam ad Rom. Pugnans idem potissimum vincit, non quando suum corpus pugnæ exponit, ut plagas recipiat, sed quando seipsum eruens, efficit ut omnem suam potentiam adversarius in aëra, frustrà, & inaniter effundat? sic enim nec ille plagas excipit, & omnes adversarij vires dissolvit, id quod In convitijs fit: Nam quando vicissim convitia regeris, vinceris, non ab homine, sed quod turpius est ab illibero iræ affectu: si verò tacueris; & vincis, & trophæum figis, & innumeros acquiris, qui te coronent, quìque convitium ipsũ mendacij condemnent: Qui enim contradicit, ut qui convitij morsum senserit, contrà luctari videtur: Et si velis dictorum argumentum capere, ipsum tuum inimicum interroga, quando magis doleat, an quando similiter accensus vicissim cõvitiaris; an cùm convitiantes derides? & postremũ magis audies: Neque enim tantùm juvat, convitijs non impeti, quantùm mordet, quod te ad iram permovere nequiverit: Non vides irâ percitorum ingenium, quomodò sua vulnera obliti, more suum agrestiũ magno impe-

impetu ruaut, ut adversarios vulnerent: quando igitur eum, qui eiusmodi est, eò quòd potissimũ quærit, privas, omni illũ suo proposito spoliasti, & contemptibilem puerum magis, quam virum ostendisti: Eodem modo verberãtem, non reverberes; sed si lethalem plagam vis infligere, offer illi alteram maxlliam, & illum innumeris vulneribus confecisti: facilius enim se lapidari ferret, quàm videre qui patientiam tuam plaudentes admirentur: ante illos conscientia eum sua condemnabit, & maximas ab eo pœnas exiget: & tu apud alios gloriam consequeris: nam & aliàs quidem compassionem habemus erga eos qui malo afficiuntur, sed si ipsos patienter pati viderimus, non tantam miseremur, sed & admiramur: hæc omnia Chrysostomus.

2. Condonando eripis adversario quod maximè optabat, delectationem scilicet captam ex eo quod tibi concitaverit iracundiam, & tristitiam intulerit. Itaque voluptatem illi ademisti, immò etiam miserum reddidisti, vel ex eius confessione. Seneca lib. quod in sapientem non cadit injuria cap. 16. Genus quoddam ultionis est, eripere ei, qui fecit contumeliæ voluptatem: Solent dicere, Miserum me, putò non intellexit: adeò fructus contumeliæ, in sensu, & indignatione patientis est: è contrario, si vindicas, gaudet adversarius, quod doluerit. Seneca lib. 9. de Ira cap. 5. ultio, doloris confessio est: Itaque Tertull. lib. de Patientia cap. 18. Idcircò quis te lædit, ut doleas, quia fructus lædentis in dolore læsi est: ergo cum fructum eius euerteris non dolendo, ipse doleat necesse est, amissione fructus sui: Tunc tu non modò illæsus abis, quod etiam solum tibi sufficit, sed insuper adversarij tui, & frustratione oblectatus, & dolore defensus.

3 Cum inter utrumque, hoc est inter offendentem, & offensũ, sit quædam pugna, certè quædam est timenda, & quædam optanda victoiia: Chrysost. homil. 85. in Matthæum, Non quæramus ubique victoriam, nec semper superarĩ vereamur: est enim quædam victoria, detrimentum: offensio verò, & injuria emolumentum adducit: Etenim in irâ qui alium valde contumeliatus fuerit, superasse videtur cum reverá ipse ab hac turpi perturbatione victus non parùm sibi nocuerit: Qui autem magno animo tulit injuriam, hic profectò, & cum laude superavit: Ille namque nec suam ægritudinem compressit: hic etiam alienam extinxit: & ille suo morbo superatus est, hic etiam alienum curavit: nec solùm ipse inflammatus non est, verùm etiam ingentem alterius flammam extinxit: præclarum itaque tàm sibi, quàm proximo de iracundiâ trophæum constituit. Non igitur utrique victoria quærenda est: qui enim lædit, superare læsum videtur, sed perniciosã sibi victoriã superat: læsus autem si magno animo perfert injuriam, quamquam victus videatur, coronam tamen splendidam adeptus est: sæpe numerò ergo vinci, quam vincere, præstantius est: optimus ille profectò victoriæ modus est: Itaque rectè monet Apostolus Rom. 12. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum?* quasi diceret,

Bonitate

Bonitate tuâ, vince malitiam inimici, ne malitia inimici, vincat bonitatem tuam: Qui enim nō cibat inimicum suum, cum indiget, non solùm malo seipsum afficit, sed etiam majori quam inimicus affecerit: inimicus enim intulit injuriam, quæ est malum pœnæ, at ipse sibi infert malum culpæ, quā longè gravius est: qui igitur se vindicat, vincitur potiùs à malo inimici, vincitur etiā à passione propriâ, ortâ ex malo per inimici malitia illato: ūde rectè Ambros. lib. 1. Officior. cap. 36. dixit, vindicare se, non esse actū fortitudinis, sed abjectionis, & timiditatis: Vide itaque num qui parcit adversariū vincat: Certè vincit, qui adversarium pudore afficit, ille autem est qui pro injuriâ beneficium reponit: Paulus Rom. 12. *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius:* quia nimirum vultū eius ita pudore suffundes, ac si caput eius arderet: Vincit qui immutat, nam frigus odij ipsius solves: Ita hunc locū Apostoli interpretatur Pelusiota lib. 4. Epist. 11. ex aliquorum sententiâ, calefacies principem animæ eius partem, & efficies ut ad sobrietatem redeat: eodem pertinet interpretatio Toleti, coges inimicum dolere de offensâ: Vincit etiam qui adversario arma eripit, nempe iram: Nam, ut ait Sapiens Proverb. 21. *Munus absconditum, extinguit iras, & donum in finis indignationem maximā*, donum vocat in sinu, quod non fit ex jactantiâ, sed ex charitate: Denique vincit qui subijcit adversariū, ille autem sibi subijcit, qui in se commutat, ille autem commutat, qui sibi similem fecit. Itaq; si vindicas, vicit adversarius, quia & te fecit injuriosum: Quod si condones, adversarium vicisti, quia amicum effecisti, & ad frugem reduxisti: S. Ambros. lib. Officiorum cap. 5. Peccator est, qui nos provocat, qui injuriam facit, & nos similes sui fieri desiderat: si taceas, plus rumpitur, victum se se putat, irrisum, post habitum, atque illusum: si respondeas superiorem se factum arbitratur, quia parem invenit: si enim taceas, dicetur, ille convitiatus est huic, contempsit iste: si referas contumeliam, dicetur, ambo convitiati sunt: uterque condemnatur, nemo absolvitur: ergo illius studium est, ut imiter, ut similia illi loquar, ut similia agam: justi autem est dissimulare, nihil loqui, tenere bonæ fructum conscientiæ. Hoc est enim *silere à bonis*, quia bene sibi conscius, falsis non debet moveri, nec æstimare, plùs ponderis in alieno esse convitio, quàm in suo testimonio. Concludendum igitur cum Antonino Imperatore lib. 6. non ulciscendi rationem optimam esse, ne ultor similis fiat eius qui injuriam intulit: quapropter si alter fuerit convitiatus, ne tu ex adverso convitia ingere, nam si viceris plus eris impudens, & ut ait Philo. lib. 6. de Agriculturâ, ne te vinci pudeat, sic enim demùm si vincaris, victor evades, quando in hoc genere victor vincitur: eodem modo, si percusserit, ne repercutias, ne magis injuriosus existas: sed per mansuetudinem alienam iram perdomato: quia ut ait Clemens Alexandrinus. 2 Stromatum, injuriæ oblivionē consequitur vitæ probitas, hanc autē inimicitiarū dissolutio: quib⁹ addit ex Hōero, dādū esse āico, inimico autem

autem ferendum auxilium, ne maneat inimicus: auxilio enim nectitur amicitia, & inimicitiæ dissoluuntur: Immò quæ summa victoria est, qui parcit, eò inimicum redigit, ut cogatur fateri se esse victum, & malè odisse.

Ac ne verbis tantum&oratione vos adoriar, sed ut multis potius adductis rationibus vos convincã, placet hodie vos rebus ipsis & factis ad id adigam, emendicato pernicillo eloquentissimi omnium AntistitumGræcorumSChrysost. cujus erunt ferè omnia quæ deinceps à me dicentur, allato ex primo Reg.libro perillustriDavidis exemplo: cujus cum innumera narrentur certamina&victoriæ,nullum tamen illustrius gessit certamen, nullam nobiliorẽ victoriam reportavit, quam ubi cum Saüle pugnam iniit,&ex illo clarissimã omnium palmam accepit, non armis decertando, sed mansuetudine & patientiâ: Est autem illud exemplũ eò illustrius 1. quod sit inter personas regias: Saülem reipsâ regnantem, & Davidem, à Deo designatum Regem, & sacro unctum oleo: 2. quod qui in hoc theatro præcipuam agit personam, testimonioDei sit comprobatus: *Inveni David filiumIesse,virum secundum cor meũ:* nam quem Deus laudavit, quis contemnet? ut enim ait ille Sanctus homil. 1. de Davide, & Saüle. Illius calculus incorruptus est: nam Deus nec ad gratiam, nec per odium iudicat, sed pro merâ animi virtute iudicium fert: 3. quod eius sit hominis, qui sub veteri lege educatus est: Nam quod aliquis in Christianâ lege educatus,inimicis suis, in totum condonet, neque iniuriam repellat injuriâ, nihil mirum est: videlicet post Christi mortem obitam pro inimicis: posteaquàm ille nobis omnia peccata tàm clementer remisit: post hujus rei præcepta data tàm multa in Evangelio: post orationemDominicã: post parabolam decem millium talentorum: Sed in veteri Testamento vbi licuit malum pro malo reddere, oculũ pro oculo, dentem pro dente exigere, & lege Talionis uti in se ulciscendo; si quis præcepta transilierit, & ad Apostolicam Philosophiam pervenerit, omni laude dignus censendus est, & qui imitari noluerit, is omni veniâ,& excusationẽ indignus habendus est.

Sed ut pleniùs Davidis virtutem cognoscatis,concedite mihi ut rem altiùs repetam, eiusque beneficio commẽorẽ quæ beatus ille vir in Saülem contulit: nam non ulcisci eum qui simpliciter fuerit inimícus, multi fortasse fecerint: sed hominem multis & gravibus beneficijs affectum, & mala pro bonis reddentem, &sæpiùs benefactorem suum, interficere conatum, postquàm in potestatem inciderit ut interfici posset, liberum dimittere, neque hoc tantùm sed ex aliorum manibus eripere, si præsertim sciatur, eum ita dimissum, eadẽ in suum benefactorem moliturũ; hoc verò tantum est, ut nihil ad summam virtutem adjici possit. Quibus autem beneficijs DavidSaülem affecerit, quãdo, & quo pacto, paucis enarrantem me sustinete. Cum aliquando Iudæi bello difficillimo premerentur, & tota belli alea in duello proposito verteretur, cùm omnes essent pavore consternati,nec quisquã caput erigeret,sed

in

in extremâ desperatione esset exercitus, & de turpissimâ totius gentis servitute ageretur, hic ab ovium curâ veniens exercitum, cum per ætatem bellandi artem callere non posset, & laborum militarium rudis adhuc esset; ipse pro universis bellum in se suscepit ac feliciter rem gessit suprá quàm quisquã sperare potuisset: occiso totius inimicæ gentis fortissimo: Certè si virtuti eventus defuisset, tamen ob solam animi promptitudinem coronandus fuerat, præsertim cùm omnia ab eo facinore suscipiendo removerent, ætas, bellicæ artis ignoratio, fratres increpantes, Rex ipse, cùm diceret. *Non poteris ire, quia puer es, ille autem vir est bellator ab adolescentiâ suâ*: sed nihil horum moratus in medios hostes irruit, & se aperto mortis periculo exposuit & adeptus de hoste victoriam. Regi non tantùm regnum restituit, sed vitam etiam, & libertatem dedit, neque illi tantùm, sed etiam tòti exercitui atque genti universæ: quod præclarè factum nullâ unquã satis amplâ mercede agnosci potuit: nõ si ipse Rex detractam sibi coronã Davidis capiti imposuisset: hic enim & vitam, & libertatẽ, & regnum illi donavit: Ille verò huic tantùm cessurus esset regnum. Verùm consideremus qualem pro benefactis gratiam retulerit. Imprimis quidem docet Scriptura Saülem Davidi invidisse: deinde Davidem Saüli cœpisse esse suspectum, & cœpisse cavere eũ, quia nempe cœpit eum habere pro hoste: utriusque rei, vide occasionem, & causam: ac primùm de invidia: post fugatos, & profligatos hostes, & reportatã victoriam, victor exercitus, & onustus spoliis, magnâ pompâ redibat Ierusalem, ac Saül quidem referens opima spolia, David autem caput Goliath, sui trumphi materiam: Ex more gentis obviã ubiq; ex singulis oppidis prodierunt Virgines canẽtes ac psallẽtes: erat autem illud canticum, *percussit Saül mille, & David decem millia*: hæc cantilena fuit omnis odij seges, & origo. Audi Scripturam lib. 5. Reg. cap. 18. *Iratus est autem Saül nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste, dixitque: dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid superest ei, nisi solum regnum: non rectis ergo oculis Saül aspiciebat David, à die illà, & deinceps*: Certè etiamsi hæc præter meritũ fuissent dicta, nec sic quidem in Davidẽ oportebat irasci, sed quid egisset, potius attendere, quomodo se ultrò mortis periculo objecisset, quomodò fractum Saülis animum erexisset, quomodò õnem populum periculo liberasset, non autem innocẽnti invidere: Nunc autẽ cum ipsa laus daretur pro merito, & si verè iudicare voluerimus, inveniemus illa potius in gratiam Saülis dicta fuisse quàm Davidis. An non satis erat Saüli dedisse mille, licet Davidi decem millia dedissent? Nam quid Saul ad hoc certamen, & ad victoriam contulerat, nisi pavorem, & desperationem? David autem solus totum prælium confecit, solus certavit, solus vicit: & si alicui licuisset indignari, nonne potius hoc Davidem decuisset, qui cùm solus rem gessisset, haberet tamen alium suæ laudis participem. Sed demus peccasse mulieres in illo epinicio, quid peccavit David, qui nec cantilenam composuerat, neque suaserat? certè non

non adversus eum fuit indignandnm, sed adversùs mulieres: Verùm Saul nihil contra illas, sed contra Davidem indignatus est: Iam si ex tantâ laude elatus David, aut Regi invidisset, aut in eum fuisset contumax, ac insolentior: aut si res novas in regno fuisset molitus, excusationẽ habuisset indignatio: Sed si inde factus est modestior atque humanior, si in subditorum ordine remansit; nonne plus diligendus fuit, qui talem nactus occasionẽ sese efferendi, in sua modestiâ permansit?

Et non tantùm primo illo successu elatus non est, sed nec posterioribus, qui priores superarunt: Nam licet de eo dicatur *quod esset prudens in omnibus viis suis:* Item quod *Deus esset cum illo:* & *quod universus Israël, & Iuda eum diligeret:* quod *ingrediretur, & egrederetur ante conspectum populi,* hoc est quod omnes gubernaret, & rerum omnium esset potens: quod in bello semper prosperâ uteretur fortunâ: quod eum Ionathas Saülis filius diligeret ut animam suam, quòd Michol eius filia, eum amaret: quòd universa familia Saül ei faveret, quod ei faveret universus exercitus, & quòd omni populo Israël gratus esset; cum his omnibus bonis sua ob præclarè gesta potiretur: non tamen animum erexit, nec hostem suum ultus est, sed in benefaciendo, & obsequijs Regem præveniendo, & in eius prælijs feliciter gerendis perseveravit.

Quis non sperasset, quod hæc omnia Sauli persuaderent, ut omnem invidiã, & omne odium deponeret, cum David omnia non sibi, sed Sauli præstaret: quòd contra evenit, nam hæc omnia majorem invidiã concitarunt, eo usque ut Saul diceret, suos omnes contra ipsum conspirasse in favorem Davidis: *quoniam conjurastis omnes adversum me.*

Iam cur eum suspectum habuerit, & eum caverit, hæc causa fuit, quod uti loquitur Scriptura cap. 18. *In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat, & Dominus erat cum eo: vidit itaque David quod prudens esset nimis, & cœpit cavere eũ:* Cum enim varijs periculis, & in bello, & extra bellũ eum objecisset, feliciter ab omnibus se extraxit, & prudentiâ usus, & fortitudine, & felicitate. Hinc crevit Saülis odium, eò usque ut servatorem suum perdere decreverit, quod multis modis præstare conatus est, primòt per seipsũ: deinde per servos, & suos domesticos, tertiu per hostes, denique prætextu conjugij, & affinitatis, eum conjiciensdo in retia. Per seipsũ quidẽ, nam sæpius Davidem citharâ psallentẽ, sibìque medentem, inter media beneficia, lanceâ perfodere conatus est; Deo innocentem servaente: Per servos & domesticos, ut patet ex 1. Reg. cap. 19. *Locutus est autem Saül ad Ionathan, & ad omnes servos suos, ut occiderent David:* Per hostes suos, dum illum mille hominibꝫ præfecit, & quotidie ad belli aleam objecit: *porrò Saül cogitabat tradere David in manus Philistiorum:* ideòque in spem conjugij filiarum suarum, pro dote petijt ab eo centum Philistinorum præputia, ratus non posse fieri quin quotidianis periculis non periret. Quid memorem sæpius frustratam fidem: & filiam natu majorem Saülis sibi promissam, post dotem præstitam ex pacto, & enumerata centum Philistinorum præputia, alteri viro datam fuisse: do

de quo contemptu nihil cum Saüle, nihil cum servis, nihil cum militibus expostulavit: immo cum proponeretur conjugium, modestè semper respondit: *Num parùm videtur vobis generũ esse Regis?* Quid quod frustratus primâ conditione, secundam sibi oblatam non recusavit, ne tantũ honorem contempsisse videretur? Sed Michol conjugio usus est Saül ut Davidem perderet, eum per immissos sicarios interimere conatus, & scelus peractum fuisset nisi fugâ sibi consuluisset. Quem hominem, vel modestissimi animi, hæc omnia ad vindictam non commovissent? At non Davidem, qui potiùs habuit fugere, & patriâ exulare, & in calamitate sibi victum parare, quàm se ulcisci, aut inimico dare occasionem injustum homicidium faciendi. Hanc ob causam ab oculis eius se subduxit, ut tempus daret rei sedandæ, & mitigandæ invidiæ: atius est, ajebat, me miserum esse, & innumera pati acerba, quam hunc apud Deum de innocentis cæde condemnari: itaque egestatem præ divitijs: solitudinem, præ patriâ: labores, & pericula, præ delitijs ac securitate: exilium præ Regiâ elegit, ut Saülem ab odio in ipsum liberaret.

Verum nec sit melior factus est Saül, sed Davidem ubique persecutus est, in solitudine, ac deserto, in montibus, vallibus, & speluncis, in urbibus, & pagis, omnia loca circumiens: non aliter quàm venator, qui indagine feram persequitur, quærens noneum qui ipsum læserat, sed qui cum esset ab eo læsus, tùm maxima, & innumera pro illatis injurijs bona rependerat. At vide quo successu: Mitto dicere quam crudeliter Saul interfecerit Achimelem summum Sacerdotem, eò quod Davidi dedisset panes propositionis, & eodem tempore ex Sacerdotibus gladio Doech Idumæi occiderit 85. viros, imò totam urbem Nobe percusserit in ore gladij, nulli parcens, vel ætati, vel sexui, vel conditioni: unde David coactus sit fugere ad alienigenas, & Regem Achis, ubi summum vitæ periculum adijt: cùmque jam nullis hominibus fideret, fugit in loca deserta, & habitavit in speluncis, more ferarum, quarum vitam degebat, victum sibi, & suis, quasi venatu quærens:

Hæc speluncarum habitatio, occasio fuit Davit, actionis omnium generosissimæ, dum Saül ex venatore factus est Davidis præda, quod hac ratione factum est: Cum nullum locum sibi securum inveniret David, secessit in desertũ Engaddi, ubi sunt loca prærupta, ad quæ sola capreæ sylvestres pertingere possunt: ea locorum difficultas non deterruit Saülem, quominus Davidem cum tribus millibus militum ex omni exercitu delectorum persequeretur: Erat prope viã spelunca aditu angusta, sed in profunditate latissima, in cujus imo recessu latitabat David cum sexcentis hominibus fugitivis, qui eum ut ducem sequebantur: In eam speluncam ingressus est Saül alicujus necessitatis gratiâ: Nemo est qui non dicat cum Davidis socijs 1: Reg. cap. 24. *Ecce dies de quâ locutus est Dominus ad te:* *Ego*

Ego tradam tibi inimicum tuũ, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis Quid hoc statu reru faceres mi Auditor? Si inimicũ tuũ haberes in potestate, post tot acceptas injurias, ac præsertim si nosses incredibile eius odium, & obstinatam tui perdendi voluntatem, & si scires illo sublato, te non solum liberandum ā tot miserijs, & periculis, sed etiam te obtenturũ regnum, idque non usurpatũ, sed tibi delatum à Deo? Verùm noli ex tuo sensu rem metiri, sed ex Davidis admirabili mansuetudine, ut nihil mirum sit, si posteà dixerit, *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius:* Incidit itaque Saül imprudens in retia Davidis: solus est, sine armis, sine socio, sine satellitio, inclusus in cavernâ, positus in tenebris: adest David armatus, stipatus sexcentis militibus, à quibus ad cædẽ inimici vehementer impellitur: nihil non favet ad cædem faciendam, loci opportunitas, temporis occasio, Saülis de suo periculo ignoratio, securitas omnimoda: hîc tensa retia, hîc fera capta: hîc venator erectus!, hîc omnium adhortatio, ut ense pectus confodiat: sed vide incredibilẽ animi modestiam, specta luctam, victoriam, & coronam: Nam, ut ait Chrysost. homil. 1. de Davide: spelunca illa campus erat, in eo lucta quædam mirabilis dictùque incredibilis facta est: luctatus est David, pugilem egit iracundia: Saül positus erat certaminis materia: Agonothetes erat Deus: *surrexit itaque David:* quo animo primum id fecerit, docet Abulensis quæst. 4. nimirũ ut Saülẽ inermem, & securum occideret, id enim posteà fassus est, *cogitavi, ut occiderem te:* sed statim motũ illũ generosè compressit, & gladio, quem ad cædem strinxerat, oram chlamydis Saul præcidit silenter, ut illustre haberet posteà suæ moderationis testimonium: Verùm quasi scelus admisisset, quod aliquid ad Regem pertinens violasset, *cor suum percussit David, eò quod abscidisset oram chlamydis Saül,* adeo religiosè Regem observabat. Sed ne tantum facinus leviter prætereamus: Neque enim putandum est nullum fuisse in Davide sensum, sed stupidum fuisse: ut enim erat animi generosi, & indolis bellicosæ, innumeros passus est iracundiæ fluctus, & maximam diversarum cogitationum jactationem, sed eam tempestatem refrænavit timore Dei, animosque compressit: *surrexit,* ait Scriptura, *& præcidit oram chlamydis Saül:* Vides quanta iræ tempestas coacta fit: stricto gladio ad Saülem perrexit, at non processit ulteriùs, neque naufragium fecit, eo quod gubernatrix illa sentiens periculum, videlicet pia ratio, tempestatem vertit in tranquillitatem: *percussit enim David cor suum,* ac velut equum subsilientem, & ferocientem, revocavit iram: & tamen quàm parvum erat intervallum inter corpus, & chlamydem: attamen seipsum cohibuit ne progrederetur ulteriùs. Sic sunt sanctorum animæ, priusquam concidant resurgunt: priusquã ad peccatũ perveniant refrænantur, eò quod sobriæ sint, semperque vigilent: Ne tamen id mediocriter æstimes, considera quantis fluctib⁹ hujus justi animus impetitus fuerit: Offerebat se animo injusta Saülis persecutio nullâ causâ præcedente, cùm nullâ re eum læsisset, sed post innumera collata beneficia,

&

& officia præstita, post tot reddita obsequia: occurrebat quoties eum interimere, & per se, & per alios conatus esset: etenim si lex vetus permittebat oculum pro oculo, & dentem pro dente exigere, an non poterat eâdem lege talionis, non modo pro unâ morte, sed pro pluribus, unam mortem exigere: Verùm si præteritorum esset oblitus, futura prospicere poterat, norat enim indomitum Saülis animum, & aliunde incredibilem levitatem, quidquid tandem polliceretur: Norat quod nunquã desiturus esset eum persequi, donec perdidisset: Itaque si non præteritorum recordatio sufficiebat ad cædem, id facere poterat futurorum metus. Quod si Saülem non metueret, vel suos milites ipse timere potuit, ne forte ipsum in speluncâ trucidarent: tanquam qui illorum salutem prodidisset, exitiùmque attulisset, ac publicum ipsorum hostem servasset: Verùm nihil horum justus ille apud se perpendebat, unum illud spectans, quomodò posset tolerantiæ, & modestiæ coronâ redimiri: Et quoniam versuta solet esse malitia, non hoc ei tantum milites repræsentarunt, & quæ hactenus à Saüle passus esset; & quæ deinceps ipsum ab illo metuere oporteret; neque suarum, rerum miserum statum præsentem, quod fugitivi essent, errones, & rerum omnium egentes, miseram vitam degerent, more ferarum, in speluncis, & locis desertis; cùm scirent eum omnia despicere, Deum ipsum allegant authorem, *Ecce dies, de quâ locutus est Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei, sicut placuerit in oculis tuis*, quo videlicet judicium à Deo profectum reveritus, promptius iret ad homicidium: Non enim (inquit) tuam vicem ulciisceris, sed Deo subservis, ac minister es, & illius sententiam comprobas: Verùm ille aliter rem intellexit, sed potiùs cogitavit, quod Deus ideo tradidisset eũ, ut ipsi majores occasiones, probandæ virtutis suppeditaret.

At ne hoc quidem tantum admiratione dignum est, quod nec aliorum admonitu, dimotus est à proposito, quodq; illos non est veritus, sed quod perfecit ut ipsi eandem animi moderationem sumerent: neque ipsi in Saülem insurgerent, quod certè facturi fuissent, nisi eorum animos placasset: Nã ut ait Scriptura 1. Reg. cap. 24. *Et confregit David viros suos sermonibus, & non permisit eos, ut insurgerent in Saül:* oportuit orationem fuisse gravissimã, prout loci, & temporis facultas patiebatur ut hunc effectũ haberet, quẽ exprimunt illa verba, *confregit sermonibus servos suos*: Non puto autem illis alias rationes attulisse, quam eas quibus ipse animum suum fregit: *Dixitque ad viros suos, propitius mihi sit Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est:* In quibus verbis duas rationes includit, cur nefas sit regiam personam violare, una est quia ipse erat dominus eius: lex autem ipsa jubet, immò rerum natura, ut illius vitam servet incolumem, non adimat: Deinde quia corpus illud quod gladius confoderet sacrosanctum est ab unctione sacrâ: quę verò sacra sunt, ea religio violare vetat: vides itaque & Davidem seipsum cohi-

buisse,& suos: Magnum quidem est,si quis suis cupiditatibus imperet: sed multò majus est, id etiam alijs persuadere,ut ipsi eamdem mentem sumerent, alijs in quam,qui nec modesti sunt homines, nec temperantes, sed milites, qui multis difficultatibus jam in desperationem erant adducti, à quibus paulatim respirare cupiebant: præsertim cùm scirent in hostis nece,& malorum finem se habituros, & multorum bonorum spem affulgere:cum illo profligato, regnum ad Davidem transiret: Nihilomninùs tamen cum tam multæ res animos militum irritarent, tantùm valuit ille generosus, ut satellites illis omnibus essent superiores,& hosti parcerent: Diceres Davidem sic spectasse Saülem, ut depositum ac pignus sibi creditum, de quo ratione esset redditurus: ita ipse non tantùm non attigit inimicum, verùm etiam alios occidere volentes coërcuit, satelles optimus, corporis custos, pro hoste factus. Potuit itaque Saül tantorum certaminum, & victoriarum materia, innoxius egredi ei speluncâ,ignarus omnium quæ gesta fuerant: Egressus est autem post illum & David liberis deinceps oculis cœlum intuens, ac tunc temporis magis exultans, quàm cum Goliath dejecisset,atque barbari caput amputasset, siquidem hæc posterior, primâ illâ victoriâ erat magnificentior, hæc illustriora spolia, hæc præda nobilior,hoc gloriosius trophæum:Etenim illic,& funda,& lapidibus,& acie fuit opus,hîc totum opus fuit virtutis, hic sine armis contigit victoria, & incruentum erectum est trophęum: Itaque rediit non barbari illius gestans caput, sed animi cōmotionem mortificatam,sed iram enervatam: neque hæc spolia reposuit in Sanctuario, sed in cælo,& illa supernâ Civitate: Non illi obviam venere Virgines cantantes cū laudibus, sed angeli è cœlo applaudebant victori:Non egressus est gestans Saülis diadema, sed gloriæ coronam: Non egressus est gestans Saülis purpuram, sed humanitate amictus quàvis stolâ pretiosiore: Egressus est è spelunca cū tātâ gloriâ cum quantâ è fornace Babylonicâ tres pueri illæsi prodiere: uti enim illos non combussit ignis,ita neq; ille iracūdię incendio cōflagravit: Egressus est è speluncâ, non minore gloriâ,quam Daniel è lacu:hic quidem superatis,& mitigatis leonibus:ille devictis bestiis, longè sævioribus, irâ, audaciâ,vindictâ,metu futurorum:Exivit itaque David post Saülem, *& clamavit post tergum Saül dicens: Domine mi Rex.Et respexit Saül post se: & inclinans se David pronus in terram,adoravit*: Hæc nō sunt minoris laudis, quam hostis servatus,neque enim vulgaris erat animi, nō inflari collatis beneficiis,& quod est omniū maximū de donatâ vitâ: Quin etiā post data beneficia modestior apparuit: ideòque qui servarat,eūdē quē servaverat adoravit,rursùmq;Regē nominavit, ideòque ob illius dignitatē, omnē animi tumorem reprimens: neque tantum voce honoravit,sed etiam facto, inclinans se pronus in terram,& adorans, quasi beneficiū accepisset:Sed audiamus,quid dicat, *Dixitque ad Saül: Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adversum te?* Vide

quo

quo artificio animum eius emollire studeat: Non illum accusat, non de illo conqueritur, sed potius excusat, omnē culpam in alios conijciens, quasi diceret; Alios esse, qui eum provocarent, alios qui eius animum exulcerarent: modis omnibus studens illi porrigere excusationis occassionem: quasi diceret, non injustè facere, dùm ipsum persequeretur, sed deceptum aliorum sermonibus: & tamen uti benè advertit S.Chrysost. qui hanc historiam conscripsit: prius dixerat Davidem, dilectum fuisse à toto populo, ab omni Saülis familiâ, ab eius, & filio, & filiâ, & à toto exercitu, ut scires puram esse Saülis malitiam: unde idem scriptor totam invidiam natam esse dixit, ex nimiâ laude Davidis, & postea in dies majorem excrevisse ex bonis eius successibus: sed maluit David in alios omnem culpam reijcere, quàm in Saülem: Ita facere solent parentes erga filios, quos licet suâ malitiâ corruptos esse sciant, frequēter tamen in alios culpam reijciunt: Sic (aiunt) non esse hoc delictum tuum, sed alij te corruperunt, ac seduxerunt: illorum tota est culpa: Nam ita melius corripi putant filium, dùm illum pudet, quod eâ laude sit indignus: Mox suam causam agens, suam probat innocentiam, non alium quærens judicem, quam ipsum Saülem, ut nimirum plus suis oculis credat, quàm aliorum relationib⁹: *Ecce hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu meâ in speluca: & cogitavi ut occiderē te, sed pepercit tibi ocul⁹ meus: dixi enī non extenda manū meā in dominū meū, quia christus Domini est:* Quasi diceret, illi quidē verbis me calumniantur, at ego reipsâ me purgo, ipsisque factis depello crimen: nihil mihi opus est verbis, cùm ipse rerum exitus, omni oratione clariùs te docere possit, quinam sint illi, & qui ego; & quàm falsa sit calumnia: harum rerum, non alium quam teipsum testem invoco: teipsum, inquam, qui in eo beneficio servatus es; nam si tuæ vitæ insidiari erat animus, quando id commodiùs fieri potuit, quàm cùm te habui in meâ potestate; quā cum solus eras, & inermis, & periculi, in quo eras, nescius; quàm cùm ego armatus, & militibus, non tuis, sed meis, stipatus; quàm cùm tu me ad necem persequereris; quàm cùm omnia essent opportuna, & omnia ad id perpetrandum incitarent: Ac ne putes ignaviâ, aut injuriæ acceptæ insensibilitate impeditum, non diffiteor me ab irâ sollicitatū, & surrexisse stricto gladio, & cogitasse te interficere: sed timor Dei me cohibuit, cùm te cogitavi, & dominum meum, & vnctum Dei: Quod si hæc cogitatio manum meam retardavit in his circumstantiis, & loci, & temporis, & tantæ opportunitatis, quantò magis id fecisset alio tempore, cum in tuâ curiâ gloriosus viverem? Et quia quod dicēbat, videbatur admirabile, nè ipse dubitaret, de periculo in quo fuerat, & de Davidis moderatione, quia nec ipsi hæc dicenti, nec eius Militibus id asserentibus credidisset, quorum testimonium suspectum habere poterat, evidens attulit argumentū, laciniam abscissam chlamydis, quam prætendēs dicebat: *Quin potiùs Pater mi, vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu meâ, quoniā cū præscinderē summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum*

manum meam in te: animadverte, & vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neq; peccavi in te:tu autem insidiaris animæ meæ, vt auferas eam: Mutum quidem testem affert, sed omnibus vocem habentibus certiorem: Nam Saül negare non potuit, Davidem prope ipsius corpus gladium strictum tulisse, tàmque illi facile fuisse, nescienti latus fodere, & pectus, quàm oram chlamydis abscindere: quod si cùm id tam facile potuit facere, id non fecit, quomodo aliàs id tentasset, quod non nisi magno suo periculo facere poterat: Multa alia præterita afferre potuisset innocentiæ suæ argumenta, sed hoc recens factum, satis ipsi fuit ex dissimili modo agendi utriusque: unde subdit. *Iudicet Dominus inter me, & te, & ulciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te:* Non hoc dixit quasi cuperet puniri Saülem, aut de illo pœnas sumi, sed ut illi formidinem injiceret, venturæ condemnationis commemoratione: ad hæc ut firmaret quod dixerat, se in Saülem nihil moliri, invocans Deum in testem, quem nihil latet, & cuius manum ipse effugere non posset, si suo regi insidias molitus fuisset: denique his verbis significavit, & se totum negotium Deo relinquere, & se nunquam suis manibus ulturum: itaque & ipso facto, & juramento adhibito in futurum se à malâ suspicione liberat. Iam ne videretur ex æquo certare cum principe, quia dixerat, *Iudicet Dominus, inter me, & te:* ostendit indecorum esse regiæ majestati, certare cum hoste, neque nobili, neque robusto, ex cuius impugnatione, nihil præter ignominiā referre possit: ut etiā ostendat nihil ab hoste tam impotente, Regi timendum fuisse: *Quē persequeris Rex Israël? quē persequeris? canē mortuū persequeris, pulicē unū*. Nihil de se abjectiùs loqui potuit, ut ostenderet nihil esse quod ab ipso metuere posset Saül: neque illi gloriosum futurum, si perdat: sicut neque impunitum: unde subdit. *Sit Dominus judex, & judicet inter me, & te: & videat, & judicet causam meam, & eruat me de manu tuâ*: Id propheticè magis à Davide dictum est, quàm imprecando, secundum illud Deuteron. 32. *Mea est ultio, & ego retribuam in tempore.*

Quid ad tam præclarum Davidis facinus, quid ad hanc orationem demissionis plenissimam, nec minùs generosam, & religiosam, saül respoderit, expectatis à me Auditores: Certè tantùm potuit David ignoscendo, quantùm nemo unquam potuisset vindicando: adeò verum est quod ab initio à me dictum est, condonationem injuriæ esse modum optimum vindicandi se, & eo genere victoriæ eò etiam redigi inimicum, ut cogatur fateri se esse victum: & malè odisse: audi itaque Scripturam, quid dicat, *Cùm autem complesset David loquens sermones huiusmodi ad Saül.* Quis non putasset ad primam Davidis vocem, Saülem in furias agendum, ut semper fecerat: sed tantum abest, ut sic exarserit; quin ad eius vocem stetit immobilis, uti solet anguis ad vocem incantantis sapienter, tanto se stupore abreptum, aut tanta teneritate sensit delinitum. Id ex eius oratione facilè intelligo, *Et dixit Saül: Numquid vox hæc, tua est, fili mi David?* Tantus eum stupor cepit,

cepit, ut non putaret se videre quæ videbat, & audire, quæ audiebat: Itaque interrogat: *Nũquid vox hæc, tua est, fili mi David?* quanta subito facta est mutatio? qui nunquam alias sustinuerat, eum nomine suo vocare, exosum habens vel solum nomen, sed ad contemptum appellans filium Iesse, generis ignobilitatem exprobrans, nunc non tantùm de nomine vocat, sed etiam in cognationem eum adoptans, filium vocat: Quanta fuit virtus in verbis Davidis, ut ex homicidâ faceret Patrem, & ovem ex lupo? quanta eius felicitas qui fornacem iracundiæ multo rore implevit, & tempestatem vertit in tranquillitatem, quique tumorem omnem irâ exæstuantis animi restinxit? Verba quippe Davidis ingressa in animum istius efferati, totam hanc perfecerunt immutationem: Non dixit, sermones tui David, sed vox tua fili mi David. Ita ad solam vocem incaluit: Et quemadmodum Pater ex longinquo intervallo, auditâ filij revertentis voce, etiamsi nondum videat, si tantum audiat, ad vocem ipsam excitatur, & accurrit: sic & Saül, ut primum Davidis vocem audivit, totum suum mutavit affectum, & irâ positâ recepit tranquillitatem: vide quâm verè dictum sit à Sapiente: *responsio mollis frangit iram:* Nam quem modò Saül quærebat ad necem, quem perduellem vocabat, & insidiatorem, quem insectabatur ut feram, jam filium appellat paterno blandimento: Nec sibi videtur audire quem audit, quòd eum tam ardenti amore deperiret: sed audi aliquid maius. *Et levavit Saül vocem suam, & flevit:* Quid hoc propheta beatius esse possit, qui brevi temporis momento, sic hostem à furore ad sobrietatem composuit, ut nactus animum cædis atque sanguinis sitientem, repente ad lamenta & ejulatus, & lachrimas compulerit: Non perinde miror Moysem qui ex duro saxo aquas elicuit, ut admiror Davidem, qui ex oculis lapideis fontes eduxerit lachrimarum, si quidem ille vicit naturam, hic autem animi decretum: ille virgâ percussit lapidem, hic sermone percussit cor, non ut contristaret, sed ut purum mansuetùmque redderet: quo facto majore Regem affecit beneficio, quam fecerat in speluncâ: fuit quidem hoc mirabile, quod ensem suũ inimici sanguine non tinxerit, sed longè majus quòd inimici propositum immutarit, & suscepti sceleris pœnitentiam inspirarit: hoc enim beneficiũ illo præstantius est: neque enim paria sunt, liberare à morte, & liberare à crimine: Magnũ fuit quod milites cohibuerit ne Saülẽ interficerẽt, sed maj⁹ fuit, cũ ei furorẽ adẽit: Magnũ fuit quod David in semetipso iram domuerit, maius quod alienum furorem mitigarit: quod ex tantâ tempestate, tantam tranquillitatem fecerit: quòd oculos homicidium præ se ferentes calidis lachrimis implerit: Et quidem si Saül fuisset homo naturâ mitis, & modestus, aliquid fuisset eum ad solitã revocare virtutem: sed efferatum, & ad extremam provectum malitiam, jàmque ad cædem properantem, brevi temporis momento sic afficere, ut omnem amaritudinem evomat ex animo, id verò est summæ virtutis, & extremę sapientiæ: jam ubi lachrimæ verbis

aditum debere, audi quid dicat.

1. Quidem se accusat atque damnat: Davidem autem laudat, & sibi anteponit: Saul Davidem, Rex subditũ, hostis hostem, quem vel nominare non dignabatur: at quibus verbis? audi Scripturam: *Iustior tu es quàm ego: Tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala:* Vides ut suam damnet malitiam, ac justi virtutem prædicet: agnoscit se multa debuisse Davidi, ac nullam occassionem habuisse, ipsum persequẽdi, immò se mala reddidisse pro bonis, erat ingratitudinis, sed pro bonis mala reddidisse injustitiæ fuit: Pergit in Davidis laudibus: *Et tu indicasti hodie quæ feceris mihi bona, quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me*: agnoscit hoc summum beneficium: Nam etiamsi vetera non meruisset priùs, tamen non erat indignus cui præstarentur: sed nunc pro insidijs, pro cæde sæpius intentatâ, pro innumerabilibus malis, summum beneficium præstitit, cùm vitam dedit, quam tam facile eripere poterat, idque Deo favente, nam Deus eò Saülem adduxerat. Neque hoc etiam leve fuit beneficium, quod hoc Saüli indicarit: non tantùm ut sciret Davidem sibi non insidiari, unde eum ab errore reduxit, sed quoniam eâ ratione, cum à scelere ad sanam mentem revocavit. Atque ut huius præclari facinoris commendationem extollat, agnoscit tale fuisse, ut nullus præter Davidem, id facturus fuisset: *Quis enim cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in viâ bonâ?* quanto magis, si talem inimicum, & sic in sua potestate: Certè hæc laus Davidis à Saüle, maior est quã cũ mulieres canerent: *percussit Saül mille, & David decem millia*: Et quanquam in singulis verbis plures Davidis coronæ contineantur, hoc etiam ad eius laudem pertinet, quod ita sapuerit Saül: nam licet ab ore Saülis ea verba prodirent, sapientia tamen & ars Davidis, ea in animum Saülis insinuarat.

2. Hinc Saül se agnoscit Davidis debitorem, sed referendo beneficio imparem: quid enim Saül reponere poterat dignum meritis, etiamsi regnum dedisset, cum omnibus oppidis? Neque enim oppida modo & regnum, verum & vitam ipsam ei donarat David: & vero non habebat alteram vitam quam rependeret: Itaque ipsum Deum, illi pro se, constituit debitorem: unde sic rogat: *Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me.* Vide quid profecerit Davidis mansuetudo, Saülem pium fecit.

3. Et quia in odij sui ortu olim dixerat: *Quid ei superest nisi solum regnum:* Id ipse retractat, & futurum regẽm agnoscit, non tantùm, quòd id à se meruerit, sed id colligit ex regio spiritu, quo regium facinus edidit, cum pepercit, & vitam dedit: Nam quilibet ulcisci potest, sed vitam dare, nemo nisi qui cum clementiâ summam habet potestatem: Ille autem dedit qui legitimè potuit occidere: *Et nunc quia scio quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu*

manu

manu tuâ, *regnum Iſraël*, *&c.* Verum, reſponde Saül, unde id noſti, & certiſſimè noſti? Ecce penes te ſunt exercitus, penes te ſunt pecuniæ, arma, civitates, equi, milites: breviter univerſa vis, apparatus regij: Hic contra deſertus, ac nudus, nec civitatem, nec domum, nec familiam habens: unde igitur quæſo iſta loqueris? Nimirum ex ipſis Davidis moribus, & ex ijs, quæ mihi, & illi hactenus acciderunt: Neque enim nudus & inermis, atque deſertus, & rerum omnium inops, me armatum, tantâque circumvallatum potentiâ ſuperaſſet, niſi Deum haberet adjutorem: porro qui Deum habet faventem, is eſt omnibus potentior: Vides ad quantam Philoſophiam, poſt tot paratas inſidias, & tantam furoris inſaniam deductus eſt Saül: Vides quomodo fieri poſſit, ut inimicus omnem deponat malitiam, immutatuſque ad meliorem mentem ſe recipiat, nimirum ſi tuâ poteſtate moderato utaris, neque vindices injuriam, ſed parcas:


4. Et quaſi jam ex tunc regni gubernacula ſumpſiſſet David, ſupplices ad eum preces defert Saül, non niſi ad Regem deferendas, ut noris, quis ſit amborum victor: Certè hîc Rex privatum rogat, & qui diademate cinctus eſt ſupplicem agit pro filijs ſuis, & exulem rogat: & quia indignum ſe agnoſcit, cui concedatur quod petebat, ideo Deum interponit, erga quem ſummam Davidis norat pietatem: unde ait, *Jura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei*: Hinc conjice virtutem Davidis, quod hoſtis ab hoſte hæc petere auſus ſit, & hæc ab eo ſperet: Quod autem juramentum exigit, non eſt, quod de Davidis moribus diffidat, ſed quod reputet apud ſe, quot malis illum affeciſſet, & quod ſe putet indignum, & quòd ſequeſtrem Deum ponat: itaque petit ut juret in Domino, ſe non deleturum ſemen eius: quod certè ſuis ſceleribus reddiderat obnoxium vindictæ: Res planè admirabilis, hoſtem ſuum filijs ſuis relinquit tutorem; ſuamque poſteritatem ac domum in illius manibus deponit: Vide quanta ſit virtutis commendatio, vult illi non ſolùm debere vitam, & regnum, ſed etiam ſuæ poſteritatis conſervationem, poſt tot illatas injurias.

5. Hic vide ſyncerum animum Davidis, & omni amaritudine vacuam mentem: Statim illi annuit quod ab eo petebatur: Si vel minimum excuſaſſet etiam modeſtiæ cauſa, recuſaſſe videretur: *Et juravit David Saüli*: Jam ex nunc David agit regem, adeo generoſus eſt animus eius qui parcit, nam condonando fit ſuperior, facit enim alium debitorem: Nec diffidit David id ſe aliquando facturum, & hanc habiturum poteſtatem, ut ſcias quantùm ſit magnanimitatis in homine manſueto, neque, quod aliqui putant, ignaviæ, & timiditatis eſſe, ignoſcere.

6. Atque ut videas, quantùm datæ ſibi fidei ſit ſecurus Saül, nihil amplius requiſivit. *Abijt ergo Saül in domum ſuam*: ſecum ſanè animo reputans admirabilem Davidis generoſitatem: Et

tionem. *Dimitte ficut dimittimus:* Non viderat Chriftum crucifixum : Non viderat effundi pretiofum illum fanguinem pro inimicis : Non audierat Chriftum orantem in Cruce, *Pater dimitte illis, non enim fciunt quid faciunt:* Non audierat innumerabiles Chrifti fermones de refrænandis animi cupiditatibus : Non contigit illi guftare talem hoftiam quæ quotidie nobis porrigitur, neque particeps fuerat Dominici fanguinis qui quotidie offertur pro peccatoribus : fed legibus imperfectioribus educatus, neque aliquid tale exigentibus, tamen ad Evangelicæ Philofophiæ faftigium, pervenit animi moderatione : Noli conditionem tuam, & gradum tuum obtendere ; David Rex erat à Deo defignatus, & jam unctus : Noli beneficia; erant innumera quæ fecerat : non iteratas condonationes ; plures fecerat : Non obftinatum inimici animum ; Nihil Saüle obftinatius : Non fractam fidem ; femper recidebat, Saül; Noli dicere te non effe fecurum : Neque potuit unquam effe David, nifi Saüle mortuo : unde dicitur de Davide poftquam in domum fuam reverfus eft Saül : *Et David, & viri eius afcenderunt ad loca tutiora :* quæ tamen impedire non potuerunt, quo minus Saül iternm Davidem perfequeretur : Memento te non aliâ ratione victorem futurum, & in hac vitâ, & in aliâ : In hac quidem, quia inimicos tuos tibi lucraberis : in aliâ vero, quia in Judicio nullos habebis meliores patronos, quàm hoftes tuos tuo beneficio adjutos : Nam etiamfi innumera commiferis peccata, una tibi reftabit defenfio : *dimitte, quia dimifimus* : Ipfe enim judex dixit, *Remittite, & remittetur vobis: eadem quippe menfurâ quâ menfi fueritis remetietur vobis :* Neque vero tantùm tibi remittetur quod peccaveris, fed etiam mercedem accipies, fed nulla alia datur in aliâ vitâ, quàm gloria cœleftis, ad quam nos perducat Jefus Chriftus Dominus nofter, qui cum Patre & Spiritu fancto vivit, & regnat in fecula. Amen.

***



FERIA SEXTA CINERUM

CONCIO SEXTA

DE DILECTIONE INIMICORUM,

Quod injuriarum condonatio non sit actus ignaviæ sed fortitudinis: ubi tractatur Historia Machabæorum.

Diligite inimicos vestros. Matth. 5.

MEMORIÆ proditum est S. Joannem discipulum, quem diligebat Jesus, cum præ senectute multa verba proferre non posset, per singulas collectas dicere solitum, filioli, diligite invicem, cumque eius discipuli conquererentur, quod eadem semper diceret, cum dignam Joanne sententiam pronunciasse dicit S. Hieronymus: Quia præceptum Domini est, & si hoc fiat, sufficit. Idem dico de dilectione inimicorum, de quâ satis dici non potest, quia præceptum Domini est: *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros:* & si hoc fiat sufficit: 1. ad remissionem peccatorum ex Christi ordinatione: 2. ad perfectionem quia est summa charitas: nam si de ipso Deo dicitur Roman. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est*: quantò magis de homine: præsertim cum ex D. Thom. 2. 2. q. 27. art. 7. dilectio amici possit habere aliam caussam quàm Deum, non autem dilectio inimici: Ac licet utraque dilectio esset propter Deum, tamen dilectio inimici fortior ostenderetur, quia hominem ducit ad remotiora, nempe ad dilectionem inimici: Non itaque mirum si sæpiùs vobis de dilectione inimicorum dicam: sed sed ut neque ille amor haberi potest sine gratiâ, ita neque de illo differi potest uti oportet sine gratiæ auxilio. *Ave Maria.*

ILLE sine dubio non erravit qui dixit similitudinem, erroris esse matrem: dum alia, pro alijs accipiuntur; eò quod quæ similia sunt, sæpè putantur esse

esse eadem. Id passim in virtutibus accidere videmus: Nam sæpe hominem prodigum, vocamus liberalem: hominem avarum, appellamus bonum œconomum: tardum, & meticulosum, prudentem: hominem ignavum, modestũ, & humilẽ: superstitiosum, religiosum, atque devotum. Sed in nullà virtute major deceptio, quam in judicio fortitudinis, quia innumeræ sunt actiones in quibus non est vera fortitudo, sed fortitudinis species: quâ de re fusiùs tractat, Aristoteles 3. Ethic. cap. 6. 7. & seqq. Qui plurima non metuit, ut paupertatem, morbum, & plurima quæ à nobis non proveniunt, non est fortis, sed eum quâdam similitudine fortem vocamus: In cap. 7. Qui circa res formidolosas modum exuperat, confidendo, non est fortis sed audax: qui autem audax est, arrogans esse videtur, & fortitudinis simulator. Quàm multi ex irâ plurimum audent, & imperterriti se in pericula cõijciunt, & in hostes ferũtur, uti animalia dum sunt sauciata: est enim ira res impetuosissima ad aggedienda pericula: sed ij pugnaces sunt, non fortes, sunt solũ similes fortibus, quia utrique confidunt, sed non ob easdem causas. Hac occasione, communissimum errorem hodiernâ die aggredior, quo creditur, pusillanimitatis esse injuriam modestè perpeti, & patienter ferre; fortitudinis autem esse injuriam reponere; atque ostendo, nõ in vindicta, sed in condonandâ injuriâ, veram fortitudinem consistere: quod facio duab⁹ conclusionibus.

I. est. Nulla fortitudo aut generositas est in repellendâ aut vindicandâ injuriâ. 1. Quia ad id sufficit solus naturæ impetus, uti patet experientiâ: quilibet enim irasci potest. Ita feræ, ait Aristoteles 3. Ethic. cap. 8. in eum insiliunt à quo vulnus acceperunt, vel ob dolorem, vel ob metum: unde, inquit, cum sunt in suis latibulis id non faciũt: itaque ad id non opus est aut instructione, aut additione virtutis, aut præmij pollicitatione, aut minis, aut supplicio, aut adhortatione, sed sola natura sufficit: ut scias non esse opus virtutis: ad contrarium verò hoc est ad ignoscendum, opus est totâ virtute: Immò nec à virtute natura adjuta id potest, sed opus est gratiâ, unde rectè dixit S. Thomas dilectionem inimici non posse habere aliam causam quàm Deum: Si nõ pro motivo, saltẽ pro principio: & probatur experientiâ ex paucitate: Magnum argumentum raritas: Item ex difficultate quam sentimus, licét exemplis commoveamur: licèt pœnæ intententur, eæque extremæ: licèt præmium proponatur, illudque summum: Item ex communi plurimorum confessione, id non possum, illud vires meas superat, quod nemo dixerit te appetitu vindictæ: constat autem fortitudinis objectum rem esse arduam ac difficilẽ: Denique quod qui id fecerunt in admiratione sunt, uti Ioseph, Moyses, David, Stephanus, Christus ipse: summum omnium exemplar. *Vix enim pro justo quis moritur, Christus autem pro impijs mortuus est:*

2. Quia quilibet etiã ignavius hoc facit: nõ est igitur op⁹ fortitudinis: Basil. Cõc. 17. quæ est de irâ, & odio: Vindictã sũere cuiuslibet irascẽtis hominis

 est, ipsam

eſt, ipſam vero iracundiam ſuperare, illius potiùs eſt, qui virtute prӕditus eſt: quale enim ſpectaculum eſt, quàm venerandum, quantâque admiratione dignum, humanӕ etiam naturӕ modum ferè excedens; videre hominem, multis convitijs affectum, acceptâ quoque vehementi in genas alapâ, atque innumera alia paſſum, cùm dicto, tùm facto, ſummam ignominiӕ labem irrogantia, neque iracundiâ exarſiſſe, neq; ad vindicandum exurrexiſſe, ſed placidè manſuetèque pro illo qui offendit oraſſe?

3. Quia qui erat ſuperior, facit ſe parem: qui enim alterum offendit alteri debet, qui autem debet, inferior eſt, nã alteri eſt obnoxius: igitur is cui debetur, ſuperior eſt, atq; vindicat ſe, ex ſuperiore parẽ ſe facit, & ſi plus noceat inferiórem: Seneca lib. de Conſtantia cap. 14. facit ſe adverſarium qui contendit, & ut vincat, par fuit: rectè omninò, nam contentio non eſt niſi inter pares.

4. Quia non tantum parem ſe facit, ſed inferiorem, quoniam vincitur: aut enim oportet ut vincat, qui offendit, aut qui offenditur: ſi qui offenditur, hoſtem facit amicum, hoc autem facit condonando: quod ſi qui offendit, offenſum fecit inimicum, is procul dubio vicit, itaque fecit inferiorem: Seneca lib. 2. de Irâ cap. 32. Non ut in beneficijs honeſtum eſt merita meritis repenſare, ita injurias injurijs: Illic vinci turpe eſt: hîc vincere inhumanum verbum eſt, & quidem pró juſto receptum: ultio, & à contumeliâ non differt, niſi ordine: qui dolorem regerit, tantúm excuſatiùs peccat: ſed ut oſtendimus in priori Concione, graviùs.

5. Quia ultio oritur ex impatientiâ doloris, ut in eo qui clamat inter corporis cruciatus: Nam, ut ait Seneca, ultio doloris confeſſio eſt: Verùm ut ait Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 6. Nemo tolerantior eſt malorũ homine forti, mors autẽ omniũ maximè eſt terribile: eſt enim ultimũ vitӕ, & nihil poſteà homini mortuo, aut bonũ aut malũ eſſe videtur: unde ſequitur hominem fortẽ propriӕ dici, qui circa honeſtã mortẽ, & ea omnia quӕ repentè eveniunt, & ipſam afferunt, interritus eſt: quod ſi erga hӕc ſumma, talis eſſe debet vir fortis, quanto magis circa minora, quales ſunt injuriӕ, quas nec timere debet futuras, nec prӕſẽtes impatienter ferre.

6. Duellum inſigne proponit Seneca: eſt que, vir bonus cum malâ fortunâ compoſitus, dignum Deo ſpectaculum: Ita quilibet cum injuriâ compoſitus: ſed huius pugnӕ hӕc ratio eſt, quod fortuna feriat: quod vir bonus ſuſtineat: una victoria eſt, patientia doloris: Scӕvola manum quòd aberraſſet, in ignem immiſit: victoria non fuiſſet ſi ignem aut excuſſiſſet, aut extinxiſſet: in hoc evaſit victor, quod ignem patienter tulit, ſine voce, ſine gemitu, ſine ullâ doloris ſignificatione, imotus, & brachio, & vultu, & toto corpore, & animo. Eodem ſtatu vir fortis injuriam tulerit: Non eſt itaque fortem eſſe, aut generoſum injuriam repellere, ſed injuriam vincere patientiâ: Ideò rectè Chryſoſt. homil. 27. in Epiſtolam ad Rom. quorumdam dictum: ſi me dilexerit diligam; ſi me dexter quoque nõ dilexerit

dilexerit oculus, effodiam: vocat frigidum, & imbecilli animi verbum, *phigron ryma*. & addit: Sathanica sunt ista, Publicanorùmque & Græcorum pusilli animitati convenientia: Tu ad majora vocatus majoribus quoque legibus obnoxius es.

II. Propositio. Ad fortitudinẽ pertinet, & ad generositatem, injurias, patienter ferre, & condonare, inimicũ diligere, & ei benefacere, qui tibi malè facit: uti docet Evangelium. Probatur Ex sensu sapientum. Et quidem Aristot. lib. 4. Ethicor. cap. 3. agens de viro magnanimo: Non est, inquit, mali sibi illati memor, non est enim magnanimi meminisse, præsertim mala, sed potius despicere: Nec de hominibus loquitur: Etenim neque de seipso, neque de alio verba faciet, nec ut laudetur ipse, vel ut alij reprehendantur est ipsi curæ: Quod si idem alibi dicit, hominem magnanimum de alijs non obloqui nisi ob contumeliam, quòd eam pati turpe sit, sic intellige, non quando injuria facta est, sed quando damnum adhuc pendet, & ad justam eius compensationem necesse est, probra eius qui contumeliam intulit detegere: Tunc enim magnanimus, alioqui in hoc genere parcissimus, non gravatè ita adversarium excipit, quòd non facit vindictæ causa, sed justitiæ. Verùm quia etiam in vindictâ, quãdam justitiam agnoscit Aristoteles, intellige non secundũ veritatẽ, sed secundum vulgarem, & comunẽ sentiendi modũ: Nam qui tantũ injuriã reponit, vulgò non censetur injustus simpliciter, quia in hoc æmulatur justitiam, quòd in speciem omnia reducat ad æqualitatem: sed uti diximus quosdã nõ esse fortes, sed tantùm fortitudinis habere similitudinẽ, ita justi non sunt justi sed similitudinem habent justitiæ: reverà autem sunt injusti, si se privatâ authoritate vindicent, quia Magistratus authoritatem usurpant, & jus violant eius qui offendit, à quo nemo reparationem exigere potest privatâ authoritate, sed tantum legitimâ, id est secundum leges quæ hanc potestatem uni magistratui concedunt. Ita, ut jam me dixisse alias memini, Seneca, lib. de Constantiâ cap. 14. ait Catonem percussum in os negavisse factum: & subdit, majore animo non agnovit, quàm si ignovisset: & Themistius Orat. 5. Laudat Lycurgum, quòd ei qui sibi oculum in concione effoderat, ignovisset, & à supplicio liberasset. Noverat scilicet bonum principem, non referendâ injuriâ, sed bene merendo, iis à quibus lacessitus foret, superiorem videri oportere: virtutis quippe hæc victoria est, vindicta verò potestatis. Et vide quantum polleat qui ignoscit, certè quod alicubi dixit Seneca de virtute, eam omnia in suum colorem vertere, id facit fortis patientia, malum omne vertens in bonum: Nam ut ait Epictetus apud Arrianum lib. 3. cap. 20. Quod voles, accipe; & ego efficiam bonum, accipe morbũ, mortẽ, paupertatem, contumeliam, extremũ supplicium, omnia hæc emolumentum erunt contactu Mercurialis Virgæ, omnia fient cũ ea pretiosa: ideò Chrysost. hominem, cum injuriâ decertantẽ patientiâ, appellat, theatrũ Angelorũ: Basilius venerandũ spectaculũ, omni admiratione dignum, & humanę naturę modũ ferè superans.

 Probatur

Probatur 2. Quia cum ſint duo actus virtutis, ſuſtinere & aggredi, certe non alterius quàm fortitudinis, prior ſine dubio eſt potior, quia difficilior eſt ſecundo, & ideo laudabilior: Id præclarè oſtendit Ariſtoteles 3. Ethicor. cap. 9. Quia cum circa timores, & audacias verſetur fortitudo, non tamen ſimili modo in utriſque occupatur, ſed in timendis rebus magis ſpectatur: qui enim in his imperturbatus fuerit, & ſicut debet ſe geſſerit, is magis eſt fortis, quàm qui in illis quæ fiduciam afferunt: Tolerandis igitur moleſtis rebus, homines, ſicut dictum eſt, fortes dicuntur, unde etiam moleſta res eſt fortitudo, & meritò laudatur: quippe cùm moleſta ſuſtinere, quàm jucundis abſtinere, difficilius ſit: Et ita benè dixit ſuſtinentiam potiorem eſſe actum fortitudinis, cùm planè videatur is actus eſſe laudabilior, qui eſt operoſior, & ſuſtinere longè ſit operoſius quam aggredi: ſicque ſubactio timoris, quæ ſuſtinentiam ſpectat, longè ſit fortior, quàm moderatio audaciæ, quæ ſpectat aggreſſionem: unde concluditur pati fortius eſſe quàm agere; & cum ex malis illud difficilius feratur, quod ab inimico proficiſcitur, ſummum actum fortitudinis eſſe injurias modeſtè ferre.

Confirmatur 1. Hæc doctrina ex S. Thoma 3. Ethicorum lectione 18. Quia timor imminet homini, ab aliquo fortiori in ipſum inſurgente, audacia autem conſurgit ex hoc, quod aliquis æſtimat, eum quem invadit, ſuâ non ſuperare poteſtatem: difficilius porro eſt ſtare contra fortiorem, quàm inſurgere in æqualem, vel minorem: igitur difficilius eſt, & magis arduum ſuſtinere, quàm aggredi, & quam inſurgere: uti in bello fortius ſæpè eſt hoſtē irruentem ſuſtinere, neque moveri de gradu, quam in hoſtem inſilire: Porrò injuriæ ſpectandæ ſunt ut hoſtes in acie, quorum impetum fortiter ſuſtinebit vir fortis. nec gradum mutabit: Audi Senecam libro quòd in ſapientem non cadit injuria cap. 9. Memor eſto in primâ acie, alto ordine ſtare: contumelias, & verba probroſa, & ignominias, & cætera dehoneſtamenta, velut clamorem hoſtium feras; & ut longinqua tela, & ſaxa, ſine vulnere, circa galeas crepitantia: Injurias verò & vulnera, alia armis, alia pectori infixa, non deſertus, ne motus quidem gradu ſuſtineas: etiamſi premeris, & infeſtâ vi urgeris, cedere turpe eſt: aſſignatum à natura locum tuere: quæris quis ſit hic locus? Viri. Certè omnes ab inimicis illatæ offenſæ eodem modo ferendæ ſunt quo cęteræ adverſitates, & omnes fortunæ caſus, quos ſanè qui patienter ferunt fortes exiſtimamus: hinc idem in conſolatione ad Helviam: Nihil æquè apud nos admirationem occupat, quàm homo fortiter miſer: ſi vir magnus cecidit, magnus jacuit: Non magis illum putes contemni, quàm cum ædium ſacrarum ruïnæ calcantur, quas religioſi æquè ac ſtantes adorant.

Confirmatur 2. Quia aggreſſio eſt plenè voluntaria, quod non parùm diminuit difficultatem, & conſequenter laudabilitatem, unde univerſim valet, quod ſigillatim dixit ſanctus Chryſoſt. homil. 10. in primam ad Theſſaloniceníes,

censes, de sustinentiâ rapinæ, comparatâ ad voluntariam suæ rei erogationem: Raptorem, propter Deum patienter ferre, majus est, quam sponte benefacere: quamobrem? eo quod hoc quidem, animi fructus est, & voluntatis, unde facile fit; Istud verò vis est & violentia: & facilius quis mille talenta sponte dabit, & nihil se passum esse putabit, quàm ut tres obolos præter animi sententiam abreptos, mansuetè ferat: Itaque istud magni est animi philosophia: Hoc ipse: ex quo fit ut cùm injuria fiat invito, si patienter toleretur, major sit virtus, quàm illatio injuriæ, etiamsi ipsa foret licita: cuius tamen contrarium ostendimus:

Confirmatur 3. Quia qui aggreditur concipit malum quasi absens, & ad summum, ut futurum; qui patitur, considerat ut præsens: atqui operosius est niti adversus mala præsentia, quàm adversus futura; Igitur sustinentia operosior est quam aggressio, & consequẽter laudabilior: proinde non modò condonare injurias, non est animi demissi, & ignavi, sed potius est actus nobilissimus fortitudinis. Certè cum legimus in historijs etiam prophanorum, aliquos gravia passos esse fortiter, & moderatè, illos suspicimus, & admiramur: ut Anaxarchum, de quo Nazian. Epist. 64. Cum ei manus, ex imperio Tyranni, in mortario pistillis ferreis tunderentur, ipse ad carnifices Anaxargi culeum tunditis, non me, quasi Anaxarchus ipse non tunderetur, hoc est anima Philosophi: Epictetus, ut ait eodem loco idem Nazian. cùm crus frangeretur, velut in alieno corpore philosophabatur; citiusque crus perfractum esse visum est, quam ipsum doloris vim persensisse: Socrates ab Atheniensibus ad mortem damnatus, cõjectus in carcerem, priùs quidem de corpore, tanquam de alio carcere, cum discipulis suis disserebat, cùmque fugam inire liceret, id facere recusavit: ubi autem cicuta oblata est, perlibenter accepit, perinde ac si lethale poculum, non acciperet, sed propinando amicos ad potandum invitaret: Asopios, & Macedones, & Lacones, dum torquerenter, fortiter tolerare solitos, ait Eratosthenes in ijs quæ scribit de Bonis, & Malis: & ut ait Clemens Alexandr. 4. Stromat. cap. 5. Zeno Eleates dùm cogeretur arcanum aliquod enuntiare, quod evulgare non debebat, restitit tormentis: atque ut omnem spem confessionis, tyranno eriperet, linguam suam dentibus abscissam, in eius vultum expuit. Sed quid in illis est adeo magnum præter tormenta, & patientiam? Non suspicimus autem tormenta, quoniam & eadem, & maiora in reis reperiuntur: ut quid autem patientiam admiramur, nisi quia res est ardua, & difficilis, & quæ naturam ipsam superare videatur:

Quamquam non ipsa dolorum patientia laudem meretur, & admirationem, nisi causæ honestæ accesserit: neque enim ad fortitudinem spectatur gravitas supplicij, vel incomodi, quod sustinetur, sed causa, & motivum patiendi: cum non omnis patientia recta sit, & laudabilis, nec ut loquitur Augustinus, libro de Patientiâ cap. 1. vocabulo sit digna virtutis:

I. Enim sunt aliqui qui durissima patiun-

patiuntur pro explendis suis cupiditatibus, ut pro adipiscendis divitiis, & honoribus, & alijs ludicris affectionibus, in venatione, in hastiludiis, in theatris, & similibus: sic August. ait lib. de Patientiâ cap. 3. Pecuniæ, & gloriæ cupidos, ut ad desiderata perveniant, adeptisque non careant, soles, imbres, glacies, fluctus, & procellosissimas tempestates, aspera, & incerta bellorum, immanium plagarum ictus, & vulnera horrenda, non inevitabili necessitate, sed culpabili voluntate perferre: Rationem reddit cap. 4. Vis enim desideriorum facit tolerantiam laborum, & dolorum, & nemo nisi pro eo quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat. Verùm nemo hanc patientiam laudarit, quæ non habet originem à virtute, sed à cupiditate.

2. Etiam sunt nonnulli, uti docet August. loc. cit. cap. 5. qui pro apertis sceleribus, non ut ea puniant, sed ut ea perpetrent, multa gravissima perferunt: Quid de latronibus dicam, qui cùm insidiantur viatoribus, noctes perpetiuntur insomnes, & ut transeuntes excipiant innocentes, sub qualibet cœli asperitate, nocentem animum, corpusque defigunt: Quidam verò se invicem torquere perhibentur, ita ut exercitatio contra pœnas, nihil distet à pœnis: non enim tantùm fortassis, excruciantur à Judice, ut à dolentibus veritas exquiratur, quantùm à suis socijs, ut à patientibus non prodantur: & tamen in his hominibus miranda potius, quam laudanda patientia, immò nec miranda, nec laudanda, quæ nulla est; sed miranda duritia, neganda patientia: Nam ut S. Doctor pergit dicere: Patientia comes est sapientiæ, non famula concupiscentiæ: patientia amica est bonæ conscientiæ, non inimica innocentiæ: Non igitur ibi patientia ubi crimen est & scelus.

3. Quam multos legimus pro erroris, & falsitatis defensione, multa gravissima passos fuisse: ut de Donatistis scripsit idem August. qui libentissimè ad mortem currebant; & quos nemo dixerit fuisse fortes, sed induratos, ac furiosos: Nihil autem illic, ut ait S. Pater loco citato, jure laudandum: nihil utiliter imitandum: Tantòque rectius majore supplicio dignum judicaveris animum, quantò magis, vitijs subdit instrumenta virtutum: Unde sic rectè concludit cap. 6. Cùm ergo videris quemquam patienter aliquid pati, noli continuò laudare patientiam, quã non ostendit, nisi causa patiendi: quando illa bona est, tunc ista vera est: quando illa non polluitur cupiditate, tunc à falsitate ista distinguitur: cùm verò illa tenetur in crimine, tunc multùm huius erratur in nomine. Hinc judicium facere debemus de ijs qui patienter & modestè ferunt injurias, qui inimicis non tantùm ignoscunt, sed eos diligunt, & benefaciunt persequentibus se, quod nemo faciat nisi Dei causa: Nam uti diximus ex S. Thoma, amor amici, aliam potest habere causam quàm Deum, sed inimici dilectiò nullam aliam habere potest: itaque signanter dicere potuit Christus in Evangelio, *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, quasi ipse solus author esse potuerit huius mandati, & solus esse potuerit causa & motivum huius dilectionis: Cùm itaque

que non desit honestas motivi,& summa sit alioqui in eo difficultas, nemo negare potest esse summum actum fortitudinis:

Scio passim inter homines plurimi fieri præclara in bellis facinora, & in illis ferè omnem fortitudinem reponi: Non ignorò quod notavit Aristoteles sect.27. problem. 5. Respublicas fortitudinem super omnes virtutes maximè honorare, licet non sit omnium virtutum maxima: cuius rei rationem subdit Philosophus, Quia vel alijs bellum inferunt, vel ab aliis patiuntur: hæc autem virtus perutilis in utramque partem est. Et quidem ratione objecti, militaris fortitudo primatum obtinere videtur, quia summis periculis se obijcit: Deinde ratione subjecti, Quia in homine militari multæ virtutes desiderantur, temperantia, justitia, & aliæ quæ justitiam comitantur: Denique ratione utilitatis, & commodorum, hæc enim virtus, omnia bona, quæ Rempublicam constituunt, & beatam faciunt, conservat: Hinc factum ut jam olim militia, huius virtutis merito prærogativam tulisse videatur conferendæ nobilitatis, uti docet Lactantius lib.1. Institutionum cap.18. & apud nos, idem valuit, Miles, quod nobilis: Hoc dictum fuit Heracliti, Marte cæsos Dij honorant, & homines, & Platò 5. de Republ. ait eos qui strenuè se gerentes, obierunt in bello, esse aurei generis: aureum autem genus per Deos esse: Clemens Alexandr. 4. stromat. cap. 2. ait Græcos veteres, eos præcipuè honorasse, qui in bello obijssent. Rationem hanc affert, Quia qui vitam finit in bello, mortem non timens recessit, amputatus à corpore, cùm prius animo non laborasset, nec emollitus esset, quæ dispositiones solent in morbis, hominibus evenire, discedunt enim effœminati, & vivere cupientes; & ideò puram animam non emittunt, sed veluti notas plumbeas, secum efferunt, cupiditates: nisi pauci aliqui doctrinâ, & virtute roborati: Hinc studium omne quarumdam civitatum, & populorum, arma, & bella: & illis solis, qui se fortiter gessissent in bello, magna præmia concessa, cæteris autem denegata: Multa huius rei exempla profert Aristoteles lib. 7. Politic. cap. 2. Lacedæmone, & in Cretá, ad bellum ferè ordinata est disciplina juventutis, & legum multitudo: summa potentia defertur ijs, qui armis prævalent, apud Scythas, & Persas, & Thraces, & Gallos: Carthaginenses solis militantibus concedunt annulos, & pro numero expeditionum, in quibus militaverunt. In Macedoniá lex fuit, ut qui nullum hostem interemisset, capistro cingeretur: Apud Scythas solemnibus diebus circumlatã pateram accipere ei non licebat, qui hostem nullum occidisset: sed apud Iberos, gentem bellicosam, mos fuit, tot obeliscos circa sepulchrum erigere, quot homines ex hostibus quisque sustulisset: Innumera alia leguntur apud varios, aut legibus, aut moribus constituta, quibus qui strenuè depugnarũt in bellis, & vivi, & mortui, supra reliquos mortales decorantur: Quare rectè dixit Tyrtæus vetus author de gloriâ bellicâ; Neminem valde memorandum vel à pedum velocitate, & cursu, vel à robore corporis, licet in primo superet Thracium Aquilonem, in secundo

Cyclopum magnitudinē: vel à formâ, vel à divitiis, vel à potentiâ, vel ab eloquentiâ, vincat licèt Tithonum formæ elegantiâ, opibus Midam, Pelopem Tantali filium regno, & suavem Adrasti linguam, neque si omnem gloriam habeatpræter bellicam virtutem: hæc virtus est, hoc optimum inter homines præmium, quod maximè decorat illud habentem: unde Aristoteles 3.Ethic.cap.6. postquam egit de fortitudine sic concludit: Is igitur homo fortis propriè dicitur, qui circa honestam mortem, & ea omnia quæ repentè eveniunt, atque afferunt ipsam, interritus est,eiusmodi sunt ea,quæ in bello contingunt.

Ego quidem militari fortitudini detrahere nihil velim, sed jam ostendimus plus esse fortitudinis in sustinentiâ quam in aggressione:Imò nec fortitudo militaris strage hostiūm metienda est, quā explosio bombardæ majorem faciet, quam plures milites: sed periculis mortis,seu in illis victor quis existat, seu victus, hoc enim nihil facit ad fortitudinem, sed summorum periculorum contemptus: Nam ex Seneca, si quis magnus cecidit, magnus jacuit, ut non semel à me dictum est: Itaque pluris facimus eum, qui mortem patienter sustinet,quàm qui strenuè mortem infligit:Hoc vide in unâ familiâ in qua omnia fuere summa.

De Machabæis loquor quorum fortitudo magna fuit in aggressione, & in perpessione, sed in istâ mirabilior: Quoad aggressionem attinet, Iudas Machabæus in præclaris belli facinoribus nulli Ducum concessit:Audi quid de eo dicat Scriptura 1.Machab.cap.3. *Dilatavit gloriam populo suo, & induit se loricam sicut gigas, & succinxit se arma bellica sua in prælijs, & protegebat castra gladio suo. Similis factus est leoni in operibus suis & sicut catulus leonis rugiens in venatione*: Res eius præclarè gestæ in trium Regum tempora incidunt,Antiochi Epiphanis, Antiochi Eupatoris,& Demetrij: Et quidem tempore Epiphanis,multa prælia gessit,sed quatuor potissimùm: primū, cum Apollonio, quem, ut ait Gorion. lib. 3.cap.10. cum Iudas vidisset stantē in medio exercitu Macedonum, per medios hostes viam sternens, ad dextram, & ad sinistram fortissimos Macedoniç percutiens,ut messor spicas solet metere,ad ipsum pervenit,eique vitam & gladium abstulit,quò deinceps usus est in prælijs:Alterum fuit cum Serone, cuius copiæ cum suâ multitudiue socios Iudæ exterruissent,ipse eos verbis sic accendit,ut hostium exercitum,partim deleverit, partim fugarit ipso duce occiso:Tantam victoriam ita Antiochi secuta est, & magnus belli apparatus, & trium ducum electio,Ptolomæi,Nicanoris,& Gorgiæ, cum quibus Iudæ pugnandum fuit, sed cum parvâ manu innumeros hostium globos devicit, sēper in medios hostium cuneos irruens, unde ingentia retulit spolia,& hoc fuit tertium eius prælium, quo plures hostes confecit.Quartò,contrivit Lysiam cum exercitu 40.milium electorum, & quinque milium equitum: Quid memorem varia eius prælia cum finitimis gentibus, Iudæorum genti perinfestis, quæ omnia feliciter inijt: primum cum Idumæis:secundum cū Beanijs:tertium cum Ammonitis, & eorum duce

Timo-

Timotheo, quem sæpius devicit: quartum cum Galaaditis ultra Jordanem: quintum cum Galilæis gentilibus, Ptolomæensibus: Tyrijs, & Sidonijs: sextū cum Carnaimitis, *& oppressa est Carnaim, & non potuit sustinere contra faciem Judæ:* septimum cum Ephronitis: Erat autem Ephron civitas munitissima quæ ei transitum negaverat, quam unius diei, & noctis obsidione cepit, *& eradicavit eam*, ait textus, *& accepit spolia eius, & trāsivit super interfectos:* octavum cum Idumæis, quorum urbes demolitus est, & turres succendit: nonum cum Samaritanis: decimum cum Palestinis maximè Azotijs, quorum aras, & simulachra succendit: Et hæc sunt prælia Judæ Machabæi sub Antiocho Epiphane, cui successit filius, dictus Antiochus Eupator, cuius tempore Judas conflixit cum quinq; eius ducibus quos superavit.

Primus fuit Gorgias, cui juncti sunt Idumæi infensissimi Judæorum hostes, quos magnâ strage Judas affecit, occisis plusquam viginti millibus: Secundus dux fuit Timothæus, quem Judas adjuvantibus Angelis devicit, occisis viginti millibus hostium, & quingentis, non numerato equitatu: Deinde expugnata Gazara, & Timotheus interfectus: Tertius dux fuit Lysias, jam alias devictus, qui adversus Judam processit cum 80. millibus peditum, & universo equitatu: In primâ acie processit Machabæus alios adhortans. *Ibant igitur prompti, de cœlo habentes adjutorem, & miserantem super eos Dominum: Leonum autem more irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecem millia peditum, equites mille sexcentos: universos autem in fugam verterunt, plures autem ex eis vulnerati, nudi evaserunt:* Quartus dux fuit Timotheus, altero primo jam occiso, cuius exercitum constantem centum viginti millibus peditum, & bis mille quingentis equitibus, penitus confregit, interfectis triginta millibus, præter innumeros quos minoribus prælijs confecit: Quintus dux fuit Gorgias qui victus à Juda, fugâ se proripuit, sed Judas totam Idumæam cepit, eorum civitates subvertit, & ad tributum coegit: Expugnatis Eupatoris ducibus, cùm ipse pugnaturus venisset, cum innumero exercitu, & 32. elephantis, Judas cum tantâ fortitudine expugnavit, ut multis in eius exercitu interemptis, eum ad pacem petendā coegerit:

Nō minora fuere ipsius facinora sub Rege Demetrio, Nam cùm Bacchides & Alcimus venissent cum magnis copijs, certaturi cum Juda, visâ eius constantiâ, non ausi sunt congredi: Demetrius itaque secundum ducem misit Nicanorem cum exercitu, cuius quinque millia occidit Judas: sed cum altero prælio rem tentasset, ad 30. millia Judas peremit, & in fronte exercitus Nicanorem ipsum aggressus, ut ait Gorionides, in duas partes dissecuit, eiusque caput abscissum, & dexteram quam in templum extenderat, misit in Jerusalē, & blasphemam linguā minutatim concisam, avibus dedit edendam: Ultimum Judæ prælium omnium fuit gloriossimum cùm Bacchidem & Alcimum cum exercitu triginta millium, aggressus est cum octingentis tantùm militibus, & illorum quindecim millia cōfregit: Sed ut ait S. Amb. lib. 1. Offic. cap. 41. dum fugientes sequitur, à tergo vulneri locū præbuit, ita gloriosiorem triumphis mor-

mortem invenit : Certè nihil istâ militari fortitudine generosius dici potest.

Sed audeo dicere plus me admirari fortitudinem septem fratrum Machabæorum qui sub Antiocho Epiphane martyrium cum suâ matre subierunt, vel ipsâ Scripturâ judice quæ dicit Proverb.16. *Melior est patiens viro fortis, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium*: Siquidem ut ait Ambros.1.Offic. cap.41. Illi armati (de Iuda loquitur, Ionatha, & alijs fratribus) istisine armis vicerunt:stetit invicta septem puerorum cohors,regijs cincta legionibus; defecerunt supplicia, cesserunt tortores,non defecerunt Martyres.Sed enucleatiùs rem exponamus.

1. Igitur vide inter quos sit certamen : ex unâ parte stant septem pueri, & Mater jam ætate profecta: Nazian. orat.22. Septem fratres unius animæ vinculo constricti: Cyprian.in exhort. ad Martyres cap.9.Septem fratres,natalium pariter & virtutum sorte consimiles, septenarium numerum perfectæ consummationis implentes : Nazian. Ibi fortes & magnanimi filij, nobilis Matris, nobiles soboles, alacres veritatis pugiles , sinceri Mosaïcæ legis discipuli , exacti patriorum rituum custodes,unum spirantes, unum ad vitam iter, hoc est, mortem pro lege Dei oppetitam agoscentes,non minus animis , quam corporibus fratres , mortis causâ inter se æmuli : Illic fortis & strenua mater filiorum simul & Dei amans. Ex alterâ parte Antiochus cum toto exercitu multarum nationum victore,in propriâ sua urbe,quam de suo nomine vocavit Antiochiam. Ambros. lib.2.de beatâ vitâ cap.9.Stetistis inter exercitus Regios , quibus totus fuit orbis terrarum subactus , quos India quoque inextremi maris secreta refugiens declinavit, & solide Rege superbo, sine bellico conflictu victoriam reportastis, vicerunt in vobis sola arma pietatis. Iam vide quæ differentia sit inter prælia Iudæ Machabæi & istorum:ille armatus pugnabat,isti sine armis;ille cinctus militibus,quorum cum illo comune periculũ fuit, isti numero septem cum Matre; in exercitu Iudæ plures fugerunt, hostium multitudinem expavescentes, hic nemo aufugit, sed ut ait Nazianz. quemadmodum ortu,ita etiam morte fratres apparuerunt, omnes tanquam unus, & singuli tanquam omnes periculum subierunt.

2. Vide apparatum pugnæ : Nam Antiochus in medium protulit, varia multiplicium tormentorum instrumenta,flagra omnis generis,funes, catenas catastas, equuleos , rotas luxandis artubus accommotatas, ferreas ungulas, cultros,gladios,ollas ferventes, sartagines,oleum,ignes & incendia, tortores, militem, populum, carnificinam: Pueri ex adverso,legis præcepta,Eleasari instituta,Patrum exempla, Matris exhortationes,Dei conspectum,Angelorum theatrum, religionis sanctitatem,firmum propositum,generis nobilitatem, suam educationem; Dei promissa,cœlum,beatitudinem : Rectè dicit Amb.lib.2.de Iacob.cap.2. Collige suppliciorum instrumenta proposita : meditationem patientiæ , non terrorem inscitiæ afferunt, dum videntur.

3. Sicut

3. Sicut in prælijs præcedunt ducũ adhortationes,& militum clamores,& tubarum clangor, quibus omnes incẽduntur ad pugnam, ita nec in hoc certamine defuerunt: Quid non egit Antiochus ùt timeretur? quas minas non adhibuit? sed vbi vidit non succedere minas, immò neque ipsa tormenta, ad preces, & ad promissa descendit: Sed eius minæ neglectæ, & delusa promissa, unde majori irâ accensus est, *Indignè ferens*, ait Scriptura, *se derisum*. Quis hic referat quibus verbis se invicem fratres generosi cohortrati sint? Naziãz. Orat. 22. Amplectebantur se mutuò, atque exosculabantur, non minùs lætis animis, quàm si jam ad certaminum finem, ventum esset: Eamus ad pericula fratres, clamabant, Eamus, properemus, quamdiu fervet adversum nos tyrannus, ne fortè molliatur, atque ita salutis jacturam faciamus: Nemo nostrûm huius vitæ cupidus sit, nemo ignavus, ac timidus: perficiamus, ut cum in nos tyrannus inciderit, de cæteris desperet: periculis ille quidem ordinem imponat, nos sequemur. Nam primus, alijs erit via, postremus, certaminis sigillũ: Demus operam, ut quemadmodum ortu, ita etiam morte, fratres appareamus: omnes tanquam unus, & singuli tanquam omnes periculum subeamns: Eleasare suscipe, Mater sequere. Quæ verò ad tyrannum dixerunt tanta sunt, ait Nazianz orat. 22. & tantum continent sapientiæ & animi magnitudinis, ut aliorum præclara facinora, in unum locum collata præ eorum constantiâ, & fortitudine perexigua videri possint: ut illorum hæc propria sit laus, quod ijdem, & ita cruciatus exceperint, & tantam sapientiam exercuerint in responsionibus ad pre secutoris minas, injectosque suppliciorum terrores. Sed supra omnes mirabilis fuit mater, filios suos adhortans: sic enim loquitur Scriptura 2. Machab. cap. 7. *Supra modum autem Mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna, quæ* &c. *singulos illorum hortabatur voce patriâ fortiter, repleta sapientiâ: & fœmineæ cogitationi, masculinum animum inserens, dixit ad eos: Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donavi vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordiâ reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius.* Eodem sensu Cyprianus in exhort. ad Martyres: Deprecata est illa; sed ut decebat Martyrum matrẽ, ut decebat legis, & Dei memorẽ, ut decebat filios suos, non delicatè, sed fortiter diligentem: armans itaque eos, & corroborans, & feliciore tùm partu filios generans. Sed præcipuè cùm natu minimum jam solum superstitem tyrannus emollire promissis conabatur, quem priorum tormentis, & funeribus terrere non potuerat, ostensis ei uberibus quibus eum novem mensibus lactaverat, sic eum affata dicitur 2. Machab. cap. 7 *Fili mi miserere mei, quę te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatẽ istam perduxi. Peto nate, ut aspicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt: & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: ita fiet ut non timeas*

carnificem istum; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione, cum fratribus tuis te recipiam: Ambros. lib. 2. de Jacob. cap. 2. Tu solus superes fili, summa votorum meorum, tu postremus clausisti partus meos, tu postremus conclude gaudia mea: Miserere mei, quæ te in utero tot mensium curriculo portavi, & aspice in cœlum, unde spiritum hausisti, ad patrē omnium: aspice ad fratres qui collegam requirunt, aspice ad matrem, quæ tibi lac dedit, redde mercedem pij sanguinis: noli à fratribus, noli à matre divelli: temporales opus sunt, quas promittit Antiochus, temporales honores, perpetua corona quæ à Deo omnipotente defertur: Vos mihi septem dierum lumina dedit Dominus: sextum jam diem clausi, & omnium opera, bona valde, debes mihi fili, ut quæ in illis sex laboravi, in te requiescam septimo, tanquam à sæculi operibus jam feriata.

4. Sed hæ præludia sunt ad pugnam, videamus amborum certamen. Antiochus pugnavit tormentis, pueri fortitudine, & patientiâ: Verum non simul omnes aggressus est, sed singulos sigillatim ut priorem supplicijs posteriores terreret: Et hoc cessit illis ad gloriam, ut sæpiùs vincerent, & ille sæpius vinceretur. S. Leo de Machabæis. Multiplicatæ sunt Martyrum palmæ, & dum singuli in omnibus vincunt, prçter coronas proprias, omnes acquisivere septem.

Primum supplicium fuit quod nudatos flagris & taureis singulos cruciavit, gravi sanè iniuriâ nobiles adolescentes, non servorum modò sed reorū pœnâ afficere: Hęccine sunt ea tormēta quæ tantoperè minabaris? Nos tractas more puerorum, cum virgis constantiā nostram probas: aut alia tormenta excogita, aut hęc scias à nobis contemni. Expectas fortasse ut orationem retexamus? Immò vero sæpius idem repetemus: Cibis impuris non vescemur: Non dabimus manus: citiùs nostra veneraberis, quā ut nos tuis cedamus: 2. Machab. 7. *Quid quæris, & quid vis discere à nobis? parati sumus mori magis quàm patrias Dei leges prævaricari:* Non tulit tyrannus tantā loquendi libertatē: Itaq;.

2. Jussit loquentibus linguam extrahi & amputari. Ambrosius lib. 2. de Beatâ vitâ cap. 2. Et ille exclamans, victus es Antioche qui organū vocis abscindi jubes: confessus es te respondere nō posse rationi, majoraque probas linguæ nostræ flagella, quàm tua verbera: Nos enim tua verbera non timemus, tu nostræ vocis flagella non potes sustinere, &c. Sed etiam lingua sublata, gravius te suo cædens murmure flagellabit: Evadere te putas Antioche, si vocem eripias? & tacentes Deus audit, & magis audit. Ecce aperui os meum, laxans linguam meam: Abscinde linguā, sed non abscindes constantiam, non virtutem auferes, non rationem obliterabis, non eripies testimoniū veritatis, non eripies cordis clamorem: si lingua amputatur, sanguis clamabit, & dicetur tibi, vox sanguinis fratris tui clamat ad me: audit enim sanguinis vocē, qui audit internas cogitationes: quid verba damus? loquaciora sunt vulnera: & si vulnera tegantur, & si abscondatur cicatrix, non absconditur fides: Nec tamen plaudas quod auferendo linguam, con-

confessionem laudis eripias: satis jam Deum sermone laudavimus, nunc passione laudemus: Primum itaque sacrificium fuit lingua, quod, ut ait Cyprianus in Exhort. ad Mart. Martyri gloriosius contigit, lingua enim, quia prior confessa Deum fuerat, prior ad Deum debuit proficisci. Quod in uno præstitum, in alijs factum est, itaque *tertius linguam postulatus cito protulit.* Cyprianus, Nam pœnam linguæ explicandæ, jam didicerat à fratre, contemnere.

3. Abscissę linguæ officium liberæ manus implebant, nec gestum ferre potuit, qui vocem non potuerat. Itaque jussit & manus & pedes pueris præscindi: Cyprianus in exhort. ad Mart. Manus quoque amputandas cõstanter extendit, multum beatus genere isto supplicij, cui contigit extensis ad pœnam manib' passionis dõminicæ instar imitari.

4. Quod neque lingua nec manus loqui poterant hoc vultus decor & majestas loquebantur: quid faciat tyrañus? jussit cutem capitis cum capillis extrahi: sed ut ait Ambros. 1. Officiorum cap. 41. Ille corio capitis exutus, speciem mutaverat, virtutem auxerat: Idẽ lib. 2. de Jacob cap. 2. Cùm detraheretur membrana capitis, hæc apud se cogitabat, aufertis quidem membranam, sed habeo galeam spiritualem, quam non potestis auferre: Et vero hanc galeam nemo auferre potest, sicut posteà docuit Apostolus in Ecclesiâ Domini, quia caput viri Christus est, & eius sumus membra; unde sie philosophatur Cyprianus in Exhort. ad Mart. cutẽ capitis cum capillis detraxit, odio scilicet certo: Nam cum caput viri sit Christus, & caput Christi Deus, qui caput laniabat in Martyre, Deum & Christũ persequebatur in capite: Verum quod integrum restabat in corpore, suâ voce non carebat, unde tyranno captata est occasio novi supplicij quod in illâ voce agnoscit Ambrosius in 2. lib. Machab. cap. 7. *similiter torquentes.*

5. Itaque, ut ait idem lib. 2. de Jacob cap. 2. Jussit quartum venire ad rotam, ut eius vertigine membris omnib' solveretur. Theophilus Alexandrinus epistola 3. Paschali: frangebantur ossa, & volubili rotâ, omnis compago nervorum, atque artuum solvebatur: At ille dum torqueretur immaniter, ait Ambros. loc. cit. dissolvis (ajebat) corporis membra, sed adjungis gratiam passioni, nec eripis solatium morti: Est enim *vox tonitrui in rota,* quia in bono, & inoffenso vitæ istius cursu, cœleste resultat oraculũ: itaq; illud quod legi, nunc manifestius recognosco, quia rota intra rotam currit, nec impeditur: teres enim vita sine ullâ offensione, in quavis passione versatur, & intra hanc quoque rota currit: currit lex intra gratiam, & observantia legis intra divinæ curriculum misericordiæ est: nam quò magis volvitur, plus probatur: potius est hîc ab impijs adversa tolerare, ut ibi à Domino consolationem invenire possimus. Sed quoniam pro membris jam vulnera loquebantur, ut membra, & vulnera aboleret.

6. Ignem omnibus admoveri jussit: Ambros. lib. 2. de Jacob cap. 2. Quintus cum sisteretur, cæso prius eidem jussit ignes admoveri, subijci, incendi: Manabat è vulneribus cruor, & effossis ulceribus, sangvis effusus ipsos flammarũ extinguebat globos: at ille inter flam-

filiorum agmina, tanquam pia anima, sui membra corporis in filijs offerebat, &, per artus proprios videbatur sibi subire tormenta, &c. Cadebant filij tormentis exulcerati: mortui super mortuos advolvebantur, corpora super corpora volutabantur: capita super capita exsecabantur: refertus erat locus cadaveribus filiorum: non flevit mater, non lamentata est; non oculos cuiusquam pressit, aut ora morientis: non lavit vulnera, sciens gloriosiores esse, si eviscerati, & concreti pariter pulvere, & sanguine viderentur, quales solent de bello redire victores, qualia solent trophæa ex hostibus portare: Non superjacienda velamina, non prosequendas exequias, nisi suo quoque comitatu mortis arbitrata est. Nazianz. orat. 22. Cruoris guttas rapiebat, fragmenta membrorum excipiebat, reliquias adorabat: hunc colligebat, alium porrigebat, alium parabat, omnibus acclamabat.

Qualiter autem ipsa se in proprio Martyrio gesserit, nemo mortalium satis eloqui potest, itaq; uno verbo quasi compendio absolvit Scriptura 2. Mach. cap. 7. *Novissimè autem post filios mater cõsumpta est*: Neque enim ait Cypr. in exhort. ad Mart. aliud jam decebat, quàm ut quæ Martyres pepererat, & fecerat, in consortio illis gloriæ jungeretur, & quos ad Deum præmiserat, ipsa quoq; sequeretur: alioqui plenum non fuisset sacrificium: unde, ut ait Amb. de Jacob cap. 2. pia mater, supplemẽto passionis adjuncta est, quæ in talib⁹ filijs integrã pietatis formã, & parturivit & peperit: Quare, ut ait Nazian. orat. 22. ipsa se supra omnia collocans, impetumq; animi cum amore cõmiscens, pulchri cuiusdam funebris muneris loco, seipsam liberis obtulit, ac prægressos secuta est.


Modum mortis non eodem modo omnes narrant: Refert Senens. lib. 5. Biblioth. fuisse aliquos qui præ gaudij magnitudine mortuam dicerent: ob filiorum triumphum: Gorionides ait expansam super filiorum cadavera, & à Deo deposcentem ut filios sequeretur, sic expirasse: Josephi liber Græcus ait ipsam, ne virorum quispiam corpus eius attingeret, in extructum se se rogũ abjecisse, & ita avolasse post filios: id fortasse significavit Scriptura, cũ dixit, *Novissimè autem post filios & mater consumpta est*: Verùm in versione latinâ libri eius de Machabæis, legitur raptatam, nudatam, laceratam, manibus in altum ligatis, uberib⁹ sauciis flagellatã flamivomæ tandem sartagini addictam: ô mulierẽ masculis omnibus ad tolerantiam generosiorem! Idem exclamat, ô viris ipsis ad patientiam viriliorem!

Quid hîc censes, mi Auditor, quid judicas? si nosti quid sit fortitudo, an tibi infra Judam Machabæum videntur septem pueri Machabæi? an non supra omnes tibi videtur esse Machabæorum mater? an non verum quod dixi, plus esse fortitudinis in tolerando, & patiendo, quàm in aggressione? Quid igitur ignavos eos putas qui injurias toleranter patiuntur, qui condonant, qui ignoscunt, qui eos à quibus sunt offensi primi requirunt, qui benefaciunt illis quos habent persecutores, uno verbo qui inimicos diligũt?

Tu in eo ponis generositatem, si quis nihil ab alio patitur, si quis injurias reponit : si quis se aliis formidabilem reddat: isti sunt mundi generosi, isti fortes, isti magnanimi : sed Christus aliter judicavit: aliter sanxit, aliter fecit, aliter suos docuit : vide quo potius in judicio stare debeas, an Christi an mundi? cui tandem parere debeas, an mundo an Christo : An putas si se ulcisci esset generosum id Christus prohiberet ? Si actus esset verè fortitudinis, id Christus damnaret ? an putas si patienter injuriam tolerare, esset ignaviæ, id ipse nobis præciperet, id mercede afficeret, id laudaret, id prædicaret, id suaderet, id ipse præstitisset ? Sed inquies, id mihi est impossibile: Cur tandem ? quia in hoc meipsum vincere non possum: Vide quomodo ignaviam cogeris fateri, & impotentiam : non igitur parcere est ignaviæ, non igitur vindicare se est fortitudinis. Hinc agnosce nihil generosius Evangelio, nihil vero Christiano fortius, nihil doctrinâ Christi sublimius. Humilitatem docet, quia omnes huius sæculi honores contemnit: suadet paupertatem, quia nullas esse putat divitas quæ sunt temporales, sed tantum æternas : mortem non esse timendam, quia ad meliorem vitam est transitus : non eos esse timendos qui tantùm possunt occidere corpus, quia bonum esse hominis non spectat corpus, sed animam ; non est huius vitæ, sed futuræ : eos qui nos persequuntur non ut hostes, sed ut amicos esse aspiciendos, quia nobis plus afferunt emolumenti, quàm damni : plus prodesse inimicum, quàm amicum, meliora enim sunt vulnera quam oscula, melius est dare quàm accipere, pati, quàm agere, & injuriis affici quàm laudari : unde hæc Christi consilia, Matth. 5. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, & ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo, & alia duo* : Horum omnium ratio est, quia quò aliquid est difficiliùs, eò etiam & perfectius est, & majorem mercedem meretur profectò in cœlis : quò nos gratia sua deducat JESUS CHRISTUS,

Amen.

FERIA



FERIA SEXTA CINERUM

CONCIO SEPTIMA

DE DILECTIONE INIMICORUM.

Quòd meliùs famæ consulatur ignoscendo, quàm se vindicando.

Diligite inimicos vestros. Matth. 5.

CUM multa hactenus circa injuriarum ultionem, contra communem legem mundi ostenderimus: 1. quidem, facilius esse parcere, quàm ulcisci. 2. plus peccare qui refert, quàm qui infert, injuriam. 3. quòd ea sit omnium optima ratio sese ulciscendi. 4. quòd injuriarum condonatio non sit actus ignaviæ, sed fortitudinis: ultimum mihi hodie superest ostendendum, injuriarum condonatione, plus famæ & honori satisfieri, quàm vindictâ & ultione: quidquid innumeris mortalibus contrarium videatur, qui passim existimant indecorum esse, & gradu nobilitatis indignum, vel injuriam acceptam condonare, nisi is qui fecit, planè satisfecerit; vel injuriæ irrogatæ vindictam, per publicam potestatem quærere: sed tùm demùm qui offensus est, integrum suum honorem servare, si sibi ipsi factus judex, privatâ authoritate se ulciscatur: quę mala persuasio, quia altissimas in hominū animis radices egit, ut illi nos opponamus, non nostris tantùm viribus, sed cœlestibus etiam depugnandum est: & ut illas habeamus, opem à Deo accersamus, Beatæ Virginis precibus, & intercessione. *Ave Maria.*

AD arcem difficultatis pervenimus circa id quod attinet ad injuriarum aut condonationem, aut vindicationem, cùm jam res illa spectet id quod in rebus humanis putatur esse maximum, honorem scilicet, secundùm illud Sapientis Proverb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*: cuius qui sunt capacissimi, & qui in vitâ illum propriè spectant, summum ferè in eo collocant, ut injuria impunè non

inferatur, præsertim si habeat aliquid dedecoris, ut est contumelia; idque ex communi hominum etiam sapientum existimatione, & ex eorum iudicio, qui veri honoris, & veri dedecoris sunt arbitri; unde apud multos duellorum justificatio, atque defensio: idque fuit quod potissimùm ab adversario nobis objectum est: adversùm quos omnes hoc unum contendo, eum qni parcit, plus famæ & honori suo satisfacere, quàm qui ulciscitur.

Probatur 1. quia absolutè loquendo nullus honor est in se vindicando, & nullũ dedecus in parcendo. Prima pars probatur; qnia cùm honor sit bona de altero existimatio, certum est nullam esse bonam de altero existimationem quòd se vindicet. Ratio est; quia nulla potest esse bona existimatio, si non sit de re bonâ, & honesta, qualis non est vindicta: etenim ila actio non potest esse bona, & honesta quæ injusta est. Vide autem multiplicem vindictæ injustitiam. 1. Quòd sit contra leges divinas, & humanas: nihil enim frequentius est in Sctipturâ, quàm prohibitio vindictæ: Matth. 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Roman. 12. *Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus.* Item: *non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locũ iræ.* Item: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.* Item: *Noli vinci á malo, sed vince in bono malum.* Levituci-19. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*: & alibi passim præcipitur patientia injuriæ, & prohibetur vindicta: leges autem humanæ id passim prohibent, & puniunt; unde adversùs duella, tot Edicta Regum, & severæ Iudicium. & Tribunalium punitiones: & certè meritò, alioqui omnia complerentur, si unicuique liceret per seipsum ius suum repetere: nec sufficit dicere: multa prohiberi legibus propter abusum multorum, qualis est vindicta per seipsum, quæ alioqui speculative licita est, licet practicè in aliquibus sit illicita propter abusum, quo sublato, omninò licita est etiam practicè; nam veritas de æquitate alicuius actionis est practica: itaque illa actio ex natura rei, potest ad praxim licitè redigi; etiamsi ex eius praxi, multa & graviora per accidens sequantur incomoda. Non inquam hoc sufficit dicere; quia eiusmodi incommoda per accidens tantùm consequentia ex frequenti exercitio, alicuius actionis, quę alioqui ex naturâ rei videtur licita, sunt causa iustissima, ob quam Respublica eiusmodi actiones gravissimè prohibere possit? Quæ autem leges eiusmodi actiones periculosas prohibent, in universum obligant, etiam quando periculum abesse iudicatur: alioqui periculũ quod efficaciter vitare conantur, non evitarent; unoquoque sibi indulgente persuasionem absentiæ periculi; cùm tamen pauci sint, qui pericula omnia prævidere semper, & præcavere queant; quâ de causâ legum adminiculo opus est, quæ comunes scientiæ & prudentiæ defectus suppleant. Eæ autem extare, & obligare censendæ sunt, ubicunque puniri solent eæ actiones periculosæ: cùm itaque in omni benè ordinatâ Republicâ, eiusmodi actiones puniantur, eæ saltem iure positivo prohi-

prohibitæ esse censendæ sunt, ita ut nullo casu ad praxim redigi possunt: & proinde cùm illud quod contra leges fit, sit illicitum; sequitur ultionem per seipsam esse illicitam, & consequenter non esse bonam, & ita non pertinere ad bonã æstimationem, & consequenter neque ad honorem cum, ut diximus, honor sit bona de alio æstimatio, & ut bona sit, debeat esse de re bonâ, & honesta.

2. In eo est injustitia, quod qui se vindicat, usurpat authoritatem publicam, quæ ad Magistratum pertinet; nã si non licet alienas fores infringere, ut tua repetas quæ ablata fuerunt, eodem modo non licet illatam tibi injuriam privatâ vindictâ ulcisci, alioqui multa injustè fierent, & omnia cædibus complerentur. Neque in contrarium facit, dictum illud commune, Vim vi repellere licet; itaque licet etiam injuriam injuriâ repellere; undi licet se ulcisci.

Nota enim 1. quando dicitur, Vim vi repellere licet, non ita esse accipiendum, ut licitum sit ei qui nos læsit, aut nobis intulit injuriam parẽ vim inferre post acceptã injuriã; hoc enim esset exercere actum justitiæ vindicativæ, qui nõ est privatæ, sed publicæ potestatis: sed sic accipiendum est, ut ante acceptam injuriam, licitum sit exercere actionem aliquam alteri violentam, quâ impediatur ne nobis faciat injuriam: unde jus illud vim vi repellendi non respicit injuriam factam, sed faciendam, ut impediatur ne fiat.

Nota 2. ius illud impediendi injuriã faciendam, non respicere quamcunque actionem injuriæ impeditivam, sed impeditivam illius per modum defensionis: neque enim quæritur, ut alium lædas, sed ut te tuearis; quod si aliter facere non potes, nisi alium lædas, lædere potes, id usurpando, ut mediũ tuæ defensionis.

Nota 3. ius se se defendendi tempore præsenti supponere aggressionem completam, vel certè inchatam tempore præsenti.

Probatur; quia defensio supponit aggressionem, igitur ius se defendendi tempore præsenti, supponit aggressionem tempore præsenti, si non completam, saltem inchoatam; unde ius vim vi repellendi dicit duplicem ordinem, scilicet ad aliquod factum, & ad aliquod faciendum, ita ut illud ius fundetur in aliquo iam facto, & ad aliquid post faciendum ordenetur, per oppositionem scilicet impedimenti quo prohibeatur, ne id quod alioqui fieret, executioni mandetur. Hinc sequitur quod non licet, eum qui percussit, & fugit, occidere: quia cùm injuria iam facta sit, non est injuriæ repulsio; sed illatio, seu vindicta, quæ semper prohibita est. Item non licet malè tractare eum, qui de nobis detraxit in re alicuius momenti; quia cùm injuria jam facta sit, non est ampliùs justa sui defensio, sed ultio: & in universum non licet factam injuriam ulcisci. Manet itaque probatum quod dixi nullum esse honorem in se vindicando, cùm verus honor sit bona de alio existimatio bona autem illa existimatio sit de re bonâ, & laudabili seu honestâ, qualis non est vindicta, quæ & prohibita est, & illicita.

Secunda pars, nempe, nullum esse dedecus in parcendo, Probatur 1. ex communi hominum sensu, qui illud existimãt esse supra humanam conditionem: etenim quilibet se potest ulcisci, cùm ad id sufficiat solius naturæ impetus, uti patet in feris, & in pueris; itaque ad id non est opus, aut adhortatione, aut institutione, aut præmij pollicitatione; sed sola natura sufficit, sine additione virtutis, at parcere paucorum est, & ad id opus est totâ virtute, unde in ore omnium solet esse commune, id pati non possum, id ferre nequeo, hoc superat vires meas, illud est supra humanam virtutẽ: itaque se vindicare, infirmitatis est; sed parcere, potestatis & virtutis, eiusque non communis; adeo ut ignavus quisque se ulciscatur, aut si de facto non potest, ulcisci se desideret, cùm parcere sit animi exaggerati, & supra mortales evecti, qui nec iræ cedat, nec injuriæ. De Deo sic pronunciat Ecclesia, quòd parcendo ostendat omnipotentiam suam: & Sapiens Sapientiæ 11. *Misereris omnium, quia omnia potes*: cur non de homine id dici potest? cui præsertim magna de seipso victoria referenda, magna de irâ & de sensu naturali, quem in animalibus, in pueris, & in amentibus videmus: igitur nullum est in parcendo dedecus.

2. Probatur; quia uti in alia concione ostendimus, ignoscere injuriam non modò non est ignaviæ, sed etiam actus est summæ fortitudinis, quæ potiùs in patiendo consistit, quàm in agendo, uti ostendimus ex doctrinâ Philosophi.

At primò multi contrarium opinantur, qui injuriarum tolerantiam vocant ignavjam, & ultionem interpretantur fortitudinem: id ego novi, sed miror te hominum opinione commoveri, quam omnis sapiens contemnet: scio commũe id esse malum inter homines, ut se hominum opinione commoveri sinant; unde Antoninus Imperator lib. 4. num. 9. Omnia opinione constant: verùm ita remedium subijcit, hoc autem est in tuâ potestate. Tolle igitur cúm lubet opinionem, eruntque tibi, tanquam promontorium prætervecto, omnia serena, & sinus fluctibus vacans. Eòdem pertinet quod ait Seneca epi. 13. Plura sunt quæ nos terrẽt, quã quæ nos premãt, & sępius opinione, quã re laboramus: citò accedimus opinioni: nõ coarguimus illa quæ nos in metũ adducunt, nec excutimus, sed trepidamus, & vertimus terga; quemadmodum illi quos pulvis, motus fugâ pecorum, exuit castris, aut quos aliqua fabula, sine authore sparsa conterruit. Nescio quomodo magis vana conturbant; vera enim modum suum habent, quidquid ex incerto venit, conjecturæ & licentiæ paventis animi traditur. Id certè in nostrâ materiâ contingit, nam in hoc vana est opinio, nullo nixa fundamento: itaque contemnenda est ut falsa omninò morum regula.

Secundó, movit te opinor vox opinionis, ut eam reciperes, sed ne noceat verbi invidia, rem premo strictiùs, & aliquid gravius oppono: multi, inquis, contra nos iudicant, & ignavum putant qui patitur injuriam, fortem qui

qui ulciſcitur: itaque primum inglorium eſſe,& infamiâ laborare: alium eſſe in honore:& hoc etiam novi. Sed primò,quinam illi ſunt qui ita judicant, certè aut vulgus ignarum,aut homines judicij corrupti,quales plerique in aulis reperiuntur,aut inter milites. Diſce ex Gegorio Nazian. orat. 27. quanti facere debebas eiuſmodi judicia, non diſſimilia illis qui vertigine correpti ſunt, quibus omnia moveri videntur, & ſuſque deque agitari:an non quibuſdam hominibus mel amarum eſt, nempe morbo laborantibus,maleque affectis; an propterea ita ſe res habent? fac prius fidem,ſanos eſſe qui ita ſentiunt, ac tum demùm illis aſſentiemur;ſed vide quàm paſſim malè judicent, ut non admodum eorum judicio ſtemus. Non igitur hoc nobis opponas,pleriſque ita videtur;quid enim mea intereſt,aitNazian. loco cit. qui rei veritatem ſolùm curo?hoc enim vel me condemnaverit, vel abſolverit; hoc miſerum, vel beatum reddiderit:ſed quid alijs videatur, nihil ad nos quemadmodum alienum ſomnium. Secundò: ſint aliqui qui ſic judicant, ſed illorum perverſo judicio, ipſius Dei judicium, & ſapientium judicium oppono. Jam vide cuius judicium cordatis hominibus pluris faciendum,magiſque curandum ſit, etiam ſi omnes homines in unum coacti eſſent. Audi quemadmodum ratiocinetur Nazian.orat.27.citatâ: Si tu duos homines,quorum alter eſſet acutior & ſagacior:alter autem imperitior & hebetior eſſet, de eodem negotio in conſiliū adhibeas, haud rectâ mente præditus videris, ſi relicto prudentis conſilio,judicium imperiti ſequereris: neque enim Roboam laudem ex eo conſecutus eſt,quòd pro nihilo habitâ Seniorum ſententiâ, Iuvenum conſiliis paruit:quantò magis id obſervandum, ſi Deus,& homines inter ſe expenduntur, ne judicia hominum potiora ducas quàm Dei? Certè judicium Dei tibi pluris eſſe debet, quàm omnium ſimul hominum. Ne igitur valdè commovearis paucorum judicio, qui certè non ſapiunt;neque enim ſapere dicendi ſūt, qui aliter ſentiunt,quam Sapientia divina, & qui ab eâ coarguuntur. Audi quid in cauſa longè inferiori ſcripſerit Seneca in fragmentis de remedio fortuitorum:Malè loquuntur de te homines, ſed mali: moveret ſi de me Cato, ſi Lælius Sapiens, ſi alter Cato, ſi duo Scipiones iſta loquerentur. Nunc malis diſplicere,laudari eſt: non poteſt ullam authoritatem habere ſententia, ubi qui damnandus eſt, damnat. Malè de te loquuntur;moveret ſi iudicio hoc facerent; nunc morbo faciunt: non de me loquuntur, ſed de ſe. Male de te loquuntur; benè neſciunt loqui: faciunt quod non mereor, ſed quod ſolent: quibuſdā enim canibus ſic innatum eſt, ut non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent. Quantò magis id tibi dicendum eſt, cùm accedit Dei ſuffragium, quo perverſa hominum ingenia corrigenda ſunt?

Tertiò: Verū quidquid ſit,aïs,benè vel malè opinentur homines, immò, benè vel malè ſentiant ac judicent,certè is eſt communis hominum ſenſus,& illud eſt quod inter homines vocamus, aut honorem, aut dedecus. Ita

Ita ne verò de rebus omnibus judicas, & hoc putas esse veritatem? Vide quã-tas absurditates contineat hæc regula. 1. Ut quæ falsa sunt, ea pro veris habeantur quantumlibet falsa sint, quasi opinio res ipsas emendet. Igitur falsa numina, veri Dij facti sunt, quia à pluribus credita sunt; igitur quia apud Ægyptios, Crocodili, Feles, Cœpe, & alia pro Diis culta sunt, vera facta sunt numina, & error, quia communis fuit, desijt esse error, & in scientiam, & certitudinem est commutatus. Quid necesse fuit ut lex Evangelica, & Apostolorum prædicatio, nos à tam multis erroribus vindicaret, si eiusmodi errores in veritates transierunt? Quid necesse fuit Apostolos in veritatis confirmationem suum sanguinem fundere, & tot terras sanguine suo tepefacere, cùm non jam errores, sed ipsas veritates impugnarent; Igitur nationes idololatræ non jã impiæ erant; & divinitatis impugnatrices, sed ipsi Apostoli impij fuerunt, qui credita ab omnib⁹ numina impugnarunt? Igitur & ipse Christus sceleratus fuit & impostor, quia sic à Judæis creditus est: & meritò ad mortem damnatus est, quia à pluribus damnatus, & habitus pro reo: nam ut ait Lucas cap. 18. *Exclamavit simul universa turba, dicent. Tolle hunc, & dimitte nobis Barabam, qui erat propter seditionem quandam factam in civitate, & homicidium missus in carcerem*: 2. Ut injusta habeantur pro justis, & ita apud quosdam populos, licuit filijs senes parentes interimere, & eorum carnibus vesci, quod existimarent honorabilius esse sic finere, quàm à vermibus comedi in sepulchris, & naturali fine decedere. Eodem modo licuit parentibus filios recenter natos volucribus & feris exponere, aut si debiles essent, aut mutilati, aut si tanto numero essent liberi, ut commodè nutriri non possent: Ita licuit apud Persas matribus concumbere: Athenis cum sororibus inire matrimonia, quoniam sic fieri posse existimabant, & alia sexcenta eiusmodi, quæ non modò, minora mala non sunt, aut etiam bona, quia communia sunt, ut etiam majora sint mala, quia communissima sunt: hæc est enim natura bonorum, & malorum, ut eò majora sint, quò sunt extensiora; quia ad plures se diffundunt. Eiusmodi est ista opinio communis de ultione, quasi non modò licita sit, sed etiam honesta, contra Christi doctrinam, & Evangelij effata: nam si res foret honesta, non modò Christus eam non prohiberet, sed & commendaret, & juberet, quod contra factum videmus. Et in universum loquendo, ita videmus contingere, ut quæ communissima sunt, ea minùs vera sint & probata: unde Apostolus vocat prudentiam carnis, mortem, & sapientiam huius Mundi dixit esse inimicam Deo. Ne igitur dicas cõmunem hominum sensum, verum esse honorem, & contrariam hominum opinionem, verum esse dedecus, cum nec verus honor esse possit, neque verum dedecus, nisi sensus sit verus, & opinio vera; illa autem vera non sit, si non fuerit conformis judicio Dei, quod est prima veritas. Etenim cùm judicia humana per se non sint infallibilia: (alioqui in illis nunquam esset error, quod dici

dici non poteſt, quoniam contradicto-ria ſimul vera eſſe poſſent, cùm videamus quæ apud alios probantur, apud alios improbari; nam apud Iaponios nemo inter Nobiles, vindictam injuriæ interpretatur actum fortitudinis, ſed ſi alicui Rex imperarit ut ſeipſum interimat, ignaviæ adſcribetur, ſi aliquis id facere detractarit, cùm apud nos contraria judicentur:) hinc ſequitur certitudinem judiciorum noſtrorum aliunde petendam eſſe, Igitur à primâ judicandi regulâ quæ eſt prima veritas, quæ in rebus plurimis nobis nota non eſt, niſi per revelationem, quæ in Evãgelio nobis facta eſt; in quo legimus laudatam injuriam perpeſſionem, & Chriſti doctrinâ, & eius exemplo; & contra, ultionem ſemper damnatam, & prohibitam: unde juſta eſt damnatio contrarij ſenſus: Itaque non jam dedecus eſt in ſe non vindicando, non jam verus honor in ultione: ſed è contrario verus honor eſt in patientia injuriæ, & ſummum dedecus in ultione: Ac licet ſtulta Mundi ſapientia id irrideat, & ignavum vocet, quid id faciat, in glorium ac ſine corde ac ſenſu, illud tamen uſurpare mibi licet in hoc negotio, quod dixit Seneca epiſt 17. Mihi contingat iſte deriſus: æquo animo audienda ſunt imperitorum convitia, & ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemptus: & quantò magis id nobis Chriſtianis uſurpandum eſt, poſt Chriſti doctrinam, & exempla tam illuſtria? ſed nimirùm uti dicitur Ioan. 12. paſſim homines, *dilexerunt gloriam, hominum magis, quàm gloriam Dei.*

Quartò: Sed ſi ita eſt, nobis à comuni hominum cœtu exeundum eſt, cùm cõtra communem hominum ſenſum vivendum ſit: etenim aut nobis vivendum eſt uti alij ſolent, aut ab illis diſcedendum.

At primo: Quid moraris hujus communis ſenſus injuſtitiam, cùm ei repugnent omnes Scripturæ, & Chriſti doctrina? Ne ſinas itaque te vinci, & abſtrahi communi errore, ſed potiùs perſuaderi te ſinas à Chriſti doctrina: Nonne in omnibus rebus fidei ita te geris, ut non movearis vel ſenſu, vel conſuetudine, vel judicio humano, vel rationibus apparentibus, ſed omnia dones authoritati divinæ, credendo etiam incredibilia? cur non idem facis in ijs quæ ad mores pertinent? Nam hæc non minùs ad fidem pertinent, quàm quæ proponuntur ſolùm credenda intellectu: ſed illis alijs præter fidem debetur actio, & praxis vitæque conformitas.

Secundò: Vnde fit ut in rebus plurimis ad vitam pertinentibus, non admodum curemus hominum judicia, & ſenſus, in illis autem quæ ad mores, & virtutem pertinent, ea tantùm timeamus; niſi quia virtutem erubeſcimus, & malis noſtris affectionibus patrocinium quærimus? Memineris dictum fuiſſe à Chriſto Matth. 11. *Et beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Certe nemo Chriſtianus debet Chriſti Evangelium erubeſcere; illud autem continet omnem Chriſti doctrinam, cujus hæc pars eſt, Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, & benefacite his qui oderunt vos*: Et Lucæ 6.

Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram: Scilicet ut potius paratus sis secundam injuriam ferre, quam primam ulcisci:


Tertio: Quis nesciat in omnibus ferè rebus diversa esse hominum judicia, itàque in rebus omnibus, nos semper habituros, & adversarios, & faventes; & sic hoc unum sibi supe esse, ut rectè elegat quibus magis consentire velit? Quod si aliquibus hærendum est, cur non illis qui sapiunt, non autem illis qui non sapiunt? secundùm illud ad Roman. 12. *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* At Sapientes judicarunt, virtutis esse ignoscere, atque fortitudinis opus; è contrario autem infirmitatis se vindicare, quidquid contrarium vulgus insaniat, cuius judicium nemo prudens sequatur.

Quartò: Si aliter cum virtute vivere nemo potest quin recedat à communi hominum cœtu; in primis quid moraris, mi Auditor, quin mundum deseris, & longè ab hominum perversorum consuetudine te abstrahis? quin antra petis, ac deserta loca, & te in solitudinem abdis? Vide quo pacto Loth Angeli compulerunt ut à Sodomis exiret: Tibi dictum puta, quod olim cœtibus inclamatum fuit Arsenio, Fuge Arseni, fuge sæculum, tibi prospice, curre in solitudinem: Ecce quod ait Sanctus Joannes 1. epist. cap. 5. *Mundus totus in maligno positus est:* Quàm multi in sæculi fugâ salutem suam repererunt? Usque hodie Parthus tutus ab hoste fugâ est. Neque putes semper indecorum esse fugere: Christus ipse solus fugit in montem, cum intellexit se à populis rapiendum, ut Rex fieret: & suis Discipulis fugam consuluit, Matth. 10. *Cùm persequentur vos in civitate istâ, fugite in aliam*: Et certè, si ubi pestis grassatur, saluberrimum consilium est in fugâ, cur non idem tibi faciendum est, ut pessimas Mundi leges, & effata pestifera evites, ne te inficiant, & perimant.

Quod si sæculum ipso facto deserere non est animus, id saltem facito moribus, sensu, & doctrinâ: Imitare Apostolos quos ait Christus Joan. 17. remansisse quidem in hoc mundo, sed non fuisse de mundo: *De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo: Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo*: Esto sicut Loth habitans in Sodomis de quo scribit sanctus Petrus 2. Epistolâ cap. 2. *aspectu, & auditu justus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant*: Noli itaque vivere, aut sentire cum mundanis hominibus, sed tuam vitam dirige, secundum Evangelicas leges, & secundum Christi exempla.

Neque hoc satis, ut non sis de mundo, sed quia es in mundo & inter mundanos degis, non tantum alijs moribus vivas, sed etiam contrariis, certando cum mundo: & mundi principiis te opponendo, & factis, & doctrinâ: uti perpetua pugna fuit inter Jacob & Esau, & uti semper pugnavit Israël contra vicinas Nationes, donec eas penitus deleret: & ut dictum est Exodi 17: *Quia manus solij Domini, & bellum Domini erit contra Amalec à generatione*

ratione, in generationem. Quando veniet tempus, ut de adversariis victoriam reportes? *Confidite ego vici mundum*, non armis, sed patientiâ; non debellando, sed parcendo; non perdendo, sed miserando; non ultione, sed indulgentiâ, & condonatione; secundùm illud Joannis 12. *Et ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum: hoc autem dicebat, significans, quâ morte esset moriturus.* Sed quamvis ratio omnis deesset, credis ne te satis excusatum coràm Deo, quo minus obedias præcepto quod statuit tibi, non ulciscendi injuriam quam accepisti, & contumeliæ quæ tibi facta est. Potuit tibi mandata indicere, & iis annectere vitæ jacturam; quidni etiam honoris tui? Nonne eius Dominus est, æquè ac vitæ tuæ? Agitur, inquis, de honore tuo. Velim id quidem, quandoquidem ita vis, tametsi non verum istud est; at agitur etiam de suo; ut ipsi obediatur. Tuusne tanti est, quanti est suus? oportet ne tuum à te servari, suum perdi ab ipso? Est ne illum deperdere, pro causâ tam bonâ eum amittere? credisne posse te eum tueri contra ipsius voluntatem? nonne potest efficere mille viis ut eum perdas? 2. Reg. cap. 1. *Quicunq; glorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles;* Atqui, etsi amiseris, an non restituere illum tibi potest? Vitam potest reddere, redditque cum usurâ & lucro iis, qui pro ipso eam amisere: cur non potest restituere honorem ijs, qui pro ipso illum neglexerint? Attende quanam gloriâ eos honoravit, qui pro ipsius amore, honorem mundi aspernati sunt. Quo in statu posuit eos qui se abdiderunt ipsius causâ, utque ei magis placerent. Verum si vitæ præsentis dedecus, usque adeò te afficit ac movet, quonam modo poteris sustinere alterius vitæ dedecus, quod æternum est. Iidem homines quorum existimatio tibi nunc tam pretiosa est, opinionem mutabunt, atque ij, qui te laudaverint, te vituperaturi sunt: qui de te benè senserint, te contemnent: primum fuerit in tempore, alterum in æternitate futurum est. At quod pluris interrit, est honor aut dedecus, approbatio vel reprobatio, existimatio aut contemptus, quæ quidem expectare debes à Deo, cuius in solo judicio stabitur, cuius sola cognitio erit communis, cujus sola existimatio erit æterna, tuaque infelicitas vel beatitudo extrema & summa, tuaque ultima, & consummata miseria in inferis, aut felicitas in cœlo, quò nos perducat Pater, Filius & Spiritus sanctus. Amen.



FERIA SEXTA CINERUM,

CONCIO OCTAVA

DE DILECTIONE INIMICORUM,

In quâ agitur de Duello.

Diligite inimicos vestros. Matth. 5.

IN morbis diutinis, & pertinacibus, ait S.Chrysostomus, non sufficit semel aut bis remedium attulisse, sed opus est multâ & frequenti curatione: eiusmodi est appetitus vindictæ, qui ex omnibus morbis difficillime curatur, ut nimis frequenti experientiâ comprobatur: undecunque id proveniat; sive ex amore sui, sive ex appetitu gloriæ & laudis: seu ex vulgari hominum opinione, seu denique ex malâ institutione, & educatione, & communibus sermonibus, cùm id passim laudari audimus, & contrarium aut contemni aut damnari: Quare non sufficit nobis, eâ de re aliquoties differere, sed sępiùs res est tentanda, & remedia undecunque adhibenda, præsertim cùm ad extremum illud servaverimus, quod est omnium difficillimum, quod priusquam vobis aperiam, auxilium à cœlo petendum est, certè non meliori interposito, quàm ipsius Virginis. *Ave Maria.*

INTER detestabiles, & abominandos effectus, quos inter homines peperit appetitus vindictæ, omnium deterrimus est Duellorum usus; de quo nobis uberiùs, & ex professo disserendum est.

1. Quia maximo malo occurrendū, cuius hactenus cursum, nec legum civilium authoritas, nec Principum edicta, nec minæ intentatæ, nec supplicia irrogata, nec bonorum proscriptiones, nec exilia, nec pœnæ capitales; nec excommunicationes Pontificum, nec anathemata & fulmina Ecclesiæ, nec sepulturæ privatio, nec mortis periculum, nec certa damnatio, nec Dei timor & reverentia, retardare potuerunt.

2. Quia hic error ferè apud omnes, sed Maximè apud Nobiles invaluit,

vix

vix aliam nunc supeream rationem sui honoris conservandi, quàm Duellum: atque inde licitum esse videri, cùm unusquisque naturale jus habeat sui honoris conservandi, præsertim cùm bonorum omnium summum sit honor, ut ait Aristoteles, & favet Scriptura.

3. Quia hoc malum latissimè vagatur, & admodum paucos non attingit: & quamvis videatur Nobiles tantùm spectare, qui ex eo quòd ad latus ensem gerunt, ideo sibi licere putant illum in suis dissentionibus, atque jurgiis distringere, ad omnes tamen ferè se extendit: Nam præterquàm quod illud plerique jam usurpant; non modò milites, & qui arma profitentur; sed etiam togati: non nobiles tantùm, sed etiam ignobiles, & quibus armorum tractandorum usus prohibitus est: nunc enim, & opifices, & servi, & famuli, & abjectissimi quique duello decertant, & suas inimicitias, atque rixas ferro dirimunt: ipsæ etiam mulieres, Ecclesiastici, & Deo dicati homines, immò & Religiosi, aut approbatione, aut laudibus, aut consilio, aut assentatione, aut partium favore, duella fovent, defendunt, extollunt, & in suis collaudant: immò ipsi Judices, & Principes postquàm aut duellorum reos condemnarunt; aut leges, & edicta tulerunt cōtra duellantes, posteà ipsos duellorum authores, & acceptatores laudant, & approbant: & quos duella refugisse, & recusasse sciunt, eos infamant ac spernunt; accusantque aut timiditatis, aut pusillanimitatis.

4. Quia neque desunt, inter conscientiarum rectores, atque arbitros, qui vel peccatum excusent, vel minuant offensam, immò qui doctrinâ ipsâ tantùm noceant, quantùm alij vel exemplo, vel injustâ laude, vel improbâ excusatione: docentes 1. tam licere oblatum sibi duellum acceptare, quam militi non fugere, sed resistere ferro dum eum aliquis aggreditur. 2. Tam posse nobilem illatam sibi injuriam, duelli provocatione repellere, atque ulcisci, si aliter non possit, quàm à raptore sua bona ferro repetere.

Quibus rebus ut medear, placet, hodie universam de duellis doctrinam tractare, ut quid in eâ re falsum sit, aut verum dignoscatis: quod dùm facio, hoc unum à vobis postulo, Auditores, ut mihi dicenti patientes aures præbeatis, neque huc mentem populari opinione præoccupatam afferatis: sed ut omnia suis momentis, atque ponderibus secundùm veram rationem expendatis, secundùm illud Christi Domini Joannis 7. *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate.*

Dico 1. Duellum in universam loquēdo nihil aliud esse, quàm unius, aut paucorum, cum unis alijs singulare certamen: unde dicitur Monomachia, seu cum uno solo decertatio, quâcunque tandem de causâ, & quâcunque authoritate suscipiatur: qui modus pugnandi, originē habuisse à Mantinæis Græciæ populis, dicitur: verùm apud omnes ferè nationes, nimiùm usurpatus est, fortasse apud Mantinæos frequentiùs, & ob suas lites dirimendas.

Dico 2. Duellum inter duos, vel paucos authoritate publicâ, ad vindicandam injuriam Patriæ illatam, aut ad eius defensionem susceptum, modò cæteras belli conditiones habeat, esse licitum

citum, & sæpe cum laude fortitudinis initum fuisse. Ita legimus in Historiâ Bohemicâ, apud Æneam Sylvium cap. 15. Bohemiæ Sanctissimum Regem Vencessaum, correptis contra vicinum Regem armis, qui ditionem suam invaserat, ut suorum sanguini parceret, cum ad duellum provocasse, & vicisse, Angelis hostem terrentibus: ita Carolus Andegavensis, & Petrus Aragonius, cùm aliter maiora mala impediri non possent, annuente Põtifice ad Burdegalam, duellum condixere: uti refert Antoñius 3. p. Histor. tit. 20. cap. 4. §. 80. Ita Cunibertus Rex Longobardorum, perfidum Alachim Ducem, ut humano sanguini parceret, ad duellum vocavit: ut videre est apud Baronium anno 69. Tale fuit certamen Horatiorum pro Romanis, & Curiatiorum pro Albanis: ita ante hos omnes, Davit cũ Goliatho singulari certamine depugnavit uti dicitur, 1. Reg. c. 17.

Probatur cõclusio 1. Quia si bellum inter multos licitum est, cum justæ belli adsunt causæ; profectò etiam inter paucos: Sola enim differentia multitudinis personarum non variat honestatem: itaque tale duellum habet rationem belli partialis.

2. Probatur, quia hic nulla deest pars honestatis, neque enim violatur, aut chatitas proximi, quoniam justa est defensio, nec justitia contra adversarium, ob eandem rationem, nec justitia erga Rempublicã cum authoritate publicâ suscipiatur, & ob causam publicã. Suppono enim nõ inde minui spem victoriæ, & exitus belli, alioqui tale duellũ esset illicitum: respectu quidem prouocantis; quia qui authoritate publicâ vindicat, debet esse velut agens respectu puniendi, igitur instar agentis naturalis, debet esse fortior, & quasi certus de victoriâ: sæpè autem in duello par est utriusque conditio, & multa possint accidere, quibus fortior succumbat, quod non ita facile contingit in belli aliâ: eodẽ modo esset illicitum respectu admittentis; nam qui defendit, debet imitari agentia naturalia, quæ meliori quo possunt modo se defendunt: atqui inefficax est, atque debilis modus resistendi per unũ, qui facile vinci potest. Verùm si Princeps: justum bellũ gerens, se videat viribus imparem, potest totũ bellum ad duos, aut paucos reducere, si hinc videat oriri sibi spem aliquã victoriæ: Tunc enim prudenter agit, trãsferens ruinam ferè certam in spem victoriæ, & in hoc casu poterit offere duellum: quia id non est inducere adversarios ad malum, sed à majori malo auertere, ut est bellum commune: & quia etiam in bello, solet esse anceps victoria, certè potest, vt humano sanguini parcatur totam belli aleã Princeps ad paucos reducere, modo id faciat prudẽter, & non temerè, & cum spe victoriæ.

Dico 3. Duellum inter milites vtriusque factionis in bello susceptum, ex consensu Ducum, spectaculi & voluptatis causa, vel ad roboris, & animi ostentationem, vel ad famæ acquisitionem, ferrè sẽper esse illicitũ: ita videmus 2. Reg. cap. 2. cum in conspectu stetissent duo exercitus, Dauidis, & hæredum Saülis, dictum ab Abner Duce exercitus Isboseth, ad Ioabum, Ducem exercitus Dauid, *surgant pueri, & ludant*

coram

coram nobis. Et respondit Ioab Surgant. Quo dicto duodecim paria pugnarunt, & ex parte Benjamin duodecim simul perierunt à duodecim alijs confossi, unde *vocatum est nomen loci illius, Ager robustorum, in Gabaon. Et* ortum est bellum durũ satis *in die illa*: fuit enim initium conflictus totius exercitus.

Probatur conclusio 1. Quia nefas est ob finem adeò vanum, & ludicrum, medium adeo periculosum, & atrox suspicere.

2. Quia temerè se exponunt periculo mortis, & interfectionis alterius.

3. Quia bellicum exercitium, si sit conjunctum cum mortis periculo, peccatum est mortale, & in eo morientes privantur sepulturâ Ecclesiasticâ, uti patet ex extravag. de Torneamentis.

Dixi ferè semper, quia aliquando in bellis præsertim longioribus, fiũt quædam certaminum præludia, & velitationes, ad hostium vires in fringendas, aut eorum animos debilitandos, ostendendo suorum militum robur, quia inde victoria speratur: Tunc enim cùm sit partiale bellum, non dubium quin sit licitum: Id verò faciunt Duces, tùm ut suorum explorent animos, & vires hostium, tùm ut si minus se viderint paratos, publicum certamen evitent: Id à se sæpius factum scribit Iulius Cæsar 2. de bello Gallico, quotidie equestrib⁹ prælijs, quid hostis virtute posset, & quid nostri auderent periclitabatur: Idẽ eodemq; consilio factũ à Maximo refert Appianus de bello Hispanico: Idẽ docet Vegetius lib. 3. de re militari cap 9. Si adversarium in telligit potiorem certamen publicum vitet: Commentator. Publicæ pugnæ opponitur velitatio: Simile quid faciunt nostri Duces in velitaribus pugnis: tunc ergo licitũ erit duellum: sed si fuerit Gladiatorius ludus, aut ad oblectationem, eodem res illa recidit, quò apud Romanos Gladiatorum paria, quæ res plane illicita est ob rationes allatas, quod & prohibuit Constantinus Imperator L. unicâ Cod. de Gladiatoribus, Cruenta spectacula in otio civili, & domesticâ quiete non placent, quapropter omninò Gladiatores esse prohibemus.

Dico 4. Duellum ad eruendam rei alicuius veritatem, aut alterius partis justitiam, aut ad sui vel alterius purgationem criminis, susceptum, illicitum esse, & mortale peccatum, quâcunque tandem authoritate suscipiatur, seu publicâ, seu privatâ, nec illud principem posse, aut inducere, aut permittere.

Nota hunc olim morem apud plures inductum fuisse, quotiescunque obscura erat, aut criminis, aut alicuius juris probatio, ut actor reum provocaret: aut criminis, aut crminis, aut alicuius juris probatio, ut actor reum provocaret: aut ut reus se, vel alium offeret ad duellum, eâ lege, ut qui vicisset, probasse, vel purgatus esse crederetur: qui succubuisset defecisse in probatione, vel criminis convictus putaretur: unde nonnulli duellum appellavere Iudicium, eo quod ibi judicium Dei expectaretur, & certè inter purgationes vulgares computatur. Hinc nulla apud multas nationes frequentior purgatio, usurpata à Longobardis, Geramnis, Gallis, Hispanis, & alijs: Et quidem in jusiurandi locum propter crebra perjuria introductum fuit coram Ioanne XIII. per Othonem IV. in Roman-

licet injustè accusatus nullum habet Jus, ut per se, & sua authoritate alium occidat, aut aggrediatur: Quia non potest princeps concedere alicui, ut sine peccato alterum occidat, nisi priùs juridicè sit convictus, & damnatus: uti permissio meretricum non facit, ut non peccent, qui fornicantur: Ita in casu proposito principis permissio non excusat ab homicidio: Cùm itaque juri naturæ repugnet innocentem morti exponi, quod hic cōtingit, & juri divino, ut Deus tentetur & juri Ecclesiastico, toto fermè titulo de purg. vul. & capit. Monomach. 2.q.4. omnis cōsuetudo in contrarium invalida est: Quare meritò Agobardus Ludovicū Imperatorē datâ ad eum epistolâ omni ratione impellit ut legem Gundebaldi Burgundiorum Regis Ariani, duella ad sui purgationē & veri probationem admittendis, antiquet: Vide Scholiastem epistolæ 168. Ivonis Carnotensis.

Dico 5. Duellum ad terminandam litem, aut criminalem, aut civilem illicitum esse: Probatur 1. Quia Duellum non est aptum medium ad terminandā litem, magis quàm licet occidere: immò illud magis liceret, si actor in judicio innocentem opprimeret: Quia, ut ait Navarrus, per duellum mortis periculo se exponit, & alterum inducit ad peccatum, quod non faceret ipsum occidendo: Atqui privatâ authoritate alterum occidere non potest, alioqui magna porta aperiretur homicidijs, & omnia cædibus complerentur, si unicuique liceret eum quem putaret, injustè sibi litem movere, interficere: imò etiamsi ab eo id factum sciret: hoc enim non esset vim vi repellere, neque esset defensio inculpatæ tutelæ, sed mera agressio, quæ nulli privato, licita est.

2. Probatur. Quia eiusmodi lites alio modo magis suaviè rationabili terminari possunt, & sine causâ aperto periculo exponitur vita utriusque, quorum unus sæpe est innocens.

Dico 6. Non licet Duellū acceptare ad suæ vitæ defensionem, ut si aliquis alteri minitetur, se eum interfecturum, nisi duellum admittat, aut si aliquis sciat, alium sibi mortem machinari.

Probatur. Quia Duellum ex condicto acceptare, non est vitam suam defendere, sed eam periculo exponere: Illud quidem liceret, vim vi repellere, quando nimirum vis fieret, & violentia irrogaretur, ut si quis stricto gladio, cogat alterū, ensem educere, cum alioqui interfecturus, nisi id faceret: simile enim duellum induit rationem defensionis, cum moderamine inculpatæ tutelæ, & ea defensio contra Invasorem licita est, nō est enim aggressio, sed defensio: immò Nobilis sic ab alio impetitus non tenetur fugere, etiamsi id posset quia id non posset facere sine dedecore, secundùm illud Iurisconsultorum effatum, Non posse fieri, quod sine dedecore fieri non potest.

Dico 7. Omne duellum sive oblatum, sive susceptum ob causam privatam, quocunque prætextu, & quâcunque authoritate fiat, sive privatâ, sive publicâ intrinsecè malum est, & peccatum mortale.

Probatur 1 Quia tale Duellum generaliter damnatur in jure. Constantin*

Oo Imp-

Imperator L. unicâ Cod. de Gladiat. Cruenta ſpectacula in otio civili,&domeſticâ quiete non placent, quapropter omninó gladiatores eſſe prohibemus: horum autem locum habent noſtri gladiatores hoc eſt Duelliſtæ: ſub Lothario Imperatore Concilium Valentinum cap. 12. Duellum damnatur, tanquam ſpectaculum crudeliſſimum, quo effunditur in pace belli cruor, & homo à latrone cruento, & homicidâ nequiſſimo interimitur, tam iniquâ,& Chriſtianæ paci tam inimicâ pugnâ: Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 19. de Reform. Deteſtabilis duellorum uſus, fabricante Diabolo introductus, ut cruentâ corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur: Tùm ſubdit graves pœnas, excomunicando 1. Imperatores, Reges,& Dominos temporales, qui in ſuis terris, locum inter Chriſtianos præbuerint ad duellum: 2. pugnantes in duello: 3. ſpectantes,&patrinos. 4. conſilium dantes,&ſuadentes: 5. pugiles,&patrinos punit, bonorum proſcriptione, & perpetuâ infamiâ: 6. Morientes in conflictu privat eccleſiaſticâ ſepulturâ: quas pœnas Gregor. XIII. & Clemens VIII. ad omnia duella extendunt, quin etiam eos excommunicant, qui alios ad certum tempus, & locum vocant, etiamſi, cùm eò pervenerint, non pugnarint. Idem prohibetur in jure canonico cap. Monomachicam 2. q, 4. & titulo de Clericis pugnantibus in duello, qui eſt 14. lib. 5. Decretalium, &ibid. titulo 35. qui eſt de purgat. vulgari. Accedunt plurimæ Pontificum Bullæ: Iulij II. conſtitutio 9. anno 1508. quæ incipit Regis pacifici. Vbi multas rationes addit. 1. Quia hoc fit inſtigante inimico generis humani: 2. Quia hinc mortes repentinæ, & animarum perditiones: nova inter adſtantes amicos odia,& altercationes, & ex uno inconvenienti plura oriuntur in animarum,& corporũ periculum, & generis humani jacturã, perniciosum exemplum, & ſcandalũ multorum: 3. Quia docuit Chriſtus Deum non eſſe tentandum: 4. Quia hominẽ homini inſidiari nefas: 5. Quia Gladiatoria munera, & purgationes vulgares à noſtrâ Religione damnantur: 6. Quia eiuſmodi cruenta ſpectacula à Pontificum Canonibus, & Imperialib⁹ Legibus ſunt prohibita: Item Leonis X. quæ eſt 29. & incipit. Quàm Deo, & hominibus: Clement. VII. quæ eſt 11. & incipit. Conſuevit Romanus Pontifex: Iulij III. quæ eſt 56. & incipit. Cum ſine: Pij IV. quæ eſt 25. & incipit. Ea quæ à predeceſſoribus noſtris: Greg. XIII. quæ eſt 82. & incipit. Ad tollendũ. Et Clement. VIII. data anno 1592. & incipit. Illius vires, licet immeriti. Accedunt plurima noſtrorum Regum ſeveriſſima Edicta ad noſtra uſque tempora, quæ omnia oſtendunt, quã grave ſit illud crimen, & quam noxium, quod tot defenſiones, & graves prohibitiões, tot anathẽata, tot pœnæ capitales, & temporales,&ſpiritales perſequuntur, ut nemo ſibi blandiri poſſit, aut excuſare, aut aliquid obtendere, præſertim cum addat Pius IV. ex quâcunque causâ, quocunque prætextu.

2. Probatur couclusio. Quia ſeu res ſpectetur ex parte provocantis, ſeu ex parte

parte provocati, multipliciter peccatur. Incipiamus à provocante.

In primis enim graviter peccat contra justitiam & particularem, & communẽ comũnẽ quidẽ, quoniã usurpat officium sibi non debitum, sed pertinens ad Magistratum, cuius est noxium plectere, ad hoc enim gladium portat: at provocator neglectâ superiori potestate, superiorem, quantum in se est abdicat, & in suâ causâ factus judex, ordinem reip. pervertit, qui consistit in subjectione uni Capiti. Eò pertinet quod dicit Cassiod. lib. 1. epist. 30. Si quid est forte, quod pœnam mereatur admissum, in Præfecti urbis deferatur notitiã, ut culpa legibus, non per præsumptã puniatur injuriam: Quis enim discrepet à peccante, qui se per excessum nititur vindicare: Et lib. 3. epist. 24. ad quosdã monomachiæ addictos. Res parva nõ vos ducat ad extrẽa discrimina: acquiescite justitiæ, quâ mũdus lætatur: cur ad monomachiam recurritis, qui venalem judicem non habetis? & lib. 4. epist. 10. Fœdum est inter jura publica, privatis odiis licentiã dare, nec ad arbitrium proprium judicandus est inconsultus fervor animorum: Iniquum quippe nimis est, quod delectat iratum; furentes justa non sentiunt, quia dùm commoti animo in vindictam sæviunt, rerum temperantiã non requirunt: hinc est quod legum reperta est sacra reverentia ut, nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu: Quid enim à bellica confusione, pax tranquilla distabit si per vim litigia terminentur?

Deinde injuria fit reip. dum eius membra imminuuntur, & eius vires; dum sanguis purior, & generosior educitur: certè Paucis annis tot sunt occisi, ut satis essent ad exercitum:

Item turbatur pax publica, & silent jura publica: unde Cassiodorus lib. 7. epist. 24. Quid opus est homini linguâ, si causam agat manus armata, aut unde pax esse creditur si sub civilitate pugnatur:

Denique domus & familiæ sæpe evertuntur reciso capite.

Iam justitia particularis, multis, modis violatur: divina quidem, quoniã in peculiari Dei dominio vita est hominis, quam nemo impetere potest: licèt enim magistratus potestatem habeant vitæ ac necis, eamtãen potestatẽ habent ex Dei commissione, suas illis vices dantis, ut rem ipsius expendant in bonum humanæ communitatis: unde ad libitum sævire non possunt, sed in commeritos: sed ei qui nullâ authoritate est præditus, non licet in rem Dei Propriam insurgere: propterea nec ipse provocator potest esse suæ vitæ prodigus, cùm ipse sit res Dei, quam Deo invito vastare non potest, sine scelere, & manifestâ in Deum injuriâ: Ita nec sine justâ causâ invito Domino potest sine scelere seipsum objicere discrimini vastationis ab alio faciendæ: alioqui gravem injuriam facit Deo, qui solus est Dominus humanæ vitæ.

2. Graviter, multisque modis, peccat contra charitatem: Et 1. quidem proximi, cuius eversio major esse non potest nam omnibus simul bonis eum privare conatur; nempe bonis corporis, cum vita ipsa impetatur: omnibus bonis externis, quorum fundamentum est vita:

vita: Item bonis animæ, rem moraliter æstimando: Nam quis putet hominem, in eo statu lethaliter ab hoste confossum, brevi illo tempore sic mitescere, ut depositis inimicitijs adversariũ diligat, & injuriam nunc irrogatam, &adhuc calentem, cùm vindictæ æstus magis solet efferuescere, benignè condonet, quod tamen necesse est ad salutem? Igitur qui ad duellum provocat, ei author est perpetui, & immedicabilis exitij: 2. Non minùs peccat contra propriam charitatem: nam quo quisque sibi est conjunctior quàm cæteris, eò arctiùs ad impendendam sibi benevolentiam, &amorem obstringitur: igitur & naturali, & alio quocunque jure tenetur prudenter defugere gravia vitæ discrimina, quod utique non facit qui alium provocat ad duellum, quantumvis sibi strenuus, &adversario superior videatur, ideóque discrimen evasurus: cum nihil sit frequentius, nihilque etiam justius appareat, quàm ut quis incidat in foveam quam fecit, exemplo illustri Goliath, qui à Davide adhuc adolescente fuit peremptus: Itaque pessimè se odit, qui provocat: & ideò hunc modum procedendi, multi veterum, etiam ex Ethnicis interpretati sunt desperationem: Ita Caius Marius in bello Cimbrico, Teutoni provocanti ad duellum respondit, si adeò mortem cuparet, posse lequeo vitam finire: Idem Augustus Antonio ad duellũ provocanti respondit, scilicet, plures ad interitum patere vias: Eodem sensu dixit Statius; Manet ingens copia lethi: ô juvenes servate animos, avidumq; furorem sanguinis adversi. dem Metellus Sertorio, & Antigonus Pyrrho provocantibus dedere responsum, ut narrat plutarch. in pyrrho, & Sertorio. Idemque mihi sæpe venit in mentem dicere eiusmodi hominibus, quod Philo dixit de sui homicidia, libro quod omnis probus sit liber, ah miser! virtus te perdet tua. Denique gravissimè etiam peccat contra suorum, atque familiæ charitatem: Etenim parentibus, & cognatis, uxori, liberis, suisque omnibus, amplam luctus segetem relinquit, sive cadat in duello, seu adversario truncato victor existat: quandoquidem si cadat parentes filio, uxorem marito, &filios patre privat, præter certam animæ jacturam, &æternum dolorem: si vicerit, ut alter Caïn exulare cogitur, & pœnam sibi debitam semper timere; deinde pati bonorum amissionem? odium eorum quorum sanguinem fudit; & exspectare se aliquando miserè periturum: qui enim gladio percusserit, gladio peribit, aut certè in suam domum, gladium immiserit, uti Davidi dictum est, *Non recedet gladius de domo tuâ usque in sempiternum.* 2. Reg. cap. 12.

3 Graviter peccatur in duello, ex modo pugnandi, quo ad culmen barbariei, & inhumanitatis perventum est: Certè Longobardi ante cultum Christianum fuere gens effera & immanis, cuius feritati, multi adscribunt renovatum usum duellorum: Illi tamen, ut notat Alciatus lib. de singul. certam. cap. 4. Non pro æstu, ac furore uniuscuiusq; descendebant in arenam, sed tantùm assensu judicis, cum aliquid deesset ad integrã protationẽ institutæ accusationis, & eo necesse erat ad faciẽdã plenã fidẽ in re gravissimâ: quin etiã necesse

tus erat,

tunc erat, ut qui rem decidi duello petebat, jurejurando firmaret, se neque dolo, neque calumniæ causâ eò confugere, sed necessitate adactum eruendæ veritatis: In ipsâ vero pugnâ scutis solùm, & fustibus res gerebatur, & rarò contingebat, aliquem occumbere: At nunc duellũ initur, magistratu nõ modò non annuente, sed etiam renitente, & gravissima supplicia comminante: Nec pro rebus gravissimis, sed pro nugis, sæpe pro meris suspicionibus, sæpe ex merâ libidine animi impotentis, in suum, & alienum exitium efferati: ad hæc non scutis, & fustibus res agitur, sed ferro: non ad repellendum, sed ad feriendum duntaxat, & planè ad certã mortem, ut idem dici possit, quod de Gladiatorum lanienâ scripsit Seneca epist. 7. Quidquid ante pugnatum est, misericordia fuit, nunc omissis nugis mira homicidia sunt: nihil habent quo tegantur, ad ictũ totis corporibus expositi, nunquam frustra manum mittunt, &c. Non galeâ, non scuto repellitur ferrum, quò munimenta? quò artes? omnia ista moræ mortis sunt, &c. Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus, nudis, & obvijs corporibus excipiunt: In hunc modum duæ feræ humanis tectæ corporibus, altera alterius mortem exquirunt, longè crudeliùs obventuram, quam ijs qui ob atroci crimine torquentur à carnifice, quibus ut Christianè moriantur, plurima adsunt subsidia: neque enim desunt qui hortentur, ut piè moriantur, qui compatiantur, & mortem defleant: immò ipsi etiam tortores id faciunt, & dolentes, & necessitate adacti, ut sit justitiæ locus, & crimina arceantur: Hîc autem omnia contraria, sola adest feritas, & inhumanitas, abest qui morientem juvet, & soletur: Insultat victor, & vulneribus adjicit convitia: & õnia ad desperationem comparata: Nec abest Dæmon qui pœnitendi impotentiam & desperationem inspiret, ut ferè certum videatur miserum hominem damnari.

4. Caput ũde petitur gravitas peccati duellantiũ plerumq; accersitur ex ipsis pugnantibus: neq; enim illi tantũ pugnant qui aut læserunt, aut læsi sunt aut re; aut suspicione, sed sceleris ãplificatione socios sibi adsciscũt & adjutores, qui secundo, & tertio loco pugnent, ne primi quorum res agitur, ad tartara eant incomitati: & quod miserandum est, quibus optimè conveniebat, sæpe qui erant amici, qui proximi, qui prius nullâ ratione diffidebant, nullâ interpositâ injuriâ, vel injuriæ umbrâ, adiguntur sævire in seipsos, & se pro viribus, neci dedere, tantùm ut aliquorum furori satisfiat, nec videantur aliorum voluntati defuisse, à quibus secum vocantur ad mortem; quo Dæmonis artificio factum est, ut nemini sua modestia, ac vitæ integritas possit securitatem afferre: quis enim ab alienâ intẽperantiâ timere non debeat? quandoquidem sũptus ab alio duelli adjutor, non magis defugere potest eiusmodi lanienam, juxta hanc detestabilem corruptelam, quam qui læsi sunt, aut læserunt: Pugnabunt itaque non hostes, sed alieno scelere nocentes: quibus Cassiod. l. 4. epist. 24. deponite ferrum, qui non habetis inimicum: pessimè contra paren-

parentes (sic minus latinè vocat cognatos) erigitis brachium, pro quibus constat gloriosè moriendum.

Quod hactenus a nobis dictum est de provocante, dici etiã potest de provocato, in quo notari possunt eædem nequitiæ. Nam & Reip. eodem modo injurius est, dum usurpat authoritatem sibi non debitam, & Reip. membra imminuit, & reipsâ alterum occidere aggreditur, nempe provocantem: 2. In Deum injustus est, cuius bonis vastandis, invito domino se accingit: Injustus quoque est in provocantem, quem vitâ privare aggreditur, si possit: Denique facit contra charitatem in eundẽ, in seipsum, & in suos: Nam licèt ab alio trahatur ad hæc omnia, debuit tamen iniquæ pertractioni obsistere: ac licèt sit minùs injuriosus quam alter, non tamen sequi potuit alterius scelus: ac licèt alium minùs offendat, quia volenti non fit injuria, cùm tamen ille non potuerit suo juri cedere, quoad vitam, cuius non est dominus, propterea non minùs est homicida.

Nec dicere licet fortitudinis esse provocationem admittere, quia fortitudo non distinetur nisi actionibus honestis: Est enim virtus, & bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit, quod dici non potest de injuriæ privatæ ultione, & de homicidio facto privatâ authoritate, quod hic contingit: Nam, ut ait Dio. Chrysost. orat. 40. Nunquam cedere, & locum dare proximo non est virile, ut aliqui putant, neque magni animi, sed stultum & agreste.

Sed hic insurgit tota ferè Nobilitas, & cum totâ Nobilitate multi graves, & Theologi & Iurisconsulti, asseruntque licet provocantes graviter peccent, provocatos tamen omni culpâ vacare, etiamsi duellum acceptent, quia aliter cum honore inter homines vivere non possunt: Etenim si suam vitam tutari licet ab injusto invasore, illatâ etiã ipsi nece, si ita ferat tutelæ moderatæ necessitas: Item si licitum est eâdem ratione pudicitiam suam, & suas fortunas conservare, cùm eis ab alieno scelere grave imminet periculum, quod aliâ ratione vitari non potest: Cur etiã non licebit eodem modo suum honorẽ tutari. Ad hæc, si vir militaris ab injusto invasore appetitus, non tenetur cum proprij honoris jacturâ, sibi fugâ consulere, etsi fugere possit, quod qui faceret, vulgò ignavus censeretur, sed potest in gradu perstare, & si ita ferat defensionis necessitas, adversarium occidere, quia non tenetur vitæ eius parcere, cum sui honoris damno, quod fugiendo sanè incurreret; quare qui fuerit ad duellũ provocatus, aut aliquâ injuriâ lacessitus, non poterit illud admittere, quandoquidem si defugiat, causatus divinam offensam, & similes causas à viris pijs probandas, infamiã passim apud homines contrahet, censebiturque præ timiditate certamen detrectasse, unde sequetur ei grave dãnum, quod cogatur à cœtu hominum Nobiliũ abesse, aut perpetuo irrideri, quod ei gravius morte futurũ est: præterea non leve damnum feret à repulsâ ab honoribus, & dignitatibus, quæ nõ solent dari ijs, qui habentur pro ignavis, quorum alioqui juxta gradum suum futurus erat particeps.

Nec

Nec refert 1. dicere & hunc honorem, & hoc dedecus esse imaginarium: Quia ille honor non est imaginarius, cum sit reale judicium, & testimonium de excellentiâ alicuius, hoc est de fortitudine bellicâ, existens in mentibus Nobilium & Aulicorum: Nam ex Philosopho honor nil aliud est quàm judiciùm & testimonium de alterius excellentiâ, quod hic reperitur, idque apud plures.

Nec 2. sufficit dicere illud quidem dedecus esse reale, formaliter, sed non objectivè, quia motivum, quo Aulici & Nobiles moventur ad tale judicium formandum de ignaviâ recusantis duellum, est insufficiens ad formandum rationabiliter tale judicium, sed tantũ fingi potest sufficiens ab illis qui imaginantur causam sufficientem, quæ nõ est sufficiens, cum utroque modo reale esse debeat illud dedecus, ad quod propulsandum exponi possit periculo, & sua, & proximi vita: Ratio verò cur id non sufficiat dicere, est. Quia sequitur verum dedecus viri probi, quem aliquis sceleratum putat, & dicit; motus tantùm ad id judicium ferendum propter causas non sufficientes, igitur etiam si causæ non sufficiant non sequitur non esse verum dedecus, quod consequenter propulsari possit, quare cum id aliter fieri nõ possit, quàm admisso duello, tunc illud duellum non est illicitum ex naturâ rei ad tale dedecus propulsandum.

Nec 3. sufficit dicere, quod id accidat ex peruerso, & depravato hominum sensu: Nam undecunque accidat grave damnum sive in bonis, sive in honore, illud repellere licet, tunc enim non est alterius aggressio, sed justa sui tuitio, quæ unicuique sine scelere conceditur: unde patet licere homini provocato, duellum acceptare in sui honoris defensionem, quod propterea admittit Alciatus lib. de singulari certamine cap. 3. modò id fiat in agro sequestri, quia alioqui princeps id non patitur fieri in suo agro, ne probasse videretur.

Nec. 4. etiam sufficit, quod aliqui dicunt pluris faciendum esse proborum, ac sapientum judicium, qui virtuti, & honori tribuunt recusare oblatum duellum, quam sensum vulgi insipientis, vitio, ac dedecori vertentis eam rejectionem: Nam licèt certum sit, & vulgus in eo errare, & nostras actiones dirigendas non ad depravatũ vulgi sensum, sed ad leges divinas: tãen lex divina naturalis, concedit hõiut sesuaq; tueatur etiam cum periculo vitæ injusti invasoris, quod hîc accidit respectu hominis provocati: quod si inde vita provocantis perichtetur, id sibi imputet, sed alter jus habet exitiũ sibi imminens avertendi admisso duello: sicut enim cùm aliquis injustè ab aggressore impetitur, licet ex charitate fugere possit, tamẽ sine culpâ stare potest, seque tueri cum cæde grassatoris, ne cùm eius incolumitati ex charitate prospicit, honorem suum perdat, ex hominum falso judicio, quo vertitur dedecori homini Nobili, aut militi, in tali casu fugere, licet id posset facere ex motivo charitatis, quod cùm ignoretur, aliter homines interpretantur, & vitio vertunt, quod fortasse à virtute profectum est.

Nec

Nec denique facit, quod aliqui dicunt, non licere exponere periculo bõa superioris ordinis, pro bonis inferioris ordinis, nimirùm vitam pro honore, illius præsertim conditionis: Nam præterquam quod multi æstimant honorẽ pluris esse quam vitam, & mortem præoptandam dedecori, uti patet, & in bello, & in homine Nobili aut Militari, quem alius est aggressus, qui non tenetur fugere, sed certare potest, & vitam amittere, ne honorem perdat: hoc etiam in nostrâ materiâ locum habet, & semper dici potest justã sui honoris defensionem potiorem esse vitâ: & ita bõus pastor, laudatur à Christo in Evangelio, quod vitã pro ovibus exponat: Nam licèt ovium vita, immò totius gregis, sit infra vitam pastoris, sui tamen gregis honesta defensio, pluris æstimatur quam vita pastoris: Itaque rectè potest vitam suã dare pro ovibus, multoque magis pro justâ sui honoris defensione, secundùm illud Sapientis Proverb. 22. *Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ.*

Verùm contra hunc detestabilem errorem, uti Pontifices duellum appellãt bonis omnibus decertandũ est: ac præter rationes superiùs allatas quibus ostensum est illicita esse duella, etiam privata, & ut loquitur Pius IV. ex quacunque causâ, etiam à legibus non improbata, & quovis prætextu suscepta; ne crederemus ea tantum esse damnata, quæ ad veritatis ostensionem, aut criminum purgationem suscipi solita erant, quoniam erant superstitiosa, unde Gregor. XIII. & Clemens VIII. suas prohibitiones extenderunt ad omnia, & quæcunque duella, respectu quorumcunque sive provocantium, sive provocatorum; sequentes rationes tam severæ prohibitionis subjicio:

1. est, Quia omnis cædes aliter perpetrata, quam ex nutu publicæ authoritatis, illicita est, ut in justo bello à Principe indicto, aut in reorum supplicio per administrum publicæ potestàtis, aut ad tuitionem suæ vitæ, suorùmque bonorum: atqui duellum etiam oblatum non initur ex assensu publicæ authoritatis: quin potiùs publica authoritas; & prohibitione, & pœnis reclamat: igitur duellum illicitum est. Nec dici potest duellum oblatum necessariò acceptari ad tuitionem suæ vitæ, aut fortunarum, aut honoris: Nam per provocationem vita proximè non impetitur, nec etiam fortunæ bona, ut per se patet: Neque etiam honor proximè invaditur, quoniam factâ tali invásione, honor remanet integer, si is qui provocatur, in ipso provocationis puncto generositatem suam prodat, dicendo se quidem duellum non acceptare, tanquam divinâ lege prohibitum, sed se esse paratum, ubicunque invadetur, tueri se se, & vim repellere, & & animum prodere, in quo non peccat, quia paratum esse ad defensionem, culpâ vacat: Ac licèt ea duelli recusatio ob divinam legem servandam, apud vulgares homines, atque improbos, ignominiæ tribuatur, tamen apud Sapientes, & probos, honori adscribitur, quorum existimatio sanctissima falsæ vulgi opinioni præponderat: cur itaque potiùs habes rationem judicij

judicij improborum, quàm proborum: præſertim hoc tempore, cum ſanior Nobilitatis portio ab hoc errore revocata ſit & jam non ducatur honori eiuſmodi acceptatio ſed probro. Cum igitur duelli oblatio non proximè tollat honorem, eius recuſatio non eſt honoris amiſſo: & proinde illius acceptatio non eſt repellere vim factam honori, ſed eſt vindicare ſe privatâ authoritate de injuriâ jam irrogatâ, & ultrà non pendente, quod illicitum eſt. Bene id quidem (inquies) ſed inde patebo irriſibnibus & ſannis improborum, qui eiuſmodi recuſationem interpretabuntur timiditatem, mèque habebunt ludibrio: Quid inde concludis? an propterea tibi licere illud acceptare? Ita ſanè codē modo tibi licebit inebriari ad eorum deriſionem evitandam, quibus ſumma laus eſt ingentes calices exſiccare: Item licebit matri fornicariæ fætum abigere, ut ſuum dedecus tegat: & licebit adoleſcenti modeſto fornicari, ne à ſodàlibus impudentibus, eius modeſtia irrideatur, & jam pudebit non eſſe impudentem: ubi itaque non eſt vera infamia, non poteſt eſſe veri honoris tuitio, & conſequenter nec in duelli acceptatione.

2. Ratio eſt, Quia in eâ acceptatione, non eſt mera defenſio quæ ſola licita eſt, ſed eſt aggreſſio, quæ illicita eſt: Nam ibi tantùm eſt defenſio, ubi vis vi repellitur, & ibi tantùm habet locum, ubi ab actuali aggreſſiore vis infertur, ut quando aliquis virum nobilem aut Militem invadit, tunc enim quia vim patitur, cogitur aliquid facere, quod ipſi aliàs non licuiſſet: At provocator ad duellum, ſicut & Injuſtus accuſator, vim non infert, quia non cogit ad pugnam, ſed invitat: & calumniator, tantùm calumniando aggreditur; calumnia autem non propulſatur vi, ſed veritatis manifeſtatione, quæ ſi non ſit poſſibilis, non licet transgredi ad media inordinata, quæ verè non ſunt media; ſed patienter ferenda eſt mors: non aliter quam ſi innocens, probatetur reus per falſos teſtes: uti igitur falſo accuſatus, non poteſt occidere ſuum accuſatorem, ita neque poteſt tentare, ut per duellum illum interimat? quod enim facere non licet, neque aggredi licet. Et certè ſi còntraria opinio admitteretur, inde plurimæ cędes orirentur, in magnam reip. perniciem: facilè enim quilibet, ſibi perſuaderet ſe injuſtò accuſari, & aliud remedium ſibi non eſſe ad vitam, honorem, & bona tuenda quā ſi accuſatorem perimat, quâ ratione magna janua aperiretur homicidijs.

3. Ratio, Quia ſi liceret acceptare duellum, liceret etiam offere, quando faceret ad tuendum honorem, ut contingit quando quiſpiam eſt injuriam paſſus: ſic enim apud Nobiles creditum: ſed falsò: cùm tunc ſit vindicta, non defenſio, & omnis vindicta privatâ authoritate ſit prohibita: Nam repoſitio injuriæ in puncto cadentis injuriæ priuſquàm adhæreſcat, nòn tàm videtur ſpectare ad vindictā, quæ privato non conceditur, quàm ad depulſionem contumeliæ, & honoris tutelam, cuius unicuique jus eſt: ſed in duello condicto mera eſt vindicta, & aggreſſio quæ prohibita eſt.


4. Ratio, Quia unusquisque tenetur ex naturâ rei, bonum proprij honoris, & existimationis, postponere bono communi: nam bonum commune anteponi debet bono privato: Atqui ex acceptatione duellorũ permissâ graviter læderetur bonũ comune: hinc enim orirentur innumera homicidia, & iñumera jurgia nõ nisi multorũ mortib⁹ finirentur: Quamvis itaq; verum esset, quod adversarij dicunt ex recusatione duelli, minui Nobilis viri apud homines existimationem, & inde censeri pusilanimum, quod tamen jure fieri non potest, neque debet, teneretur tamen obedire legibus, & principis sæcularis, & Ecclesiæ: sed uti sunt mores nostri, is est ultimus Nobilibus omnib⁹ finis propositus, ut à corruptissimorum hominum sannis, & irrisionibus sint immunes, ad cuius rei conservationem, omnia ad certam vastitatem sunt vocanda: quasi perspicuum non sit, multò plus faciendam esse proborum omnium execrationem, quibus sic obita mors opita mors æterno horrori, hîc, & in aliâ vitâ, semper erit: ipsiusq; Ecclesiæ, quæ ita peremptos privat sepulturâ, ut à quibus boni omnes per æternitatem erunt separati, ab ijs nunc tumulis ipsis secludantur. Quid est quod sic hominum corruptissimorum iniquis judicijs deferimus, & Dei judicium despicimus; quàm præclarè dixit S. Paulinus epist. 33. Beatam futuram nostram conditionem, si æquè Deo, ut hominibus, vel displicere timeremus, vel, curaremus placere: si tantũ præcepta Christi, quantùm populi sibilla vereremur; & si tanti laus, quæ ex Deo est, quanti iste de vulgo plausus emereretur: Vide Chrysost. in 1. Cor homil. 12. Verùm nihil ille difficultatis habebit qui altos ex legis Christianæ præscripto animos induerit, cui facile erit omnem hominum contemptum despicere: Audi quid dicat idem Chrysost. homil. 30. ad pop. Ant. Non quid dicant, sed quid nos decet consideremus: quod Deo parem facit, non ulcisci, hoc risum existimas: Non est contemptibilium hominũ ab irâ non vinci: ab irâ namque teneri, puerilis est sẽtentiæ; at vincere, fortitudinis: sed nimirum opinione omnia facimus, non virtute: quod est ignavum, & molle, id laudamus; quod est forte & generosũ, id damnamus: Vide quàm præposterâ ratione agamus: Deus hinc nobis aparet, hinc homines, & ille quidem à nobis despicitur, hi à nobis suspiciuntur: illi omnia debemus, his nihil debemus; & tamen nihil illi concedimus, his autem omnia damus: Inter homines allij sunt quorũ iudiciũ magni facere debemus, alij quorum judiciũ cõtemnendum: vide tamen quid agamus: sapientum judicium negligimus, stultorum & insanientium admiramur, sequimur & veremur: Iterùm, inter homines alij in nos potestatem habent, & jus imperandi, alij nullum in nos ius habent: illis nec obedientiam, nec reverentiam præstamus; alijs in omnibus obedimus: illos vereri oportebat istos contemnere; aliter facimus: Reges suis edictis, Ecclesia suis anathematis, Iudices suis sententijs nos terrent; nihil proficiunt: vulgus suis sermonibus nos percellit; & omnia à nobis impetrat: quod leges vetant, & nobis utile est, &

nobis

nobis facillimum; quod vulgus imperat.& contra nos eſt, & difficilimum,& tamen quod vult à nobis impetrat: certè cùm in multis quæ Deus præcipit difficultatem excuſemus,cur idem non facimus in iis quæ mundus præcipit, præſertim cùm eius imperium etiam nos ad mortem deducat, ad rerum omnium, immò etiam ſalutis jacturam? Illud etiam auſim dicere quò animi noſtrí perverſitatem noſcamus:ſi Deus tibi præcepiſſet vindictam, & ut res tuas duello decideres, quàm multi rei difficultatem excuſarent?Nunc autem, quia utrumque vetuit ſub pœnâ damnatonis,quàm multi ultrò ſe obijciunt? Sed vide quo lucro, quoque emolumento: Finge enim quamlibet duelli aleam:nam ſi victus ſis; & vitam & omnia perdideris, cùm certâ tuæ ſalutis jacturâ:ſi viceris, quid inde reportaſti, cùm tibi & exitium, & bonorum tuorum jacturam, & ſupplicij periculum compararis? vide interim tuæ victoriæ vanitatẽ, cogita tuum ſenſum in morte, in ſupplicijs, in æternitate: quàm damnabis tuum conſilium, quod nihil tibi profuit, neque coram Deo, neque coram hominibus, nec pro hac vitâ, nec pro alterâ,nec pro te,nec pro tuis, nec in tempore, nec in æternitate: ſed quidquid tandem obtendas, & quæ velis, ſentias quod libuerit, illud tibi certum eſſe debet. 1. Duellum omne eſſe illicitum, & peccatum mortale:2. ſolam eius voluntatem eſſe peccatum mortale:3.ad illud paratum eſſe, peſſimum eſſe ſtatum,& damnatione dignũ: 4. Nulli Nobili ſperandam eſſe ſalutem, ſi hoc ſit in ſtatu, eam omnibus qui ſic vivũt eſſe impoſſibilem, iiś pręciſam eſſe omnem ſpem beatitudinis, nihil prodeſſe ſacramenta,nihil orationes, nihil eleemoſynas, nihil bona opera,ſacrilegas eſſe confeſſiones, communiones exitiales: ſi ad generoſitatem neceſſaria ſit hæc voluntas, nullũ generoſum ſalvari poſſe:ſi habere contrariam voluntatem, hoc eſt eſſe ignavum, ſolos ignavos ſalvari poſſe:& quòd paſsim creditur à nobilibus,melius eſt naſci ignobilẽ, quàm nobilem: quòd quàm falſum ſit probant innumeri Nobiles melioribus inſtitutis imbuti, qui aliâ menſurâ veram generoſitatem metiuntur, nempe præclarè factis, virtute, & ſui ipſius victoriâ: qui vitamſuam non negligunt, ſed etiã qui impedunt in rebus maximis: qui mortem non verentur,cùm timeri non debet: qui ultro cùm opus eſt ſanguinem ſuum fũdunt,ſed in cauſâ honeſtâ, & dignâ ſe,non pro nugis,& iurgiis,de quibus idem dici poteſt quod de Abnere dicebat David 2. Reg.cap.3. *Nequaquam ut mori ſolent ignavi, mortuus eſt Abner manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui non ſunt, compedibus aggravati, ſed ſicut ſolent cadere coràm filijs iniquitatis, ſic coruiſti:* Sed ſi homines de illis tacuerint, habebunt teſtimonium Dei, quo in gloriâ cœleſti coram Angelis, & omnibus Batis decorabuntur.

Amen.

***



DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ

CONCIO PRIMA

Quædam veritates Christianæ de tentationibus dæmonum exponuntur.

Jesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Matth. 4.

PULCHRUM est quod advertit S. Damas. lib. 3. de fide orthod. c. 2. Christum tentatum fuisse, & vicisse, ut nobis victoriam pararet, & nostræ naturæ, vincendi adversarium virtutem daret: ut natura olim victa per quas suggestiones victa fuisset, per illas antiquum victorem vinceret: Itaque, uti notavit Gregor. Magnus homil. 16. iisdem tentationibus pulsari Christus voluit, quibus primum hominem diabolus pulsaverat: gulâ, vanâ gloriâ, & avaritiâ: gulâ tentavit, cùm ligni vetiti cibum ostendit: vanâ gloriâ, cùm dixit, *Eritis sicut dij*: avaritiâ cùm dixit, *scientes bonum & malum*: avaritia enim non solùm pecuniæ est, sed etiam altitudinis: ita Christus triplici tentatione voluit pulsari: & dum in nostrâ naturâ vicit tentantem, nostræ naturæ dedecus abolevit, atque ostendit victorem vinci posse: & ut ait Origenes, propterea Christus superavit, & vicit, ut tibi vincendi iter aperiret: sic aquila draconem vincit, & provocat pullos suos, non modò ad volandum, sed etiam ad certandum & vincendum: Nec est quod timeamus, nam cum hoste jam profligato decertamus, cuius caput jam olim mulier contrivit: *ipsa enim conteret caput tuum:* certè ea quæ pugnantes adjuvat ut vincant, de modo & arte pugnandi loquentes & audientes adjuvabit. *Ave Maria.*

SCRIPTUM est Exodi 17. Moysem debellato Amalecitâ per Josue sacrificium in gratiarum actionem instituisse: altari magnâ religione composito; quod appellavit, Victoriam Dei, seu *Dominus exaltatio mea*; seu Domini vexillum, seu Domini miraculum: Et addidit Moyses, *Quia manus solij Domini*, hoc est, per solium suum juravit Dominus, manum suam super illud extendendo:

dendo: *Et bellum Domini erit contra Amalec à generatione, in generationem* : significat nempe nunquam inter Israël & Amalec, pacem intercessisse, nec ab initio, nec posteà: Nam ab initio quidem grave bellum fuit inter Jacob & Esaü, & perduravit inter utriusque posteros: fuit enim Amalec filius Esaü: hoc autem bellum tamdiu fuit, quamdiu duravit Amalec, quem exterminavit Israël, per Saül & Samuelem. Figuram habes perpetuæ dissensionis Christi, & Diaboli. Nam fuisse ab initio indicant illa verba: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, inter semen tuum, & semen illius.* Cùm autem hæc pugna multiplex fuerit, omnium manifestissima & celeberrima fuit hodierna, in quâ Diabolus ita fuit devictus: & erectum altare Victoriæ Domini: *Quia manus solij Domini, & bellum Domini erit contra Amalec à generatione, in generationem* : Etenim quæ certamina Diabolus Christo intulit, hæc eadem hominibus infert: Itaque sic eum Christus debellavit, ut reliquias voluerit ab hominibus debellari. In cuius rei explicationem sequentes affero veritates in istis propositionibus.

I. Propositio. Unicuique hominum suus adest Dæmon, & suus adversarius: Quis toto corpore non exhorresceret, si sciret, sibi perpetuò hydram, atque draconem imminere? Porrò id probant aliqui ex illo dicto Apostoli, 2. Cor. 12. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sathanæ, qui me colaphizet.* Verùm ex contextu patet, & ex Chrysostomi, aliorumque Patrum interpretatione, Apostolum loqui, de homine persecutore. Propterea, eo loco relicto, adjungo, illud idem videri dixisse antiquus author Hermas in suo Pastore lib. 2. mandato 6. ubi docet cuilibet homini traditos duos spritus, unum bonum, alterum malum: quod ex eodem authore sumpsit Origenes 3. Periar. c. 2. dixit Didymus apud S. Damasc. lib. 1. Parall. cap. 7. & Cassia. Col. 8. c. 7. Verùm Hermæ liber à Gelasio rejectus est ut apocryphus: & Origenistis nulla fides adhibenda: hic verò pessimè censuit de Angelorum custodiâ, quam explicat per alligationem ad corpora, eorumque amorem. Nihilominus fuit hæc communis, licet occulta Patrum traditio, uti docet S. Gregorius Nyssen. in lib. de Vitâ Mosis: Occultior, inquit, quædam traditio est, vetus sermo ad nos usque descendit, Angelorum aliquem, in adminiculum cuique constitutum fuisse: naturæque nostræ corruptorem in omnibus contra annitentem, pravum aliquem, atqui maleficum Dæmonem, ad malè vivendum homines impellentē, ad singulos destinasse. Ex quibus verbis discimus, huius rei originem: nempè cùm Dæmon vidisset, ad salutem unicuique hominum destinatum fuisse, unum Angelum à Deo, ipsum ad hominum perniciem, unum è suis satellitibus ad singulos homines ordinasse. Tertullianus lib. de animâ cap. 39. Cui hominum non adhærebit spiritus nequam, ab ipsâ etiam januâ nativitatis animam aucupabundus: Idem docet Chrysost. homil. 3. in Epistolam ad Coloss. cùm enim singulis hominibus adesse Angelos dixisset: subdit, adest & Dæmon: idem habet Beda Actor.

12. Hugo à sancto Victore tract. 2. Sūmæ cap. 6.

Id aliqui probant ex Jobi 40. *Ecce Behemoth, quem feci tecum*: Ita hūc locum explicat Philippus Presbyter, non quod Deus illum destinarit, sed quia tentationem, quam non jubet, intra suæ providentiæ fines ordinat: uti etiam docent S. Nyssen. S. Gregor Mag. in Moral. & S. Thomas: Equidem Scriptura monet Dæmonem semper esse in insidiis, oportet igitur eum semper nobis adesse: & in cœlo quidem tertiam stellarum partem attraxit, atque dejecit: In Paradiso Evam decepit: quis credidisset occisos septem Saræ maritos ab Asmodæo? Saül in Regiâ obsidetur à Dæmone: Magdalena tam compta, tam formosa septem Dæmones habuit: dùm Christi corpus Judæ porrigitur, in ipsum dæmon intravit: dùm sedes ad mensam, est in gutture: dùm jaces in lecto, est in pectore, in otio, in negotio, domi, & foris, ubique habes præsentem: vide quid in Apocal. 12. scriptum sit: Visus est in cœlo draco rufus, qui mulieri solæ amictæ imminebat, ut partum eius absorberet: Tantæ autèm magnitudinis, ut à terrâ in cœlum porrigeretur: atque ex parte, totum corpus æstima, caudâ enim suâ tertiam stellarum partem traxit, atque dejecit in terram: id est, si anima, tam esset sancta, ut sole & vestita: tã constans, & fortis, ut pedibus Lunam premeret: tam ornata virtutib', ut coronata esset stellis: Ille tamen draco aggredi eam auderet, & boni operis partum absorbere. Denique exemplum serpentum sævientium in deserto aptissimum est: nam Judæi in cubilibus, in mensâ, in tabernaculis, foris, & ubique serpētes offendebant, qui nunc illorum collo se implicabant, nunc pedibus, & brachiis se innodabant, nunc in alias corporis partes insipiebant, ubiq; venenū immissuri: ita omnib' adest Dæmon.

At non videtur? Non quidem oculis corporis, sed fidei, & animi. Non vidi eius certamen in cœlo: non vidi eius pugnam cum Michaële: Video tamen in terris effectus rebellionis ipsius: audio oracula ubique terrarum, passim adorari video in templis, in aris; & quam divinitatem affectavit in cœlis, sibi eam in terris sumere: quæ non vidi, colligo ex iis quæ video: Non videtur ventus, eversiones tamen eius apparent: Aër pestilens non videtur, effectus tamen eius videntur dum urbes vacuat, & provincias devastat. Ita ille draco non videtur, sed sentitur in effectibus: quàm multa olim præstitit in terris: Tempore Noë, octo tantùm animæ salvæ sunt, reliquæ omnes naufragio periere: Tempore Abrahæ, ille unicus ferè repertus est justus & fidelis: In Sodomis solus Loth: Et ut Christus ipse dixit, dū ipse seminat, audet Diabolus de cordibus hominum sanctum semen tollere, uti volucres solent granum jactum in vias, sibi tollere in escam: Ex his omnibus patet quod diximus unicuique suum Dæmonē adesse.

II. Propositio. Dæmon unicuique hominum non aliâ adest de causâ, quā ut noceat: uti enim Deus singulis hominibus Angelos destinavit, ut eis prodessent; Ita Dæmon ut eosdem perderet, singulis suos Dæmones peculiares destinavit. Pro-

Probatur 1. ex summâ Dæmonis malitiâ, unde ex suo nomine dicitur Malus, seu *poniros*, hinc cũ in oratione Dominicâ petimus nos liberari à malo *apo tu poniru*. ex multorum interpretatione, Dæmonem intelligimus: ita Apostolus Ephes. 6. Dæmones appellat *ta pneumatica tis ponirias*. spiritualia nequitiæ, seu spiritales nequitias, & Hebræi vocant Dæmonia schedin, Deuteron. 32. & Psal. 105. hoc est prædones, à voce *schadad*, quod est prædari, & vestare: quid enim aliud agunt, quàm ut in Domini hæreditatem grassentur, & eam evertant, & in homines latrocinando insiliant, ac fiant homicidæ, uti dicitur Joan. 8. *Ipse enim est homicida ab initio*, Etenim primos homines morti addixit, non corpora sanciando, sed homines lædendo per peccatum, unde mors ingressa in hunc mundum: Hinc sanctus Antonius apud sanctum Athanasium: Si quid in huminum pectoribus malæ mentis, & pavoris semel invenerint, quasi latrones qui deserta obtinent loca, cœptos cumulant timores, & crudeliter imminentes, infelicem puniunt animam. Est autem malitia, sive *poniria*, inclinatio ad aliis nocendum etiam sine causâ, sed ex quâdam in malum propensione, quod peculiare est Dæmoni, quia nihil læsus ab hominibus, sponte suâ inimicus est homo, ut eum vocat Scriptura: unde in unum incumbit ut noceat, nec ulli unquam beneficium offert, nisi ut graviùs noceat. Est autem duplex Dæmonum malitia, una est culpæ, altera pœnæ: & *poniria* vel nequitiam significat, vel ærumnã, & cruciatum: utraque in ipsis, & ab ipsis: sunt enim contaminatissimi ipsi in se, & iisdem criminibus homines inquinare student: item gravissimis suppliciis afficiuntur, quò & homines pertrahere conantur, id enim intendit Dæmon, ut quos ad se beneficiis, & voluptatibus attraxerit, eosdem miserrimè conficiat, & suppliciis atterat.

Id ipsum agnoverunt Dæmonum cultores, nam Mercurius Trismegistus in lib. Quòd in solo Deo sit bonitas, ait Dæmones in hominum animis serere *tis idias ó sperma* suæ vis, & actionis semen: quale verò illud sit, explicat, enumerando scelera, ad quæ impellit: adulteria, cædes, parricidia, sacrilegia, impietates, strangulationes, per præcipitia dejectiones, & mala omnia, quæ opera sunt Dæmonum: Apud Psellum Chaldæus vocat, terrestres feras. Asclepius Trismegisti discipulus *Angelus ponirus* Empedocles appellat detestabiles: Hinc Gentilium furiæ, alastores, & mali genij, sicarij, & prædones à quibusdam vocati. Et certè sicut Deus suâ naturâ bonus est, unde bonitatis origo: Ita Dæmon naturâ quidem bonus, quoniam opus est Dei, sed nequitiâ pessimus author est mali omnis; ideoq; Chrysos. serm. 11. ait se ex hoc Evangelio discere, quòd curiositas humana, quod veterum labor, quod sapientia humana quærens, & diu quærens non potuit invenire, unde malum, culpa unde, vitiorum vis unde, unde criminum furor, unde corporum bella, unde conflictus animæ, undæ vitæ tempestas tãta, unde mortis naufragiũ tã crudele: quod nesciret homo, nisi Dei lex Diabolũ prodidisset: Diabolus mali author nequi-

nequitiæ origo, rerum hostis, &c.ille laqueos tendit,lapsus parat,foveas fodit,aptat ruinas,stimulat corpora,pungit animas,cogitationes suggerit, immittit iras,dat virtutes odio, vitia dat amori,errores facit, discordias nutrit, pacem turbat,affectus dissipat,conscindit unitatem,sapit malum satis,bonum nihil,violat divina,humana tentat,&c. Quia sicut Diabolus impellit ad mala, sic Deus deducit ad bona.

2. Probatur ex maximo Dœmonis in homines odio: unde in Evangelio dicitur Inimicus homo:cuius odij causam refert Gregor. lib.32. in Iob.cap. 19.Valde, inquit, anhelat sæviens, quòd cum ipsum ima cruciant, homo ad summa conscendat: in illâ celsitudine subvecta caro permanet, à quâ tantus ipse Spiritus sine fine projectũs jacet: sed loca mentium mutavit ordo meritorum:

Hinc nomina ipsius hoc significant, quòd vel homines oderit, vel eosdem afficiat injuriâ: Hebraïcè dicitur Satan, quod sonat, adversarium, sed qualem describit sanctus Petrus 2.epistol. cap. 5. *Sobrij estote, & vigilate, quia adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem devoret:* id enim tantùm intendit ut noceat, id quærit omnibus modis, de illâre tantùm gaudet: unde illi maximè falluntur, qui ad Dæmonem recurrunt, & ab eo aliquid sperant, cùm id unum intendat ut perdat.

2. Dicitur Diabolus, voce græcâ, hoc est Calumniator,& accusator,quia perpetuò Sanctis apud Deum detrahit, & peccatores deposcit ad pœnam.Apocal. 12. *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabit illos ante conspectum Dei nostri:* detrahit Sanctis,ut Iobo, negans veras esse illorum virtutes: alios accusat ut Jesum Sacerdotẽ apud Zachar.capit.3. *Et Satan stabat à dextris eius, ut adversaretur ei:* qui tibi nunc blanditur,aliquando te accusabit apudDeum, & quantum poterit,persequetur: accusat autem *die ac nocte*, Apocal.12.hoc est & in prosperitate, & in adversitate, cuius rei exemplum habemus in Iobo, in quem & florentem, & spoliatum invasit insolenter.

3. Dicitur draco, & serpens, quod noceat,Apocal.9. Hebraïcè Abaddon: Græcè *à pollíon.* Latinè verò exterminans,seu disperdens: Hinc nomen Asmodæi, quod significat vastatorem,& perditorem à Schamad, quod est perdere, & vastare, cuius effectus sunt in septem viris Saræ, crudeliter interemptis,postquam eos ad libidinem inflãmasset: & ab eo nomine Hebræi illum,appellant latronem, & perditorẽ: ac vide odij magnitudinem.

1. Quia, contra quam sit in alijs pugnis,ubi ambæ partes certant de coronâ,ipse sine spe coronæ pugnat. Nã in hoc prælio cum homine,solus homo eam sperare potest, non autem ipse Dæmon:cùm odio solùm incitatus homines appetat, ut non vincendo coronetur, sed ne homines vincendo habeant, quod ipse ne victoriâ quidem adipisci potest. Chrysost. homil. 22.ad Ephes.Eius victoria non est in hoc ut coronetur,sed ut perdat, non enim incumbit,ut deijciat, sed ut simul deijciat:jam est ergo victus,ipse enim jam est deject⁹,&est in perditiõe & in interitu.

2. Quia victoria illi nocet:nam ex hominum

hominum lapsibus uti docet S. Augustinus 20. de Civit. Dei cap. Dæmonum ex igne supplicium adaugetur: ubi triplex illorum destinguit judicium: primum cum dejecti sunt: secundum dum operantur mala: tertium de quo S. Petrus 2. epist. cap. 2. cùm dicuntur reservari in diem Iudicij quod pœnarum argumentorum non oritur ex novo demerito, sed est novus effectus veteris demeriti. Cæterùm augeri ignem in ijs & pænas accidentales, vel ipsi exorcissimi fidem faciunt, & disertè docet S. Cyprianus, qui ait ab Ecclesia eos terreri, & flagellari: eos autem effectus verè fieri, licet ipsi non videantur.

3. Propositio. Cum Dæmon semper adsit hominibus ut varijs modis illis noceat, præcipuè tamen adest ut eos tentet.

Probatur 1. Ex peculiari eius nomine, quo appellatur Tentator, secundùm illud Matth. 4. in hodierno Evangelio: *Et accedens Tentator, ait illi*: Itaque prima eius operatio circa homines hæc fuit, ut Evam in Paradiso tentaret; quod semper deinceps fecit, & hoc significatum est in maledictione serpẽtis, Genes. 2. *Insidiaberis calcaneo eius.*

2. Probatur. Ex modo quo hominibus nocere potest: cùm enim & corpori, & animæ nocere possit, minus ei permittitur in corpus, plus autem ut tentet: quoniam si plus posset in corpus quàm in animum, vix nostra possibilis esset defensio, cùm nocere possit corpori, nolentibus nobis, animo verò, non nisi volentibus: Deinde, quia parum est ei, ut corpori noceat, modò animam lædat: unde hodie Christo offert omnia regna mundi, & omnem gloriam eius, modo procidens adoraverit eum: quia si animum eius Idololatriâ infecisset, parum erat, quod omnia bona externa ei concederet.

3. Probatur. Ex permissione quam obtinet à Deo, quæ tanta est, ut vocetur Princeps huius mundi, Princeps huius aëris: non quia verè sit dominus, & rerum omnium corporalium sit potens, sed quia potestatem accepit homines tendandi, quod præstat in hoc aëre caliginoso, & quandiu sumus in hac vitâ: Itaque Tolletus regnum eius in eo ponit, quod liberam habeat potestatem homines tentandi, quod præstat quandiu vivunt in hoc mundo.

4. Propositio. Cum Dæmonis tentatio ex varijs capitibus sit metuenda, ex eo tamen est vel maximè, quia arte, & methodo, sic homines tendat, ut etiamsi cætera multorum irritamenta deessent, ex hac tamen parte, pauci homines salventur, quod pauci Dæmonem vincant:

1. Pars probatur. Nempè eius tentationem ex varijs capitibus esse metuendam. 1. ob eius fortitudinem, & potestatem: certè ex Iobo, nulla est fortitudo quæ comparetur ei: & de eo sub figurâ Behemoth, ita loquitur cap. 40. *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in umbilico ventris eius.* ut nimirum intelligas esse fortissimum, cum ea membra quæ in cæteris animalibus solent esse mollissima ita sint in eo dura, ut in eis putes fortitudinem eius consistere: *Ossa eius velut fistula æris, cartilago illius*

quasi laminæ ferreæ, *&c. Ipse est principium viarum Dei.* Idem cap.41. sub figura Leviathan : *Reputabit quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs*, &c. *Quasi stipulam æstimabit malleum*, *& deridebit vibrantem hastam:* Vide S.Gregor. in Moral.

In particulari verò colligitur eius fortitudo; 1. ex naturâ ipsius, est enim spiritus : at spiritus ut sunt invulnerabiles, ita etiam potentissimi sunt vide, quid in Iobum potuerit, restrictâ licet eius potestate : 2. à specie, est enim invisibilis : unde nemo potest eum attingere, nemo tela eius devitare, cùm nemo eum videat ipse autem norit, quid agat, quoniam est Princeps tenebrarum: 3. à potentiâ, est enim huius mundi dominus, ac princeps: 4. à loco, pugnat enim eminùs, ex aëre, à cœlo, in cœlestibus, ut ait Apostolus, 5. ab indole est enim iniquissimus, & nequissimus & omnis mali artifex, quę omnia paucis verbis complexus est Apostolus Ephes.6. *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes, & potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.*

2. Propter instantiam eius, & pertinaciam in tentando, & aggrediendo: Instantiam vide in eo, quod dies noctèsque non quiescat, semper excubans in insidijs: Itaque Pelusiota ait eum ad nos decipiendum semper excubare in insidijs *ágripneína* Tertull. lib. de Pat. cap.7. Pervicacissimus hostis ille, nunquam malitiæ suæ otium facit: S. Hieron. in cap.15. Math. ait nobis semper insidiari, ut vel levem cogitationum nostrarum scintillam suis fomitibus inflamet : & quia vulgò cedimus importunitati, hinc fit ut propter difficultatem constantiæ, & propter animi levitatem, & defatigationem cadamus animo, & succumbamus: vide quid Sãsoni acciderit in cap.16. libri Iudicum, ex importunitate Dalilæ : *cùmque molesta esset ei, & per multos dies iugiter adhæreret spatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem usque lassata est: tunc aperiens veritatem rei, &c.* Vnde Sapientis monitum, Eccl.4. *Pro iustitiâ agonizare pro animâ tuâ, & usque ad mortem,* &c. Accedit instantiæ Dæmonis, eiusdem pertinacia, & pervicacia, quæ tanta est, ut repulsus redeat, uti vides in Evangelio, ubi quidem dicitur, quod recessit, sed additur, ad tempus, differens magis tentationem, ait Hieron. quam auferens : Tertull. de Patientiâ cap.7. Tunc maximè sævit, cum hominem plenè sentit liberatum : tunc plurimùm accenditur, cùm extinguitur: Cyprian. epist.6. hoc ipso quod victus est superantem superare conatur: Itaque Cyrillus Alexandrinus Dæmonem appellat ex hac pertinaciâ *deinde untiprátin* vehementem in oppugnando.

2. Pars probatur, nempe eius tentationem præcipuè esse metuendam, quòd cum arte, & methodo tentet: Cũ artem & methodum audis, noli aliud intelligere, quàm plurimas eius versutias & fraudes : itaque prima eius tentatio fuit Evam decipere : unde dicitur à S. Ignatio Martyre, Epistolâ ad Philippenses *poikílos*, versutus, *kakiastratigos* malitiæ

malitiæ dux:& à S.Hieron.in Epist.ad Ephes. eius artes multimoda ingenia aqpellantur: sic eum S. Macarius *poluplokon* vocat varium, vafrum, & implicatum, qui habeat *maggana*, *ky trigura*. excogittatas machinas, & fores triplices, *ky poikilian pollin*, & versutiam multam. Triplices fores dixit, quibus intret, quibus alabatur, quibus redeat: Hinc varia nomina ei tribuuntur in Scripturâ, cui nomina mille, mille nocendi artes: sed universalissimè dicitur Serpens, Quia *callidior erat omnibus animantibus*:& quod uti notat S.Ephiphanius, serpens sit inter animantes *skliootatos* maximè tortuosus,& varius:speciatim dicitur Genes.49.*Cerastes in semitâ*, quē Nicander appellat *dolóenta*, insidiantem, & dolosum; & alibi dicitur *Princeps tenebrarum*, *& Potestas tenebrarum*. Item *spiritualia nequitiæ in cælestibus:* Apud Iobum cap.4.vocatur Tygris,non tantum propter crudelitatem, sed etiam propter varietatem: LXX. Interpretes habent pro Tygride,*mormikoleon*,genus animalis pusillum,sed astullum ad formicas rapiendas, & devorandas: In compositione naturarum, formicæ, & leonis, S. Gregorius agnoscit varium ingenium: ob multitudinem autem fraudum, & innumeram varietatem, comparatur plurimis animantibus,serpenti,draconi,leoni,ericio,aquilæ, aspidi,basilisco, scorpioni, &c. Vnde apud Iobum.Behemoth appellatur, quę vox pluralis est numeri, & significat plura animalia,quia videlicet plurium astus in se comprehendit: Id significatum in cap.12.Apocal. in Dracone habente capita septem, & cornua decem immo in singulis capitibus diadema gerit, quia Rex est multorum Basiliscorum.Hinc dicitur Draco, simul bestia marina, & terrestris, immò etiam visus in cœlo, Apocal. 17. *Signum magnum in cœlo, Draco magnus, & rufus:* Itaque passim Prophethæ,vocant, Thanninim, quam vocem, tùm S.Hieronymus, tùm sacri Interpretes variè vertunt: alij dracones, alij colubros, alij cetos:nonnulli sirenes, ericios, aut lamias: blanditur enim ut siren, nudat mammam,ut lamia prophetica: ut ericius pungit,& lancinat:degludit ut cetus: ut draco, ferocissimè in uadit, & cauda circumligat: ut serpens veneno inficit: Itaque rectè admonet Apostolus Ephes. 6.*Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare agversus insidias Diaboli,* Græcè *metodelas*. Quia uti docet S. Chrysost.quâdam arte,& methodo adoritur: unde Hieron. & Ambros. vertunt,versutias: & uti advertit S. Chrysostō.nō dixit Apostol⁹, adversus pugnas,neq; advers⁹ bella;neq; ēim propalā &apertè nobiscū bellū gerit inimic⁹, sed ex insidijs quæ dicūtur *metodelas*:Nā *metodeénein* est decipere, & compendiariâ viâ,ac ratione capere, ac superare, quod quidem fit,& in artibus, & in orationibus,& in luctâ, & in factis, in ijs qui nos seducunt. Hæc ille. Ex quibus patet intelligi varias artes fraudes, & industrias,& machinationes Diaboli quibus nos circum venit.

5.Proposito. Cum eius artes sint innumeræ, præcipuas continet hodiernū Evāgeliū:Ex inumeris paucas subijcio.

1. Itaque

Itaque ficut omnis methodus plura redigit in pauca, ita Dæmon omnia tentationum objecta feu materiam ad tria capita reduxit: & ideò de tribus tantum, Christum Dominum tentavit, de gulâ, de vanâ gloriâ, de avaritiâ cum ambitione: Etenim fingi tantùm potest triplex deordinatio: una circa Deum per superbiam: altera circa se per voluptatem: tertia circa proximum per injustitiam, avaritiam, & ambitionem: Item ex S. Thoma, causæ seu materiæ tentationum, sunt incentiva cupiditatum, scilicet carnis oblectatio, spes gloriæ, & aviditas potentiæ: Est enim triplex in hominibus cupiditas ardentissima, voluptatum, opum, gloriæ, secundum tria bonorum genera, quæ in homine esse possunt, bonorum, inquam, falsorum: nam vera bona Dæmon proponere non potest, uti sunt virtutes, quibus nemo malè utitur: Itaque in deserto proposuit voluptatem in pane: gloriam supra templum, Angelis ad eum sustentandum, si se projiceret, concurrentibus, in testimonio sanctitatis: opus in monte, cùm ostendit omnia regna mundi: Unde in Apacalypsi fœdus initum, inter Draconem, bestiam terræ, & bestiam maris: quæ respondent apud Jobum, ijs quæ Dæmonem significant, nempe Satanæ, Behemoth, & Leviathan: Draco in cœlo, & superborum Deus Satan: Bestia, terræ, & Behemoth, significat delitias, quia ex Job Behemoth *sub umbrâ dormit, in secreto calami & in locis humentibus*. Leviathan opes significat, de quo Idem, *concident eum amici, divident illum negotiatores*: Et certè Alcazar, per bestiam maris, imperium Romanum significari dicit, in quo totius orbis opes collectæ erant. Illud igitur in universum sciendum est, manifestissimum esse Diabolicæ tentetionis argumentum, inductionem ad voluptates, vanam gloriam, & avaritiam, quarum rerum cupiditates sunt initia omnium vitiorum: Nam Apostolus Joannes. *Quidquid est in mundo, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*: & propterea ad tria opposità, Christus homines, & suâ doctrinâ, & exemplo suo induxit.

Unde sequitur, eum qui senserit se ad aliquod horum trium incitari, non debere dubitare, se tentari à Dæmone, & è contrario signum esse boni spiritus, si ab illis deducatur, atque abstrahatur.

2. Sicut ratione rerum, & objectorum, omnia reduxit Dæmon ad tria capita, ita ratione procedendi, triplicem habet tentationis modum, quem in Christi tentatione observavit, dicente Apostolo: *Habemus Pontificem tentatum per omnia*: Vel enim tentat sub humanâ specie, vel sub Angelicâ, vel sub propria speciei, hoc est Diabolicâ, vel apertâ: Etenim sub humanâ specie Christo apparuit in deserto, quasi fortuitò occurrisset, & ex communi pietate suaderet, ut famem sublevaret: Deinde cùm supra pinaculum templi eum extulit, sub Angelicâ specie apparuit, neque enim debuit sub humanâ: nam si subistâ, non potuisse commodè visus esset alium in aëra sublevare: neq; etiã polliceri

polliceri Angelos fore præsentes, qui præcipitanti seipsum succurrerent: sed cùm eum sub specie Angeli sustulisset, consuluit præcipitium, ut ei qui timere non deberet, Angelo sibi assistente, & mandatum divinum asserente, de succurrendo ipsi, ne caderet: Denique in montis fastigio, sub specie Dæmonis apparuit, cùm se adorari postulavit, manifestum crimen suadens, & egregiè mentitus, qui omnia sibi tradita diceret, & illa omnia pro adorationis mercede polliceretur: Unde triplex existit tentatio: humana, pseudoangelica & Diabolica.

Et prima quidem est sub specie necessitatis: quæ summa est, cum agitur de necessariis ad vitam, qualis est victus: Nam cum homines voluptarios, delitiis alliciat ad gulam: homines spiritales specie necessitatis ad se pertrahit, uti quotidie passim multos decipit prætextu sanitatis, & conservationis: sed præcipuè necessitatis obtentu, cui nemo non se aliquid debere putat: De hac tentatione S. Gregor. illud Job. 18. intelligit, *abscondita est in terrâ pedica eius, & decipula illius super semitam*: In terrâ pedica absconditur, cum culpa sub terrenis commodis occultatur, inimicus quippe insidians, ostendit humanæ menti in terreno lucro, quid appetat, & occultat peccati laqueum, ut eius animam stringat, quatenus videat, quid est, quod concupiscere valeat, & tamen nequaquam videat, in quo culpæ laqueo pedem ponat: sic etiam decipula ponitur, ut dum esca ostenditur, nequaquam ipsa à transeunte videatur: Quasi esca quippe in laqueo, est lucrum cum culpâ, & huius mundi prosperitas cum iniquitate: dum itaque à concupiscente lucrum appetitur, quasi pedem mentis, apprehendit decipula quæ non videtur; sæpe ergo proponuntur animo cum culpâ, honores, divitiæ, salus, & vita temporalis, quæ mens infirma, dũ quasi escam videt, & decipulam non videt, per escam, quam videns appetit, in culpâ constringitur, quæ non videtur.

2. Tentatio, seu pseudoangelica, fit sub specie boni, quæ summa est, cum agitur contra nos ex divino testimonio: *Mitte te deorsum, Angelis enim suis maudavit de te, ut custodiant te in omnibus viis suis*: Etenim Satanas se in Angelum lucis aliquando transfigurat, quâ potissimùm ratione bonis, & spiritales aggredi solet, ut ait S. Gregor. lib. 33. in Job. cap. 22. exponens illa verba quæ dicuntur de Leviathan: *Qui revelabit faciem indumenti eius*: aliter (inquit) religiosas hominum mentes, aliter huic mundo deditas tentat: nam pravis mala, quæ desiderant, apertè obijcit, bonis autem, latenter insidians, sub specie sanctitatis illudit: Illis velut familiaribus suis iniquum se manifestius insinuat: illis verò velut extraneis, cujusdam quasi honestatis prætrextu se palliat, ut mala quæ eis publicè non valet, tecta bonæ actionis velamine subintromittat: Ita & membra eius, sæpè cum apertâ nequitiâ nocere non possunt, bonæ actionis habitum sumunt: iniqui enim si aperte mali essent, à bonis recipi omninò non possent: sed

sumunt:

ſumunt aliquid de viſione bonorum, ut dùm boni viri in eis recipiunt ſpeciem quam amant, permixtum ſumant etiam virus, quod vitant. Ita Gregor. Quin etiam miracula ſimulat, *ut in errorem inducantur, etiam ſi fieri poteſt, electi*: Itaque rebus ſanctis utitur & Chriſtum adoritur teſtimonio Scripturæ Quot homines decepti ſunt hoc ſæculo prætextu majoris reformationis: quot ſpecie pænitentiæ Eleemoſynæ, Orationis,& majoris perfectionis:Ita ſolet Dæmon,ait S.Ignatius in Regula 4. de dignoſcendis ſpiritibus: cognitis pijs animæ votis,illis primùm obſecundare,ſed paulatim illam allicit ad perverſa ſua deſideria:Unde monet in Regulâ 5.ut accuratè excutiantur cogitationes noſtræ,circa principium,medium,& finem: nam ſi hæc tria benè ſe habeant, bonum oſtendunt Angelum,cogitationes illas ſuggerentem:ſed ſi per diſcurſum mentis,aliquid offertur, vel ſequitur,quod ex ſe malum ſit, aut avocet à bono, vel ad minus bonum impellat, quàm anima priùs ſequi decreverat: vel aliquid ſuſpectum, & ab omnibus non ſatis probatum, vel ſi pacem animæ tollat & ſecuritatem, evidens erit indicium,huius rei authorem eſſe Dæmonem, utpote utilitati noſtræ adverſantem,& ſemper ſingularia ſectantem. Sæpe etiam deprehenditur ex caudâ ſerpentinâ,hoc eſt ex fine malo, quem ſemper nobis inſinuare ſtudet: nam licet ab initio bonum & virtutem prætexuerit, paulatim tamen quædam inſinuat quæ bona non ſunt, quæ ſuſpecta ſunt, & quæ animi pacem & tranquillitatem tollunt:unde facilè deprehenditur eius deceptio: Itaque licet dæmon obtulerit Chriſto Angelorum cuſtodiam, & divinum teſtimonium, quia tamen præcipitium ſuadebat quæ res adverſabatur Scripturæ, quæ vetat tentari Deum, ideò Chriſtus Dæmonem repulit, ſub falſo prætextu rem malam ſuadentem.

3. Tentatio,quæ Diabolica dicitur, quòd apertè Dæmonem oſtendat, non timet apertè malum proponere, exhibitâ ingenti mercede:neque enim Dæmon diſſimulavit, quis eſſet, cum dixit:*hæc omnia tibi dabo*: nec magnitudinem ſceleris, ſi cadens adoraveris me. Unde Chriſtus hac tantum vice tractavit ut Dæmonem:*Vade Sathana.* Sic autem facit Dæmon, vel cum ſceleratis hominibus, quibus ut ait Gregor. loc. cit.mala quæ deſiderant, apertè obijcit:vel in ijs rebus, quas homines tanti faciunt, ut ad eas per ſumma etiam ſcelera pervenire non reformident:v.g. in avaritiâ & ambitione:uti advertit S.Cyprianus in opere de operibusCardinalibus Chriſti, in capite de Jejunio, & Tentationibus eius. Et in avaritiâ quidem proponit exemplũ Judæ proditoris,qui lucrum quærens non dubitavit Chriſtum tradere: uſque ad mortem Domini(ait) amor lucri ſe ingerit, nec vitæ Salvatoris, quæſtus deſideriũ parcit. S. Leone ſic accinente: Amori pecuniæ vilis eſt omnis affectio, & anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit: Jam de ambitione Cyprian.loc.cit. Nihil intentatum ambitio prætermittit. Et poſteà. Inverecundè tentator ambitioſos aggreditur, & conditione pernicioſâ præmiſſâ,

præmia

præmia talia pollicetur, ultra quæ extendi non possit cupiditas: regnorum scilicet Monarchiam, & universitatis dominatum, ut in omnibus mundanis, unus homo quasi Deus habeat potestatem, & uni omnia subjecta sint, & generale vectigal, excellentiæ principali, cuncta persolvant: quid ultra, cupide quæris? quid amplius avare desideras? Hoc sanè patet experientiâ: Nam ut opes habeantur & divitiæ; quid non admittunt homines? Certè Dæmon nullam tam turpem objicere potest cõditionem, quæ non admittatur: sed præcipuè ob dominatum: si jus violandum est, ajebat ille, regni causa violandum est: Quot putas homines vivere, quibus si in criminis præmium, offeres regnum, ac sceptrum, quidlibet admitterent? Sed quid ego de regno loquor, cum minima ambitio, idem efficiat? an non passim ab hominibus iura violantur, continentia læditur, nulla ratio honestatis, nulla æquitatis, nulla virtutis, nulla amicitiæ, nulla honoris, nulla pudoris habetur? quid minores virtutes commemoro, nulla religionis, nulla fidei, nulla divinæ majestatis. Non unus Dæmon adoraretur, sed omnes Dæmones adorarentur, *ostendit omnia regna mundi, & gloriam eorum*: In ijs occasionibus, non est quod Dæmon se occultet, apertè agit non disimulat, non occultat crimina: *Si cadens adoraveris me.* Nam conditione perniciosâ præmissâ, præmia talia pollicetur, ultra quæ extendi non possit cupiditas.

Hic unusquisque videat quo tandem genere tentationis se Dæmon adoriatur, an humanâ, an pseudo Angelicâ, an planè Diabolicâ. Certè quælibet peremptoria est, & quacunque vincat Dæmon, hominem perdit. Et quidem minus homines verentur humanam prætextu necessitatis: sed scias necessitatem esse prætextum, immo tentationem voluptatis. Quàm multa fiunt ut panis habeatur? quasi Deus non aliũde provideat *Nõ* enim *in solo pane vivit hõo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei:* Verũ hæc tẽtatio passim homines adoritur, etiam minimè malos: opifices, rusticos, patris-familias, matres-familias, qui aliorum curam habent, qui præsunt domibus, familijs, communitatibus, regnis, rei publicæ. Quàm multa fiunt prætextu sanctitatis, necessitatis & vitæ? sed scias nullam esse causam legitimam rei malæ, & res omnes potiùs esse amittendas quam innocentiam, & sæpè in, eo esse gravissimam Dæmonis tentationem, quâ passim illaqueantur homines inani prætextu. Hoc habe in universum, necessitatem prætendi, ubi voluptas imperat.

Sed gravior tentatio est quæ nos sub specie boni adoritur, quâ maximè solent decipi qui perfectionis sunt amantes, & qui falso zelo abripiuntur: *Quis revelabit faciem indumenti eius?* quia scilicet Angelus Satanæ se transfigurat in Angelum lucis. Sed scias non omnia quæ videntur, eadem esse vera: unde monet Apostolus Ioannes Epist. 1. cap. 4. *Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint:* rationem reddit. *quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundũ:* non itaque omnibus fides adhibenda, etiã qui bona offerũt. Scito omnia externa esse æquivoca: Item

Item, omnia insolita debere esse suspecta : omnia extraordinaria esse periculosa : Deniquè ea omnia quæ mali aliquid habent admixta esse reijcienda: ita in veteri regulâ, in modo communi, & in priori mandato, & sicut dicit Apostolus ad Galat. 1. *Sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit: sicut: prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis Evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.*

Sed omnium gravissima est tentatio Diabolica, quia ad manifestissimum crimen inducit, ad Diaboli adorationem. Sed vide quo illicio : *ostendit illi omnia regna mundi, & omnem gloriam eorum:* Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Insane quid cogitat? Mundum habes (ait Cyprianus) Deum non habes: Mundus transibit: Tu cum eo qui non stat, cades, transibis, & rues: peremptoria sunt hæc consilia, quæ tibi talia pollicentur, in quibus re necesse est, aut vomitu, aut ruptis interire visceribus: Vide deinde, ut cum eodem Doctore pergam, pretium quod petitur, ut Diabolum adores prostratus, & eum tibi Deum constituas, quem non dubitas seductorem : si consenseris, ut concedas, casus tui te non potes excusare improvidum, cum ipse tibi casum, & ruinam prænominet, & præcipitium exigat, &c. Denique non consideras, quid tibi ex adverso promittit Deus: Regnum Christi non est de hoc mundo: Regnum Cœlorum, tibi Deus promittit, ipsum solum adora, ipsi soli memento ut servias, qui repulso tentatore, te quoque gloriâ, & honore post victoriâ coronabit.

Amen.





IN DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

CONCIO SECVNDA.

Doli & artes Dæmonis in tentando, ex tentationibus quibus Christum aggressus est, aperiuntur.

Jesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Matthæi 4. cap. 1.

DIXIMUS in præcedenti Concione, cùm Dæmonis tentatio ex variis capitibus sit metuenda, præcipuè tamen quod cùm arte, & methodo tētet. Cùm enim eius pugnandi ratio sit spiritalis, maximè pugnat ex arte; Unde Dæmones vocat Apostolus *spiritualia nequitiæ*, hoc est spiritales nequitias: quarum quasdam jam supra attulimus, sed quia sunt innumeræ, ne putes si superiores illas vitaveris, te rerum omnium esse securum, ideò in earum enumeratione pergo, ut saltem ex multitudine infensissimum hostem & timere, & cavere discas. Verùm prius Virginem salutemus. *Ave Maria.*

I.

IGITUR sic Dæmon in tentando partitur objecta, & modum tentationis, ut tamen non de omnibus simul tentet, sed successivè & tentationis mutando: itaque Christum priùs de gulâ tentavit, posteà de vanâ gloriâ, tum de avaritiâ & ambitione: tùm ut omnia experiatur, ut si uno prælio non vincat, altero dejiciat; tum ut omnibus vitijs implicet; neque enim mediocriter nocere vult, sed summè. In quem sensum S. Gregorius lib. 15. Moral. cap. 16. illud Jobi interpretatur: *Vadent & venient super eum horribiles*: Sic dicti Dæmones quoniam bonis mentibus pavendi sunt, ac fugiendi: Perversi itaque mentem etsi alia mala deserunt, alia occupant: Ita plerumque videas hominem furiosum, aut iracundum, quidquid ira suggesserit, exequi: sed ubi furor abscessit, mentem eius, luxuria devastat: cùm luxuria

ad tempus intermittitur, elatio protinùs quasi de continentiâ in eius cogitatione subrogatur; atque ut à cæteris timeatur, appetit videri terribilis: sed si potentior assurgat, quasi postposito terrore superbiæ, remissâ locutione blanditur: & cum superbus videri desierit, duplex effici non pertimescit: in cuius ergo mentem vitia vitijs succedunt, rectè de eo dicitur, *Vadent & venient super eum horribiles*: quia quot vitijs decedentibus, & succedentibus premitur, tot malignis spiritibus, eius animus, quasi euntibus, ac redeuntibus vastatur. Hac autem arte utitur Dæmon, ut omnes machinationes adhibeat, & aliquâ tandem ratione, perimat ac perdat: Exemplum habes insigne in Jobo, quem omnibus modis aggressus est, uti notat idem S. Greg. præf. in eius lib. cap. 4. & 5. Abstulit substantiam, interfecit filios, percussit corpus, instigavit uxorem, amicos ad consolationem adduxit, sed in asperitatem increpationis excitavit: ut crebriùs feriendo, cor attingeret, quod novo vulnere semper iteraret: Quia enim in sæculo potentem vidit, damnis substantiæ eum moveri credidit: quem non concussum ex filiorum morte pulsavit: Videns autem quia ad augmentum divinæ laudis, etiam ex vulnere crevit orbitatis, petivit feriendam salutem corporis: Intuens etiam quia per dolorem corporis pervenire nequiverat ad passionem mentis, instigavit uxorem: civitatem quippe quam expugnare appetivit, nimis munitam vidit, & idcirco exteriùs tot plagas inferens, quasi foris exercitum admovit, animum verò uxoris in verbis malæ persuasionis accendens, quasi intus civium corda corrupit: & foris itaque admovit impetum belli; intus venena consilij, ut tanto citiùs urbem caperet, quantò eam interius, exteriusque turbaret: Nempe omnia tela Dæmon adhibuit: sed in his omnibus mansit mens imperterrita; stetit civitas inconcussa: & ut pergit loco citato cap. 5. ubique munitus astitit, undique venientibus gladijs vigilanter obviavit: amissam substantiam tacitè despicit, carnem in filijs mortuam æquanimiter dolet: in se carnem percussam patienter tolerat: carnem in conjuge malè suadentem, sapienter docet, super hæc amici in asperam correptionem prosiliunt, & pro sedando dolore venientes, vim doloris adjungunt: omnia ergo machinamenta tentationum sancto viro vertuntur in augmenta virtutum: per vulnera quippe probatur eius patientia: per verba verò exercetur eius sapientia: ubique fortiter occurrit, quia flagella robore, & verba ratione superavit.

2. Ita Dæmon mutat tentationes, & hominem varijs modis aggreditur ut tamen ordinem servet in tentando: omnis enim methodus servat ordinem, & ille ordo propriè methodus appellatur. Itaque ut plurimum homines voluptatibus primò adoritur, tùm superbiâ, & vanâ gloriâ, denique opibus, & ambitione: Hunc ordinem videre est in ætatibus: Nam ferè adolescentes & juvenes, voluptatibus tanguntur: viri gloriâ: senes avaritiâ: atque hunc ordinem in Christi tentatione Dæmon servavit: Nam primò tantavit gulâ, cùm

cùm dixit, *Dic ut lapides isti panes fiant;* Tum appetitu gloriæ, cùm persuasit præcipitium è pinaculo Templi, ut speraret se in omnium conspectu ab Angelis suscipiendum ne caderet: denique avaritia, & ambitione, opibus propositis, *dum ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum* dicens, *Hæc omnia tibi dabo*: atque hunc tentationis ordinem rectè explicat Serapion apud Cassianum collat.5.cap.6.

Nota 1. Christum minimè tentatùm à Diabolo de luxuriâ, cuius rei multæ causæ afferri possunt: sed ad propositum, unicam affero ex Cassiano loc.cit. Nec enim (inquit) qui gulam vicerat, poterat fornicatione tentari, quæ ex illius abundantiâ, ut à radice procedit: Nam ut ait Tertullianus lib.de Iejunijs, Grande monstrum haberetur libido sine gulâ: specta corpus, una regio est: deniq; pro dispositione membrorũ ordo vitiorum est: qui itaque sic iejunarat, & qui post jejunium sic gulam domuerat, de carnis luxuriâ vanè fuisset tantatus.

Nota 2. B.Matth.& S.Lucam diverso ordine has tentationes narrare: uterque quidem inchoat à tentatione gulæ, Quia ferè tentamur primo de vitijs corporis, & de ijs, quæ in nobis sunt: Et fuit comunis SS.PP Sententia, qui ista vitia minora non superasset, cætera non posse deinceps superare: Sed Matheus secundo loco ponit superbiæ tentationem, & tertio loco tentationem avaritiæ: contrà quam facit S. Lucas. Quia uti advertit S.Thomas 3.p.q.41. art.4. ad 5. aliquando ab avaritiâ, transitur ad superbiam: aliquando à superbia ad avaritiam: Tu itaque vide, si nondum carnales tentationes vicisti, quomodo reliquas graviores vincere possis? Ille autem ordo, eò pertinet, quod Dæmon à minoribus ordiri soleat, ut ad majora progrediatur: non statim adulterium proponit, sed amoris initia: non statim homicidium, sed leves iras: non statim defectionem à fide, sed quasdam ineptas libertates: Etenim non statim se prodit totum, sed paulatim se aperit: ad Evã, *cur vobis præcepit Deus ut non comederitis de omni ligno Paradisi:* deinde *nequaquam moriemini:* mendacem facit Deum: tùm subdit: *Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri:* Invidum Deum facit: denique sic concludit: *Eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum*: ad extremum perduxit superbiam, ut cum Deo æqualitatem ambirent: Ita in Christi tentatione paulatim processit: Nam in primâ videtur respexisse ad aliquod de se non malũ, nempe esurientis corporis refectionem, tamen per mediũ malum & inordinatum, nempe per modum insolitum, & extraordinarium: *dic ut lapides isti panes fiant.* In secundâ respexit quidem ad aliquid malum, sed quod videri posset, de se non admodum grave, ut est vana apud homines æstimatio, per medium tamen magis atque evidentiùs inordinatum, nempe præcipicium: In tertiâ verò manifestius suam prodidit malitiam, & ad summum malum contra Deum induxit, propter infirmũ quoddam motivum, quod solet esse radix, atque origo omnium vitiorum.

Eodem artificio uti advertit S. Gregor.lib.2.in Iob.cap.8. Callidâ curavit antiquus hostis, non tàm jacturâ rerum, sancti viri patientiam frangere, quàm ipso ordine nunciorum: qui studens priùs parva, & post nunciare majora,in extremo filiorum mortem intulit:ne vilia,pater,rei familiaris damna duceret,si illa, jam orbatus audiret, & minùs perceuteret, rerum amissio, præcognitâ morte filiorum:quia videlicet nulla esset hæreditas, fillos priùs subtraheret, qui servabantur hæredes: sed à minimis incipiens, in ultimum, greviora nunciavit, ut dùm gradatim deteriora cognosceret, in eius corde, doloris locum,omne vulnus inveniret: Hæc ille. Vnde tam sæpe illud Patrum spiritalium consilium,ut ab initio Dæmon repellatur:*Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram:* August.inPsal. 36.Quid sunt parvuli Babyloniæ, nascentes malæ cupiditates: quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat adversù te mala consuetudo: cùm parvula est, nequaquam pravæ consuetudinis robur accipiat: cum parvula est, elide illam:hostis major est? occidatur ad petram: brevis hostis est? elidatùr ad petram: & majores ad petram occidite:& minores,ad petram elidite.

3. Sic Dæmon ordinat tentationes, ut quamlibet ad extremum perducat: neque enim exigua hominum ruinâ est contentus, sed ex maximo in homines odio,ad majora semper,& ad summa, impellit:Id vide in singlis Christi tentationibus. Nam quoad gulam attinet: Cum Christum tentavit, quoad desiderium, & modum quærendi cibi, non potuit ad gravius tentate: Nam ut advertit S. Basilius, relatus in Catena PP.in Lucam, suasit lapidibus appetitum dare, hoc est permutare desiderium ab alimento naturali, ad existentiam præter naturam:duo dicitDæmonem Christo suasisse: 1.ut etiam miraculo,gulæ satisfaceret,qui modus planè indebitus est,cùm alio modo potuisset:oportebat ergo sublatâ necessitate, insolitam esse cibi appetentiam, quæ etiam miraculo sibi fieri satis poscebat: 2.Vt gustum,& delitias in re non convenienti quæreret. Portenta quædam naturæ fuerunt,nonnulli Imperatores, qui contra naturam ipsam,delitias alienissimo tempore,& alienis locis quærerent: Ac de Caligula quidem scripsit Suetonius:Nihil tam efficere concupiscebat, quàm quod posse effici negaretur: Ita Dæmon à naturali alimento Christum provocat ad existentiam præter naturam: unde tentationum dissipator Christus, non repellit famen à naturâ: sed tentationem refutat dicens:*Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*:sumitur ex cap.8.Deuter.ubi de Manna Sic habent Hæbrea, super omne, quod egreditur os Domini,vivet homo: Id est quacunque re, quam Deus ordinarit ad vitæ sustentationem, vivi potest: uti per annos 40.Iudæos pavit Mannâ, sine pane: sicut itaque in deserto panis non fuit populo necessarius, ita neque Christo ad vescendum opus fuit ut saxa in panes mutaret: & proinde vides gulæ tentationem ad summum fuisse perductam.

Idem dico de tentatione vanæ gloriæ, quâ eò perduxit, ut homo speret

Angelos

Angelos sibi in præcipitio ministraturos, ut inde famam sanctitatis aucupetur: hoc est velle, Deum miraculo sibi succurrere ad vanam aurã captandam.

Denique tentationem ambitionis deducit usque ad cupiditatẽ inexplebilem rerum omnium: *ostendit* enim *illi omnia regna mundi, & gloriam eorum,* atque subdit. *Hæc omnia tibi dabo.* Vide autem quò usque proferat crimen, nempe usque ad apertam Diaboli adorationem, & ut dependenter ab eo, velit habere omnia: quod significat his verbis. *Hæc omnia tibi dabo: si cadens adoraveris me:* & Lucæ cap. 4. *Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa: Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia*: quæ omnia majora esse non possunt, seu cupiditatem spectes, seu crimen.

4. Sic Dæmon tentationem suam ad extremum perducit, ut maximè occultet, quod intendit: verè serpens, de quo rectè Tertull. Nusquam totus. Verè lucifuga bestia. Id vide in singulis Christi tentationibus, in quibus licet id videretur intendere, ut ad gulam, ad vanam gloriam, & ad avaritiam induceret, eius tamen præcipuus finis fuit, ut Christi divinitatem exploraret: & quia, si videret, carere, ut tentaret, atque in peccatum induceret. Sic igitur tentavit, ut periclitaretur, & ut agnosceret: Sic periclitatus est, ut tentaret: quod facile per singulas tentationes ostendi potest.

Nam quoad primam attinet, sic accessit animo explorandi divinitatam Christi, ut si ea non esset, ad gulæ peccatum induceret. Ita docent SS. Ambr. Hilarius, & alij multi ex Sanctis Patribus: Si enim solùm ad gulã inducere voluisset, non petiisset, ut lapides fierent panes: sed potius panes ipsos obtulisset, & ad vescendum provocasset: hac quippe viâ, facilius esurienti persuadere poterat, ut comederet, quàm lapides proponendo: sic autem exploravit: *Dic, ut lapides isti panes fiant*, quâ ratione opus ab illo exquisivit divinitatis proprium, nempe ut rem unam in aliam solo imperij sui nutu, verbòque converteret: quod non nisi à Deo, vel saltem virtute divinâ fieri poterat: unde si Christus, in testimonium, & probationem, quod esset Filius Dei, prout à Dæmone exigebatur, opus illud patrasset, evidenter agnovisset Dæmon quod optabat: ideò non dixit, cum esurias, *dic ut lapides isti panes fiant*, id enim vir sanctus facere poterat: Nec dixit, Filius Dei es, dic ut lapis, panis fiat: neque enim ex hoc, illud colligebatur: Sed usus est conditione, si Filius Dei es, quibus verbis significabat, conversionem lapidum, futuram in testimonium divinitatis: & persuadebat ut faceret: quasi diceret, si tantus es, quantùs prædicaris, & quantùm Deus de te testari visus est circa Iordanem, ne permittas hanc tantam dignitatem obscurari, aut in utilem esse: fac panem ex lapide, quò & tibi consules, & nam ostendas divinitatem. Hac autem probatione potiùs usus est quàm aliâ, quia occasione esuriei usus est secundùm illud Matth. 4. *Postea esuriit. & accedẽs tẽtator, dixit ei, si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.*

Denique, sic explorabat, ut tentaret:

Nam si Filius Dei non erat, intendebat eum ad manducandum excitare, ut constat ex responsione, *non in solo pane vivit homo:* utrumque enim intendebat, & explorare, & tentare ad peccatum. Sed præcipuè primum: quoniam ex unâ parte, vox Patris ad Iordanem, & Ioannis testimonium, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: Insuper, nullum in eo peccatum, quod in omnibus deprehendere solitus erat, Deum ostendebant: Aliunde ipsum Iejunium, esuries, & caro cum cæteris hominibus communis, eum ambiguum reddebant.

Idem planè intendit in secundâ tentatione, in quâ opus supernaturale in testimonium divinitatis postulavit: Idem in tertiâ, licet obsuriùs: nam licet nullum opus supernaturale flagitarit, quoniam illud obtinere, iam desperaverat; flagitavit potiùs opus divinitati contrarium, & injuriosum; id fecit solum, ut si verus Deus esset, tanta blasphemiâ, & sibi illatâ provocatus injuriâ, se potiùs à Dæmone adorari imperaret, atque hoc modo suam divinitatem proderet. Sed Christus omnes Dęmonis artes elusit.

Nam quoad primam, ita illum elusit, uti notat Sanctus Irenæus libro 5. contrà Hæreses cap. 21. ut ad illud, *si Filius Dei es*, tacuerit, & hominis confessione eum excæcarit, dicens, *Non in solo pane vivit homo*: Ita in secundâ, sic respondit, ut de suâ divinitate silens, & humanitatem recognoscens, ac secundùm illam, ad Deum subjectionem; diceret. *Non tentabis Dominum Deum tuum:* In tertiâ verò summâ sapientiâ & authoritate, qualis hominem iustum deceret, Dæmonis temeritatem atque audaciam perfregit, dicens, *Vade Satana*, & suam divinitatem abscondit, adjungens, *Dominum Deum tuum adorabis*, nos docens quomodo oporteat Dæmonis artes eludere.

5. Nec verò tantùm in suâ intentione Dæmon obscurus est, & tortuosus, sed in modo tentandi sic aliquando perplexus est & implicatus, ut nonnunquam ita animum illaqueet, ut unum peccatum fugere non possit, quin in aliud incidat: quo sensu B. Gregor. lib. 32. Moral. in Iob. cap. 17. illa verba interpretatur, quibus nervi Behemoth perplexi dicuntur: Quia videlicet suggestionum illius argumenta implicatis inventionibus illigantur ut plerosque ita peccare faciant, quatenùs si fortasse peccatum fugere appetant, hoc sine alio peccati laqueo non evadant, & culpam faciant, dum vitant: ac nequaquā se ab unâ valeant solvere, nisi in aliâ consentiant ligari: Tùm subdit exempla in omni hominum conditione, in Conjugatis, in Continentibus, in Pastoribus: In primis, quidam alteri amicus, secretum alteri jurejurando pollicetur: sed is cui juratum est adulterium aperit, & mariti adulteræ homicidium à se commissum: Vide animū perplexum eius qui iuravit si taceat adulterij simul, atque homicidij particeps fieri timet: si loquatur, perjurium veretur: perplexis itaque Behemoth nervis ligatus est: Quia (inquit) in quamlibet partem declinet, metuit ne à transgressionis contagione liber non sit: Aliud exemplū in Continentib⁹. Quidā mundo renuntians, alteri sese voto obedientiæ obstringit: sed incautè Superiorem

rē eligit, qui ea quæ Dei sunt prohibet, quæ mundi sunt, jubet: quid faciat subditus? & obedire trepitat, & nō obedire formidat: ne aut obediens, Deū in suis præceptis deserat; aut rursū nō obediēs Deū in electo Priore contēnat: & aut illicitis obtemperans, hoc quod pro Deo appetit, contra Deum exerceat: aut rursùm non obtemperans, eum quem suum judicem quæsierat, suo judicio supponat. Apertè ergo per in discretionis suæ vitium perplexis nervis astringitur, quia aut obtemperans, aut certè non obtemperans in culpâ transgressionis ligatur: Tertium exemplum in Prælatis. Quidam præmijs, se regimini Ecclesiæ immiscuit: sed cum imperandi difficultatem sentit, dignitatem abijcere deliberat: Per honoris ergo ambitum, ligatum culpâ, hinc inde se conspicit: esse quippe sine reatu criminis neutrum videt, si aut susceptus semel grex deseratur, aut rursùm sacra actio sæculariter empta teneatur: Cuius status miseri, hoc in universum subdit remedium: Est tamen quod ad destruendas eius versutias utiliter fiat, ut dùm mens inter minora, & maxima peccata, constringitur, si omninò nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur: Quia & qui murorum undique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur: sic Apostolus, dùm quosdam in Ecclesiâ incontinentes aspiceret, concessit minima, ut majora declinarent, dicens: *Propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat:* Et quia tunc solum conjuges in admixtione sine culpâ sunt, cum non pro explendâ libidine, sed pro suscipiendâ prole miscentur; ut hoc etiā, quod concesserat, sine culpâ, quamvis minimâ, non esse monstraret, illicò adjunxit, *hoc autem dico, secundum indulgentiam. non secundum imperium:* Non enim est sine vitio quod ignoscitur, & præcipitur: Peccatum profectò vidit, quod posse indulgeri prævidit: sed cum in dubijs constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine veniâ peccemus: itaque plerumque nervorum Behemoth istius perplexitas solvitur, dum ad virtutes maximas, per commissa minora transitur. Sed universaliùs quomodo id contingat exponit Richardus à sancto Victore, part. 2. annotatione in Psal. 90. *Qui habitat.* ubi loquitur de septem tentationibus: Perplexa (ait) tentatio est, quando sub uno, eodemque tempore, mens varijs vitijs impetitur, ut vel in uno aliquo labatur: Et sæpè versuta malignitas hos vitiorum congressus cum tanto artificio ordinat, ut animus improvidus, unde uni vitio robustius resistere parat, eo ipso aliud incurrat, atque hanc tentationem omnium perniciosissimam vocat: si enim difficile est, sæpè unum aliquod vitium superare, quàm laboriosum erit plurium insultus, sub uno impetu sustinere: virum sanè robustum, sed nec minus prudentem dixerim, qui agminis tantopere hostilis, nec viribus frangitur, nec fraudibus circumvenitur, &c. in perplexâ enim tentatione, tàm nostra virtus exercetur ad fortitudinem, quàm nostra prudentia eruditur ad discretionem: nam sicut magnæ fortitudinis est, multi-

multitudinis impetum fortiter sustinere, ita miræ prudentiæ est, circumfluentis insidias prudenter prævenire: Hæc ille.

Si non eôdem, sanè quoquo modo Dæmon in triplici tentatione Christi, multiplices tentationes involuit: Nam in primâ, & de gulâ tentavit, ut comederet, & de superbiâ, ut modo insolito sibi provideret: &c. Quibus omnibus Christus unicâ responsione, providit: ita ut Dæmonem valdè implicarit, sic vicit, ut multùm falleret: victus est enim Diabolus, quia nec novit quod explorabat, nec obtinuit quod tentabat: Vide Jansenium in Concord. Evág. cap. 15. in hæc verba, Si Filius Dei es, &c.

6. Ut eo perveniat, perpetuò quærit secretum, ac maximè timet, ne reveletur: Ita Christum adorsus est in deserto, & in solitudine: Et Jesus in Evangelio *Ductus est à spiritu in desertum, ut tentaretur à Diabolo:* Hinc docet S. Ignatius in suis spiritalibus exercitijs, ubi quasdam tradit Regulas ad dignoscendos spiritus, Dæmonem sequi solitum morem nequissimi amatoris, qui puellam aut alicuius viri uxorem volens seducere, nihil magis timet, quam ut verba & consilia sua, aut Patri, aut Marito patefiant, cùm sciat hoc pacto de suis conatibus actum esse: Ita cùm Dæmon vult aliquem perdere, semper suadet ut suas suggestiones secretas habeat: sciens se vincendum, si detegatur: Hinc factum, ut quandiu credidit se latere, semper redierit, sperans se aliquid tandem obtenturum: sed ubi audivit, *Vade retro Satana*, *discessit ab eo ad tempus*: Hinc fit ut *Princeps tenebrarum* appelletur, & *negotium perambulans in tenebris*:

7. Sic latendo uniuscuiusque statum explorat, conditionem, dispositionem, opportunitatem: Ita tempus opportunum accepit tentandi Christi de gulâ, ubi illum esurire animadvertit: secundùm illud Evangelistæ, *Posteà esurijt, & accedens Tentator.* Morem Dei servat, malus eius imitator, qui in gratijs dandis observat suorum electorum dispositionem: De Dæmone illud Job. 18. interpretatur S. Gregor. *Abscondita est in terrâ pedica eius, & decipula illius super semitam:* Existunt (ait Gegor.) qualitates morum, quæ certis vitijs sunt vicinæ: Nam mores asperi, aut crudelitati, aut superbiæ solent esse conjuncti: maximè autem blandi, & quam decet paulò amplius lætiores, nonnunquam luxuriæ, & dissolutioni: Intuetur ergo inimicus generis humani uniuscuiusque mores, cui vitio sint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoscit faciliùs inclinari mentem: ut blandis, ac lætis moribus, sæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam: asperis vero mentibus, iram, superbiam vel crudelitatem proponat: Ibi ergo decipulam ponit, ubi esse semitam mentis cognoscit, quia ibi periculum deceptionis inserit, ubi viam esse invenirit propinquæ cogitationis. Hæc ille. Ac rectè advertit S. Ignat. in suis exercitijs in Regulâ 14. de dignoscendis spiritibus: Dæmonem imitari solere aliquem belli Ducem, qui obsessam arcem expugnans, exploratâ prius naturâ, & munitione loci, debiliorem partem aggre-

ditur:sic ille animam circuit, & callidè inquirit, quarumnam virtutum præsidijs, moralium scilicet, aut Theologicarum, ipsa vel munita, aut destituta sit; eâque potissimum parte, machinis omnibus irruit, ac subvertere nos sperat, quam in nobis minùs cæteris firmatam & custoditam esse præviderit: idque nos quotidianis discimus experimentis. Cæterum cum omnes adoriatur, nemo enim sine tentatione vivit;

8. Eos tamen præcipuè tentat, qui se virtuti addicunt, ut à suscepto boni operis abducat: unde dicitur in Evangelio, *Ductus est Jesus à spiritu in desertum, ut tentaretur à Diabolo*, & in fine tanti jejunij, *accedens tentator, dixit ei, &c. dic ut lapides isti panes fiant*: ita nimirum fervor Deo inservientium Diaboli rabiem excitat ad invidiam ac furorem: In hunc sensum S. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 21. exponit verba illa Jobi, *Qui parati sunt suscitare Leviathã:* Omnes enim (ait Gregor.) qui ea quæ mundi sunt, mente calcant, & ea quæ Dei sunt plenâ intentione desiderant, Leviathan cõtra se suscitant, quia eius malitiam, instigatione suæ conversationis inflammant: nam qui eius voluntati subjecti sunt, quasi quieto, ab illo, jure possidentur, & superbus eorum rex, quasi quâdam securitate perfruitur, dùm eorum cordibus inconcussâ potestate dominatur: sed cũ uniuscuiusque spiritus, ad conditoris sui desiderium recalescit, & cum libertatis ingẽitæ meminit, & teneri ab hoste servus erubescit: quia idem hostis se considerat despici, quia vias Dei videt apprehendi, dolet contra se captum reniti, & mox zelo accenditur: mox ad certamen movetur, mox ad tentationes innumeras, contra rebellantẽ mentem se excitat, atque in omni arte lacerationis instigat, ut tentationum jacula intorquendo confodiat cor, quod dudum quieto jure possidebat: Quasi dormiebat quippe, dùm sopitus in pravo corde quiesceret: sed excitatur in provocatione certaminis, cùm jus amiserit perversæ dominationis. Itaque scriptum est Ecclesiastici 2. *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitiâ, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem:* quisquis enim accingi in divino servitio properat: quid aliud quàm se, contra antiqui adversarij certamen parat, ut liber in certamine, ictus suscipiat, qui quietus sub tyranno, in captivitate serviebat. Hactenus Gregor. qui lib. 33. Moral. cap. 6. aliam causam huius rei aperit. Ex eo enim quod Dæmon imperfectos suis tentationibus subjugavit, cum id parum existimet, audet etiam viros spiritales aggredi, secundùm illud Jobi, *Absorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quòd influat Jordanis in os eius:* Quia igitur Behemoth iste, ait Gregor. à mundi origine exortum, vix paucis electis evadentibus, humanum genus in ima defluens, usque ad redemptoris tempora, quasi quemdã in re se fluvium traxit, benè nunc dicit, *absorbebit fluvium, & non mirabitur*: Quia vero & post mediatoris adventum, quosdam qui rectè vivere negligunt, etiam fideles rapit. rectè subjungitur: *& habet fiduciam, quod influat Jordanis in os eius:* ac si apertè diceretur ante redemptorem mundi, mundum, non miratus absorbuit, sed quod est gravius, etiam

eius ossa, id est hæc eadem consilia, æris fistulis comparantur: æris quippe fistulæ, amoris aptari cantibus solent, quæ admotæ auribus, dùm blandum carmen subtiliter concinunt, interiora mentis, in exteriora delectationis trahunt; & dùm dulce est quod auribus sonant, virilitatem cordis in voluptatis fluxum debilitant, cumque auditus ad delectationem trahitur, sensus ab statu suæ fortitudinis enervatur. Hæc ille.

10. Nunc otio, & lentè, nunc assultibus aggreditur. Nam uti murus, qui assiduè quatitur, tandem diruitur, ita tàm assiduus est ut tandem debellet: novit enim illud Ambros. in Apol. l. 2. cap. 3. Nemo diu fortis est. Sed periculosiùs tentat fictâ pace, unde nulla securitas. Augustinus Homil. 46. & 50. facit hostis securos, quos cupit esse captivos: quod petitum à militiâ; in quâ incauti, & securi occupantur: unde monitum Æmilij Probi. Nihil in bello cõtemni oportere: nec sine causâ, dici, Matrem timidi flere non solere. Itaque S. Hilarius in Psal. 63. admonemur (inquit) timere insidiantem semper hostem, ne incautam securitatem nostram, ipse in speculis positus incurset. Et ideò, præclarum est monitum Prosperi lib. 2. de vocat. gent. cap. 28. In præsentis agonis incerto, ubi tota vita tentatio est, & ab insidianti superbiâ, nec ipsa est tuta victoria; mutabilitatis periculo non caretur: Exemplum subijcit D. Petri: Et S. Hieronym. ad Heliodor. Nolite credere, nolite esse securi; tranquillitas ista, tempestas est. Quare ne confidas, cùm fides omnia ex voto succedere, nihil te adversi sentire: dic enim semper apud te, tranquillitas ista, tempestas est, nulla in mari securitas, citò enim ex tranquillo, fit turbatum: hæc autem vita navigatio est: unde Apostoli templa nostra, instar navium esse voluerunt: Audi Tertull. de Idolatr. cap. ultimo, fides navigat; tuta, si cauta: secura, si attonita; cæterùm inenatabile excussis, profundum est: inextricabile impactis naufragium est: irrespirabile devoratis hypobrechium.

11. Eodem pertinet quod nunc subitis, & repentinis tentationibus adoritur imparatos: nunc lentis & mollibus delinimentis longâ assiduitate emollit, ac dissolvit, secundum illud Jobi 14. *Mons cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo: lapides excavant aquæ, & alluvione paulatim terra consumitur: & hominem ergo similiter perdes:* Quæ verba sic interpretatur Gregor. 12. Moral. cap. 13. Duo sunt genera tentationum: unum quod in mente etiam justi hominis per repẽtinum eventum agitur; quatenùs sic subitò tentetur, ut hunc inopinato proventu concutiat, & prosternat, casumque suum, non nisi post quàm ceciderit, videat: aliud verò quod paulatim venit in mentem, & resistentem animũ lenibus suggestionibus inficit, & omnes in eo vires justitiæ, non nimietate suâ, sed assiduitate consumit: Quia ergo alia est tentatio, quæ justos plerumque subitâ invasione prosternit, dicatur, *Mons cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo*, id est, mens sancta, cuius locus, justitia fuerat, impulsu subito trãsfertur ad culpã: Rursum, quia alia est tentatio, quæ se cordi hominis, leniter infun-

infundit, omnemque duritiam fortitudinis corrumpit, atque consumit; dicatur, *lapides excavant aquæ*, quia scilicet duritiam mentis absorbent assidua & mollia blandimenta libidinis: & lentum, atque subtile vitium corrumpit durum & forte propositum mentis: unde subditur, *alluvione paulatim terra consumitur:* sicut enim influente aquâ paulatim terra consumitur, sic leniter surrepente vitio, mens etiam fortis absorbetur: unde benè subjungitur: *Et homines ergo similiter perdes:* quod explicat per permissionem: Tum subdit exempla utriusque tentationis: Videamus. David ille, quantùm mons altus fuerit, qui tãta Dei mysteria, prophetico spiritu valuit contemplari: sed aspiciamus, quàm subito casu defluxit, qui dùm in solario deambulans, alienam conjugem cõcupivit, & abstulit, eiusque virum, cum damno sui exercitus interemit; repentino casu mons cecidit: cùm mens illa cœlestibus mysteriis assueta, inopinatâ tentatione devicta est, tàmque inmani turpitudini subacta: saxum itaque de loco suo translatum est, cùm Prophetæ animus à prophetiæ mysterijs exclusus, ad cogitandas turpitudines venit. Videamus etiam qualiter *lapides excavant aquæ, & alluvione paulatim terra consumitur:* Salomõ quippe immoderato usu, atque assiduitate mulierũ, ad hoc perductus est, ut templum idolis fabricaret, & qui priùs Deo templum construxerat, assiduitate libidinis, etiam perfidiæ substratus, idolis extruere templa non metuit: atque factum est, ut ab assiduâ carnis petulantiâ, usque ad mentis perfidiam perveniret. Quid igitur aliud quam aquæ excavarunt lapidem, & alluvione paulatim terra consumpta est: quia surrepente paulisper infusione peccati, terra cordis illius ad consumptionem defluxit: Hæc ille.

12. Ad tempus deserit, ut confidentiam ingeneret, tùm non opinantem & securum fortius invadit: id vides in Christo, nam dicitur recessisse ad tempus: idque docet parabola hominis à dæmone possessi, tùm liberati: expulsus enim dæmon *vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus:* unde nunquã tentatio plus timeri debet quàm cùm desiit. Augustinus supra: facit hostis securos, quos cupit esse captivos.

His artibus & similibus sic profecit dæmon ut totum ferè mundum subjugarit: O quàm illud mihi dolet, cùm audio Christum vocare dæmonem, mundi huius principem: *Venit princeps huius mundi, & in me non invenit quidquam:* Item à Tertulliano dici omnitenẽtem: Cùm audio Joannem dicere. *Totus mundus in maligno positus est.* id est, sub maligno, seu dæmone. Immò Apostolus vocat Deum huius sæculi. Quid hoc patimur, Auditores, quid eius tyrannidem facile ferimus: qui justum Dei dominatum ægrè aliquando tulimus? audiamus Christum quâ ratione animos addat ad tàm probrosum jugum excutiendum. Joan. 16. *Confidite, ego vici mundum:* & alibi, *Princeps huius mundi jam judicatus est,* & Luc. 10. *Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem: Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.*

nocebit. Quin igitur aggredimur magno animo.

Primò, Quia ut ait Apoſtolus Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores, tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*: ut ſcias mortalium omnium, ſive Regum, ſive aliorum certamina ridicula eſſe, cùm ferro, & gladibus igneis, atque tormentis, pugnant in arcibus, & aggeribus è terrâ egeſtis. Unus Angelus unâ nocte octoginta millia ſtravit in exercitu Sennacherib: Duo Angeli intra paucas horas quinque urbes, & tot in eis cives in cinerem redegere: aliæ nobis ſunt pugnæ, alia certamina cum dęmonibus: videri non poſſunt, quia ſunt principes tenebrarum: attingi non poſſunt, quia ſunt ſpiritus: feriri non poſſunt, neque perimi, non enim conſtant carne, aut ſanguine: Itaque nihil poſſũt in eos humanæ vires, & corporeæ: Sed hæc omnia animos addere debent, quia licet tanti ſint illi ſpiritus, Chriſtus tamen dedit nobis poteſtatem calcandi ſuper illos, eoſque ita abjecit, ut vocet ſerpentes & ſcorpiones: ſerpentes quidem ob manifeſtam vim nocendi; ſcorpiones autem ob occultam: ſed tamen illud præclarum, quod tu homo carneus, & terrenus, tantum hoſtem poſſis debellare.

Secundò. Quia certas cum hoſte jam proſtrato, ſecundum illud Roman. 16. *Deus autem pacis conterat ſatanam ſub pedibus veſtris velociter*, ut nemo de victoriâ deſperet.

Tertiò. Ratione rei de quâ certamẽ initur, ſecundùm illud Apoſtoli, *in cœleſtibus*, id eſt, ut exponit Chryſ. pro cœleſtibus: Hoc eſt, non pro urbe, aut provinciâ, non pro agro, aut caſtro, aut finibus imperij, ſed pro regno cœlorum. Vide num eſſe poſſit maius pugnæ premium, quàm ut agatur de regno, eoq; cœleſti, non quod alios lucrari ſperet, ſed ne tu obtineas.

Verùm multi non modò non confligunt cum dæmone, quin potiùs dæmonem adjuvant, & cum eo ſociantur, & arma eius fortiora reddunt, immò ipſimet fiunt dæmonis præliantis jacula: vide hunc nebulonem cum dæmone arma ſua ſociantem: jam annos plures dæmon huic virgini bellum indixit: jam ſæpè totis viribus conflixit, nec vincere potuit: ſed quod dæmon non potuit, unus adoleſcẽs hoc potuit.

At non concidamus animo: Ducem habemus Chriſtum, qui nos de cœlo aſpicit in terrâ pugnantes. Memento Salamineæ pugnæ, cum Xerxes in edito monte intueretur pugnantes ſeptus multis ſcribis, quos ſingulorum præclarè facta ſcribere jubebat, & notare, ut peractâ pugnâ illos pro ſuis meritis & gloriâ & præmio afficeret: Ita tibi animo propone Chriſtum Dominum de cœlo proſpicientem, & in te ſuos oculos defigentem, ut tua prælia, & tua fortia geſta intueatur, & approbet, & æternis monumentis conſignet: certè eius oculi tibi eſſe debent ingẽs quoddam theatrum, & ut ait ſanctus Baſilius, Deus magnus eſt ſpectator: Sic itaq; certare coneris, ut vincas; & ſic vincere allabora, ut aliquando coronari merearis in gloriâ cœleſti, ad quam perducat nos Chriſtus Dominus Amen.



FERIA SECUNDA

DOMINICÆ PRIMÆ IN QUADRAGESIMA.

CONCIO PRIMA

DE JEJUNIO FINALI.

Prima causa gravitatis judicij, quòd Filius Dei, sit Judex.

Cum venerit Filius hominis in Majestate suâ. Matth. 25.

VALDE timendum est quod ait sanctus Basil. in proœmio ad Regulas fusiùs disputatas ne maxima hominum pars Deum inadæquatè, & quasi dimidiatè cognoscat: Nolimus, ait, Deum ex mediâ parte cognoscere, neque eius erga nos bonitatem, ad ignaviæ occasionem accipiamus: propterea tonitrua, propterea fulminum terrores, ne bonitas contemnatur: De eo quidem dicitur, quod Solem oriri faciat super justos & injustos; sed etiam de eodem dicitur quòd cœcitate percutiat: Dicitur Zachar. 10. imbrem dare: sed etiam dicitur Genes. 19. ignem pluere: illa clementiæ, hæc severitatis: aut per illa ad amandum alliciamur, aut per hæc ad metum assuescamus. Eâdem de causâ Tertullianus docet justitiam esse plenitudinem Divinitatis: Cùm itaque tam multa sint quæ nobis persuadent Deum bonum esse, ne etiam ignoremus justum esse, Ecclesia hodiernâ die universale judicium nobis proponit, de quo nemo pro dignitate eloqui potest, nisi peculiari gratiâ Dei adjuvetur, pro quâ obtinendâ ad Judicis Matrem accurramus. *Ave Maria.*

IPso huius sermonis initio admonendos vos esse existimo eius rei, quam dixit S. Gregorius cognomento Thaumaturgus in suâ in Ecclesiasten metaphrasi: Neminem esse qui de judicio deq; reb' postremis dignè eloqui possit, atque orationem rebus parem efficere; ut ne homines, si minus aliquid dicatur, timorem Dei, vel abijciant, vel minuant.

minuant. S. Basilius Barlahamum martyrem laudaturus obtabat linguam suam periti alicuius pictoris penicillo adjuvari: utinam hic pictorem haberem eximium, qui me penicillo suo adjuvaret, & quæ linguâ repræsentare non possum, coloribus exprimeret. Vel potius, Auditores, me credite pictorem esse: nam quæ dicam, tàm absunt à rei veritate, quam abesse solet pictura, ab ipsarum rerùm naturâ. Certè si Judicij consideratio, quod S. Basilius appellat formidabile, & nulli hominum tolerabile, vobis terrorem non inijciat, nescio quid vos tandem movere possit, aut à peccato deterrere: Etenim quod est rerum maximarum proprium, nulla est in eo pars, vel minima, nulla circumstantia, quæ non aliquod magnum cōtineat. Quare non placet illud confusè contemplari, sed singulas eius partes, ut nihil omittamus: Ita hodiernâ die, prima tantùm verba spectabimus; *cùm venerit Filius hominis*: in quibus verbis continetur, judicij postremi præsidem futurum Christum Dominum: quæ cognitio quanti sit momenti, hinc colligi potest.

1. Quod Christus in sui apud mortales itineris clausulâ hoc postremum voluerit Apostolos monitos esse, ut nunquam eius rei oblivisscerentur: unde quasi id omissum foret in mandatis, aut ut esset quasi ultimò commendatum, aut denique ut illis præcipuè inculcatum ostenderet, duos Angelos misit, qui id suo nomine præcipuè docerent, idque doctos à se, & ultimò admonitos, in civitatem remitterent: *Hic Jesus qui assumptus est à vobis in cœlum, ita veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*, hoc est pari gloriâ, & majestate.

2. Quod eâ de causâ Spiritum sanctum miserit, ut tantæ rej testis & assertor existeret, secundùm illud Joan. 16. *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de Justitiâ, & de judicio.* Quibus verbis significat, quibus de rebus Spiritus sanctus testimonium redditurus esset Filio, atque inter cætera de illa re maximè, quod Filius constitutus esset Judex vivorum, atquè mortuorum: quâ de re mundum omnem convinceret: quod certè abundantissimè præstitit.

1. Per Apostolos qui nihil frequentius in suis concionibus inculcarunt, quàm Christum venturum ad homines judicandos, ita Petrus Actor. 1. *Et præcepit nobis prædicare populo & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo, judex vivorum, & mortuorum*, Et Paulus Athenis in Areopago Actor. 17. *Statuit diem, in quo judicaturus est orbem, in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis*: Et Hebr. 12. *Judicem omnium Deum, & testamenti novi mediatorem Jesum.*

2. Id fecit per evidentes virtutes, & apparitiones, & miracula super baptizatos per factam fidei professionem, cuius extrema capita sunt mortuorum resurrectio, judicium & eius effectus, vel præmium, vel supplicium æternū.

Hæc autem Spiritus sancti convictio seu doctrina de judicio.

Continet 1. contra infideles dari judicium, quoniam, aut animas negarūt esse immortales, & esse alteram vitam, quæ huic mortali succedat: aut Deum humana

humana curare, ut bonos remuneret, & malos puniat: cùm tamen judicium ad Dei providentiam pertineat, quæ est ratio ordinis, cuius est ea quæ perturbata sunt & confusa in ordine debito collocare, atque disponere: videmus autem passim res huius vitæ pessimo ordine fluere: malos impunè vivere: bonos sine mercede: oportet igitur ut illæ injustitiæ aliquando corrigantur, & in ordinem redigantur: quæ actio opus est judicij: Quod si est aliquod judicium, necesse est aliquem, esse huius judicij præsidem: hæc enim inter se connectuntur; datur itaque aliquod commune hominum tribunal, datur etiam aliquis, qui in eo tribunali sedeat tanquam Judex.

2. Convictio fuit hanc judicariam potestatem & authoritatem ad Deum pertinere, propter eminentem ipsius qualitatem, & summum in creaturas dominium, quod ita ipsi convenit, ut primum Dei nomen in Scripturâ sit nomen Judicis, Genes. 1. *In principio creavit Deus*, Elohim, Judex, vel ob pluralitatẽ personarum, Judices: Quia Deo propriè convenit munus & opus judicandi: unde in sacrâ Scripturâ ipsa tribunalia, non tam dicuntur esse hominum tribunalia, quàm Dei: Ita dicitur Salomon sedisse *in solio Domini:* & vindicta de Amalecitis appellatur à Moyse Exodi 17. *Manus solij Domini*, hoc est, potestas throni eius: Ita dicuntur Judices Deuteron. 1. exercere judicium Dei: unde ipsos Judices idem judicat uti dicitur Psal. 81. *Deus stetit in synagogâ Deorum: In medio autem Deos dijudicat*, uti igitur appellatur Rex Regum, & Dominus dominantium, ita etiam appellatur Judicum Judex.

3. Convictio fuit judicandi potestatem & officium peculiari quadam ratione convenire Filio, secundum illud Joannis. 5. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.*

Non tantùm 1. Quia munus judicandi toti Trinitati commune, convenit Filio per quandam attributionem, & appropriationem, quia ipse Sapientia est, quoniam à Patre procedit per viam intellectus: Cùm enim ad justum judicium tria requirantur (inquit Sanctus Thomas 3. p. q. 59. art. 1.) potestas rectitudo, & sapientia; duo prima sunt veluti prærequisita, tertium verò est quasi própria ratio, à quâ judicandi actus emanat: Quia ergo Filius est Sapientia Patris, ideò judicandi potestas est illi specialiter attributa: atque illo sensu explicat allata priùs verba ex sanctoJoanne; *Pater non judicat quemquã, sed omne judicium dedit Filio*: dedit utiq;, generando, (inquit Ambros. lib. 2. de fide cap. 4.) non largiendo: cùm enim naturam dedit, sapientiam dedit, & sapientiæ adjunctam judicandi potestatem: hanc autem intelligi divinam, vel hinc probat Tertull. lib. contra Praxeam. cap. 16. Quia dicitur, omne judicium traditum Filio: Omnem enim, inquit, dicens potestatem, & omne judicium, nullam exceptionem temporis permittit, quia omnia non erunt, si non omnis temporis fuerint: at certum est Filium non fuisse semper nisi secundum Divinitatem. Verum tamen licet illud non improbem, potestatem judicandi peculiari ratione convenire Filio per appro-

appropriationem, nego tamen locum allatum ex Joann, ſic intelligi debere: Quia quæ de unâ perſonâ per appropriętatem tantùm dicuntur; de alterâ negari non debent: cùm omnia Trinitatis opera externa ſint indiviſa, & omnibus perſonis communia.

Neque tantùm 2. Quia divinitas in carne judicat, & per carnem judicium ſenſibile reddit, quod maximè erat cōveniens ſuavi Dei providentiæ, & hominum conditioni magis accommodatum, ut homines ſenſibiles ab homine, cuius facies videri, & vox audiri poſſet, judicarentur: atque illud ſoli Filio convenire poteſt; nam licet judicandi poteſtas, ſit communis toti Trinitati, poteſtas tamen judicandi ſenſibiliter, illi tantum perſonæ convenit, quæ eſt ſenſibilis; nulla vérò præter Verbum eſt ſenſibilis; ut pote quod carne indutum factum eſt ſenſibile: atque illud eò magis verum eſt, quod non tantum in carne judicium Filius ſit effecturus, ſed etiam per carnem, tanquam per inſtrumentum conjunctum: Verùm etiã quia Chriſto ut homini data eſt poteſtas judicandi, licet ea poteſtas data non fuiſſet, niſi ſimul fuiſſet Filius Dei. At ſicut in Chriſto non tantum eſt ſanctitas ſubſtantialis, & divinitatis, ſed etiam gratia habitualis, & ſanctitas creata; & ſicut in eodem prçter ſcientiam increatam, eſt etiam ſcientia infuſa creata; ita præter ſupremam judicis authoritatem quæ divinitatis eſt propria, in eodem etiam reperitur poteſtas quædã excellentiæ ad judicandum; ſecundùm illud Ioan. 5. *Et poteſtatem dedit ei etiam judiciũ facere, quia Filius hominis eſt:* quod adhuc ſignificatur illis verbis Actor. 10. *Conſtitutus eſt à Deo, iudex vivorum & mortuorum.* Etenim cùm Chriſtus eſſet hominũ caput, debuit habere omne genus poteſtatis in homines, & conſequenter judiciariam poteſtatem: præſertim cùm ratione unionis debeatur Chriſti humanitati participatio eminẽtiſſima divinarum perfectionum, atque in Chriſto concurrerint omnes partes judicis optimi: 1. ſcientia: 2. rectitudo voluntatis. 3. infallibilis veritas: 4 dominium ſeu juriſdictio: 5. efficacia voluntatis. Denique Chriſtus meruit modis omnibus exaltari, quibus convenienter, & juxta ſuam dignitatem, & capacitatem exaltari potuit: ac præſertim eius humilitati, quâ ab hominibus voluit injuſtè judicari, ſecundùm illud Prophetæ Iſaiæ 53. ſecundum Verſionẽ LXX. Interpr. *In humilitate judicium eius ſublatum eſt* (nam quia inimicis ſuis non repugnavit, ſed ſilentio omnia paſſus eſt, ideò in humilitate, hoc eſt propter eius humilitatem, ſublatum eſt judicium eius, id eſt, judicij nō reperit veritatem, ſed licet cognitus eſſet innocens, damnatus eſt.) eius, inquam, humilitati concedi debuit, ac rependi pro præmio, ut omnes homines judicaret: & rationem ſubdit Ioannes. *Ut omnes honorificent Filium. ſicut honorificant Patrem, &c. Nam poteſtatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis eſt.*

4. Convictio eſt, conſequenter eidem convenire poteſtatem homines revocandi ad vitam, & ſiſtendi ante tribunal ſuum, ſecundùm illud hodierni Evangelij: *Et cōgregabuntur ante eum omnes gẽtes*; Ratio eſt, Quia debet poſſe judex reos compellere, & trahere in judicium: rei autem ſunt homines, obnoxij

Tt utrâ-

utraque sui parte: ad hæc, cùm judicium illud debeat esse sensibile, homines enim judicandi sunt, illi autem sunt sensibiles, oportuit reos sẽsibiliter adesse, & suum judicem sensibiliter audire, & videre, & sententiam accipere sensibili modò secundum rationem hominibus proportionatam: unde Christus Dominus potestatem vivificandi mortuos conjungit potestati eiusdem judicandi, illis verbis: *Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat, sic & Filius, quos vult vivificat. Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*: Et paulò pòst. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora & nunc est quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Id est vivificandi virtutem: *& potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est*: In quibus verbis Christus potestatem vivificandi mortuos, colligit ex potestate quam habet judicandi, tanquam ex fine medium: & posteà ex resurrectione, judicium, tanquam ex medio finem: unde alterum ex altero colligitur, sed diverso modo.

5. Convictio ad præcedentes consequens est, eidem etiam convenire potestatem pœnis aut præmijs afficiendi: unde totius judicij hæc est clausula. *Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam.* Hæc enim potestas debet esse in Judice, ut eius sententia vim aliquam habeat: vel saltem debet posse alijs imperare, ut vel præmia, vel pœnas inferant: Eam Christi potestatem aliqui subtiliter agnoscunt in his verbis, Joan. 5. *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius, quos vult vivificat*: allusum volunt ad potestatem judicis, qui potest condemnare, vel absolvere: quæ duo exprimuntur in veteri Testamento, his verbis, vivificare, & mortificare: Deuter. 32. 1. Reg. 2. Tob. 13. Sapient. 16. quod Joannes in Apocal. cap. 1. appellat habere claves mortis, & inferni: itaque exemplum vivificationis dicunt & ad corpora, & ad animos pertinere: sed quidquid sit, aliquid magis explicatum in rem nostram subjecit Christus loc. citat. *Venit hora in quâ omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filij Dei: Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicij*, hoc est condemnationis, quibus verbis & præmium & pœna indicantur.

Convictionis autem hæc redditur ratio, *quia princeps huius mundi jam judicatus est*: Ex quo inferri debet, ergo & mũdus: nam S. August. tract. 95. sic explicat reprehendendum mundum scilicet per Judicium, & damnationem Diaboli. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit*, nec parcet mundo peccanti, quoniam (inquit) cum suo principe judicatur quem superbum, atque impium imitatur. Vis rationis in eo est, quod ubi est eadem culpa, eadem quoque debet esse damnatio: & sicut mundus habet Dæmonem principem, ac ducem in culpâ, habebit etiam in pœnâ. Alterum præterea Argumentum est à potiori: nam si Angelis, creaturis nobilissimis, Deus non pepercit, multò minús creaturis longè vilissimis, hominibus scilicet, qui majorum ac potiorum exemplo

plo terreri debuere: unde August. Ne sibi existimet parci superbia dura mortalium, de superborum supplicio terrenda est Angelorum.

Existimo tamen in illis verbis contineri causam cur Christus constitutus sit à Patre, judex vivorum, & mortuorum: Quia enim Diabolus, qui erat huius mundi princeps, & propter peccatum homines sub suo domino continebat, jam judicatus est, & damnatus: hoc est, suo dominio atque principatu exutus: (dum enim in Filium Dei sibi non obnoxium dominari voluit, quem in cæteros principatum habebat, amisit:) propterea homines à servitute liberati in sui servatoris, ac liberatoris potestatem venerunt, eiusque judicio subditi sunt: Christus igitur est princeps, & judex eorum omnium, qui sub potestate Diaboli tenebantur, quia ipse eos liberavit, atque exemit, sibique obnoxios fecit, juxta illud ad Coloss. 1. *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ*, hoc est dilecti, posito nomine abstracto pro concreto.

Quibus præsuppositis ac præmissis. Assero hinc futuram esse Judicij maximam severitatem, quod Judicium extremum, non à Deo Patre, sed ab eius Filio exercendum sit.

1. Ratio. Quia non habebit homo, quid respondeat, nihil quod conqueratur secundùm illud Ps. 50. *ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum judicaris*: id est, Judex semper erit victor si homo condemnaverit eum injustitiæ, quòd tam graviter puniat. Quid enim ex unâ parte excusare poterit? non rerum præceptarum difficultatem, cùm ipse judex omnia experiri voluerit, etiam quæ difficillima sunt: Hebr. 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia, pro similitudine, absque peccato*: aut quomodo ex alterâ parte prætexet odium Judicis erga se, cùm ille sit idem qui pro hominibus mortuus sit? Itaque sublata erit omnis injustitiæ suspicio, ipso, qui erga homines tàm affectus fuerat, atque propensus, condemnationis sententiam pronuntiante: unde hominum intolerabilis deprehendetur malitia, quos ne veniâ quidem dignos judicabit is, qui eos tantùm dilexit, ut pro ijsdem mori voluerit.

2. Ratio. Quia sic homines intelligēt quid mereantur, cùm eum offenderint, qui eos tot tantisque bonis ac beneficijs devinxit: suaque crimina eò majora agnoscent quò sunt conjuncta cum majori ingratitudine.

3. Ratio. Quia uti loquitur per Isajam Prophetam cap. 59. *Sicut ad vindictam, quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis: insulis vicem reddet*: ut intelligas, cùm adeo acerbè ab hominibus sit judicatus, uti dixi ex Isaia, cùm dixi in humilitate sublatum esse judicium eius, ita nimirùm contemptum fuisse, ut in eius condemnatione, nulla fuerit servata forma Judicij: intelligas, inquam, nihil mirum videri debere, si eos non quidem injustè, sed admodùm strictè judicet *Videbunt in quem transfixerunt*: Item, *Quod si in viridi ligno hæc fiunt, in arido, quid fiet?* Quanta item cummotio futura est, cum videbunt suis oculis impij crucem, & cæterà Christi dedecora, quæ contempserant, jam esse victricia,

& insignem factam rerum omnium cõmutationem: Hoc significant verba S. Matth. cap.24. *Tunc apparebit signum Filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ:* hoc est ex omnibus tribubus, aliqui:

4. Ratio. Quia vehementer percellẽtur increduli cùm videbunt in personâ Christi, omnia quæ prædixerat evenisse, & ipsi quidem qui nullum futurum judicium crediderant, sed meras nugas, & figmenta illud esse: rerum siquidem experientia, quò minùs expectata est, eo magis percellet.

5. Ratio est. Quia inde convincimur, nihil in tali judicio posse latere, quod fiat à Sapientiâ Dei, eâque manifestatâ: Nam eius Sapientiæ scientiam nihil fugere potest: neque testibus, neque longâ discussione opus habebit, sed uti dicitur Malachiæ 3. *Accedam ad vos in judicio, & ero testis velox, maleficis, & adulteris, & perjuris.* Testem velocem se appellat (inquit Augustinus 20. de Civit. cap. 26.) Quia sine prolixitate sermonis conscientias convincet, revocans sine morâ in memoriam, unde puniat, & condemnet: nam uti dicitur Sapient. 1. *In cogitationibus impij interrogatio erit*, & accusatione conscientiæ suæ convincetur.

Hinc 1. arguuntur hypocritæ, qui se satis latere putant, si homines decipiant, de quibus ita pronuntiatur Iobi 15. *Congregatio hypocritæ sterilis, & ignis devorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt.*

2. Occultè peccantes, qui non cogitant de oculo illo qui nunquam sopitur (ait Chrysost.) nihil de virgâ illâ vigilante: nihil de eo, de quo dicitur Danielis 4. *Ecce vigil, & Sanctus de cœlo descendit:* Ita ùt nihil hominum tenebræ, nihil parietes, nihil antra, nihil speluncæ, nihil abyssus, nihil locorum longinquitas, nihil secretum, nihil nox, nihil solitudo juvare possint, cùm nec ipsa cogitatio, nec cordis abscondita, nec animi recessus suam habeant securitatem: dicitur enim de Sapientiâ, libro de ipsâ cap. 7. quod sit *omnia prospiciens, & quod capiat omnes spiritus:* & postea, *Omnibus enim mobilibus mobilior est Sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiã,* hoc est impermixtionem ab omni materiâ, potentialitate, & impuritate: est enim purus actus.

Hinc 3. Suprà omnes, turpibus, & obscœnis hominibus, futurum est grave judicium finale: quoniam ut ipse minatur per Prophetam Nahum cap. 3. *Revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam:* Cùm enim ipsa Sapientia, illud judicium efficiat, illud faciet manifestando: quod unicum maximè reformidat obscœnitas: illud optimè exprimit S. Bern. lib. 5. de Consider. cap. 12. Est & turpium pœna Deus, lux est enim: & quid tam invisum obscœnis flagitiosisque mentibus. Profectò *omnis qui malè agit, odit lucem*: sed dico, numquid poterunt declinare? Minimè omnino: lucet ubique, etsi non omnibus: denique in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehendunt: Et videntur ergo ut confundantur, & non vident ne consolentur: At vide gradus huius ignominiæ in turpitudinum manifestatione.

1. Quo-

1. Quoniam omnibus Angelis, & hominibus patebunt, in quibus quot sunt oculi quos reformidas? Bernardus loc. cit. Non modo à luce, sed in luce videntur, à quo? vel à quibus? ab omni videntur, ut pro multitudine intuentium sit confusio multa: Adverte autem illum creaturarum aspectum, non fore quasi in transitu, uti solet esse in vitâ: Quam multæ matronæ, ut pudoris, ita etiam famæ naufragium fecerunt: sed tandiu durat infamia, quamdiu durat infamia, quandiu durat cogitatio, quæ in hominibus est adeò mobilis, & multiplex; sæpe dùm putas te esse in omnium cogitatione, aut oculis, nemo de te cogitat aut loquitur: verùm ille aspectus, cùm à luce fiat, & in luce quæ nunquam extinguitur, fiet illa cognitio indelebili impressione. S. Gregor. Nazianz. loquens de Caïno, ubique suam trepitationem circumferẽte, eum appellat Iustitiæ Divinæ *stylon empigon.* animatam, & mobilem columnam: Ita quamlibet creaturam rationalem cogita æternam esse turpitudinis tuæ columnam, scripturam, & argumentum: sed in numerum hominum, & Angelorum, si potes, & hinc æstima confusionem tuam, ut pro multitudine intuentium sit confusio multa: certè major extensivè nulla esse potest.

Secundus gradus confusionis est unicuique à seipso, quoniam unicuique sua nuditas, & turpitudo perpetuò erit obvia: secundùm illud, *Revelabo pudenda tua in facie tuâ*: nec licebit, uti nunc fit, mentem & oculos avertere: sed uti dicitur Threnor. 3. *Ego vir videns paupertatem meam in virgâ indignationis eius:* Bernardus loc. cit. At nullus de tantâ numerositate spectantium, molestior oculus, suo cuiusque: Non est aspectus sive in cœlo, sive in terrâ, quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minus possit: Non latent tenebræ vel seipsas: se vident, quæ aliud non vident, opera tenebrarum sequuntur illas: Non est quo se abscondant ab illis, ne in tenebris quidem. Certè quæ fiunt ab hominibus turpiter, licet verecundiam habeant, etiam in impudentissimis hominibus, tamen nemo est qui harum rerum turpitudinem satis intelligat: sed cũ Deus, uti loquitur Apostolus, *Illuminabit abscondita tenebrarum,* tunc unusquisq; vitæ suæ turpitudinem agnoscet, atque exhorrebit: & quoniam ab eâ cogitatione & visione, separari, & cessare non poterit, hinc sum̃um supplicium à se feret, & summam à se confusionem: Nunc tanta est multorum impudentia ut suas etiam jactent turpitudines secundùm illud Isaïæ 3. *Agnitio vultus eorum respondit eis,* nam aperta sunt in eorum facie turpitudinum ipsorum signa & argumenta: & illud aliud, *Quasi Sodoma peccatum suum prædicaverunt:* quãquam 1. non audeas tuarum cogitationum obscœnitates revelare, quæ tunc animum tuum mirabiliter cruciabunt: 2. licet tui similium oculos non reformides, tamẽ quàm multi sunt, quorum oculos vereris, ita ut mori malles quã ab ijs agnosci? Sed tunc erit illud tempus, cùm vel teipsum testẽm, atque judicem, & exprobratorem ferre non possis. Sunt qui Lucretiam Romanã sibi manus intulisse dicant, non vitandi criminis causa, sed ulciscendi, cum vel seipsam admissi sceleris ream non ferret:


Ita se nemo ferre poterit, cùm tamen se nemo fugere possit: Nimirum, ut mox ajebat Bernardus, non est aspectus sive in cœlo, sive in terrâ quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minus possit. De hac confusione intellexit illa verba Luc. 16. *Mendicare erubesco*, S. Chrysologus serm. 126. Confusionē futuri judicij pertimescit, in quo jam non pœnitendi tempus est, sed pœnarum: & ubi reus plus de conscientiâ, quam de gehennæ erubescit incendio: Eodem modo S. Gregor. exponens illud S. Jobi cap. 6. *Venerunt quoque usque ad me, & pudore cooperti sunt*: Tunc iniquos pudor cooperit, cum eos in conspectu judicis testis conscientia addicit: Tunc judex exterius cernitur, sed accusator interiùs toleratur: Tunc omnis ante oculos culpa reducitur, & mens, super gehennæ incendia, suo gravius igne cruciatur.

Tertius & summus confusionis gradus est ab oculo divino, quia super omnium oculos erit ille molestissimus per quem cæteri vident, eò usque ut ipsius cognitio sit summa turpium hominum pœna: quod sic explicavit Bernardus: est & turpium pœna Deus, lux est enim: Id autem eâ ratione fit: Quia turpitudinis infamatio, eius propria pœna est: nam uti voluptas dolore compensatur, secundùm illud Apocal. 18. *Quantum glorificavit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum:* Ita turpitudinis pœna propria, est confusio, & infamatio: porrò ea infamatio, fit redargutione, & condemnatione, redargutio verò fit solâ manifestatione: omnis autem manifestatio fit per lucem secundùm illud Apostoli, Ephes. 5. *Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere: omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestantur: omne enim quod manifestatur lumen est:* Aut ut Syrus vertit. Omne quod revelat lux est: dixit enim manifestatur activè, pro manifestat, nam vox græca est verbum deponens, quod activam potest habere significationem: Illa autem lux, est ipse Deus: & ita luminosus Dei aspectus, summa est turpitudinis condemnatio: & inde sequitur Deum per seipsum esse turpitudinis pœnam, secundùm illud Bernardi, est & turpium pœna Deus, lux est enim: Quod autem Deus seipso est, id infinitè est: propterea est veluti pœna turpitudinis infinita: Quid enim est Deus, ait idem, Non minus pœna perversorum, quàm humilium gloria: sensus est: Sicut gloriam beatorum dicimus esse infinitam, quia ipse Deus est; Ita turpium confusio, erit aliquo modo infinita; quia hæc confusio erit turpium manifestatio, quæ est ipse Deus: Est & turpium pœna Deus, lux est enim: Sicut igitur Deus conjungitur animę beatæ, sub ratione lucis, seipsum manifestans animæ: unde negant Theologi dari ullam speciem Dei impressam in animâ Beati, sed divinam essentiam fungi munere speciei, nam seipsam sufficienter per se manifestat: Ita essentia eadem divina animæ damnati aliquâ etiam ratione conjungetur sub ratione lucis, non ad gloriam, sed ad confusionem: quia non seipsam illi manifestabit, sed suas illi sordes, & turpitudines demonstrabit: Vide quò illa pœna pertinebit ut ipse Deus sit: finge animo quantumlibet

libet dedecus, & infamiam, nunquam eò pertingere poteris ut aliquid infinitum in eo genere reperias, nisi Deum includas: Certè cætera tormenta incredibilia sunt, ignis, carcer, tenebræ, vincula, vermis nunquam moriens, sed semper mordens, fœtor, sulphur, & innumera alia: sed sicut cùm in cœlesti beatitudine innumera sint bona, tamen essentialis beatitudo, quæ est ipse Deus, omnia longè superat; ita in pœnis damnatorum cùm omnia sint summa, nihil tamen æquare potest summam illam confusionem, quæ Deus ipse est per se ipsum animâ puniens: Quis unquam id credidisset, Deum ipsum pœnæ partem existere? Hinc vel saltem existima quantum sit peccatum turpitudinis, cùm in judicio nihil sit gravius plectendum: Nec te decipi sinas adulterorum verbis, quasi hoc peccatum inter cætera levius existat: sed vel ex pœnâ, gravitatem eius æstima: sed sunt impij ac scelerati impostores, qui incautas puellas sic decipiant. Danielis 3. *Sic faciebatis filiabus Israël, & illæ timentes loquebantur vobis, sed filia Juda non sustinuit iniquitatem vestram.* Veniet tempus cùm Deus non tantùm actus tuos revelabit, sed etiam eorum turpitudinem, ita ut, unde laudem captas, hinc summo dedecore afficiaris. Cogita itaque quis tuus sensus sit futurus, dum tibi tot annorum turpitudines, atque obscœnitates obtrudentur: Et hac cogitatione erige animùm ad confusionem illam præveniendam seriâ & exactâ confessione, ac deinceps omnem quamcunq; libidinem compesce: Certè ait Chrysost. In plateâ existens, licet ardeas libidine, non tamen audeas ob hominũ pudorem, eam explere: Cur non eadem ratione te contineas ob ipsius Dei, omnia videntis ac cernentis, pudorem: est enim ait Gregor. Naz. *teos mega. teatis.* Deus magnus spectator: oculum eius cogita, lucem eius ubique lucentem, & aliquando te, & tua, tibi & omnibus manifestaturam.

Illud modo superest, ut quoniam nũc Judicem nostrum cognoscimus, eum, dum licet, omni studio placare studeamus, eiusque gratiam modis omnibus nobis demereri: Quin liceat in sacro Eucharistiæ usu ita ipsum obtestari: Quid de te Domine Jesu sentiam ignoro, qui me nunc tantâ amoris significatione complectaris, quem tamen severo olim judicio persequi debes: Ergòne poteris eum à te æternùm repellere, quem tam suaviter nunc recipis & amplecteris, cui etiam te penitus conjungere, & quasi miscere amas? Quàm dissimilis es ab eo qui futurus es! siccine erga omnes te immutas? Quòd si erga aliquos idem semper, & tui similis existis, quî fit ut te talem mihi futurum non audeam polliceri? Sed tu, mî Auditor, cur nunc non conaris eum omni officiorum genere tibi demereri? ea præsertim efficiendo quæ ipsi inter cætera, gratissima esse cognovisti, ut cæteris timentibus, atque trementibus erigas caput, ac merearis audire cum omnibus electis. *Venite Benedicti Patris mei*, ut ad gloriæ eius consortium voceris Amen.

FERIA



FERIA TERTIA

DOMINICÆ PRIMÆ QVADRAGESIMÆ

CONCIO SECVNDA.

DE JUDICIO FINALI.

De Majestate Judicis, seu de primâ eius qualitate.

Cum intrasset Jesus Hierosolymam, commota est universa civitas dicens: Quis est hic? Matth. 21.

HODIERNUM Evangelium duplicem docet Christi Domini ingressum, unum in urbem Jerusalem, unde ipsa cōmota est, alterum in Templum, unde ipse commotus est. Commotio civitatis, fuit admirationis; commotio Christi Domini fuit iracundiæ, & indignationis. Quod ut intelligatur necesse est ut sciatur, quis Christi Domini fuerit ingressus in urbem Hierusalem, unde civitas sit commota, & quis, Christi ingressus in Templum, unde ipse sit commotus. Quoad primum attinet, describitur triumphalis Christi ingressus comitante multo populo, cum acclamationibus & pompâ, ad cujus conspectum *commota est universa Civitas, dicens, quis est hic?* quæ vox admirationis est: Quis enim non admiretur hominem pauperem in Asino sedentem, tantam animorum effecisse commotionem, ut populum undequaque traxerit, & ipsi ab omnibus acclamaretur, etiam à pueris: immò cùm ingressus esset, tantam in omnibus mutationem effecisse, ut commota sit universa Civitas, quæ seipsam mirata, & tanti motus causam nesciens, dixerit: *Quis est hic?*

Quoad 2. attinet, scilicet Christi Domini ingressum in Templum, cum in eo invenisset omnia plena mercimonijs, & sacra omnia prophanari, ita zelo correptus est, ut omnes à Templo ejecerit, & animalia, boves, & oves & mensas disturbarit, idq; fecit tantâ autoritate, ut uni

ut uni homini tam ingens hominum turba omninò cesserit. Hac occasione mihi in mentem venit, consequenter ad hesternum discursum vobis hodiernâ die differere, de Christi Domini ad judicium venientis ingressu: non jam in unam urbem, aut Templum, sed in universum terrarum orbem: Ac de duplici commotione:

1. Totius naturæ præ stupore secundùm illud: *Nam virtutes cœlorum commovebuntur*, ac nemo erit, qui non dicat, Quis est hic? Si enim Christi humilitas sic commovit homines, quid faciet Majestas? *Si* cùm venit mansuetus, ut ait Evangelista, quid cum veniet iratus? Si sedens in Asino, & super pullum Asinæ sic commovit, ut universa Civitas diceret, quis est hic? quantò magis cum sedebit super sedem Majestatis suæ?

2. De Christi commotione non contra paucos unius Templi violatores, sed adversus omnes peccatores, quod faciet tantâ perturbatione rerum, ut omnis natura fatiscat, Sol lucere non audeat, nec Luna nec Astra: non ipsa elementa consistere: Quis hominem eò unquam provehendum existimasset? *Quis est hic?* nemo melius dicere poterit quam Mater, ad illam recurramus: AVE MARIA.

QVOD heri à me dictum est post S. Basilium in laude Barlahami Martyris, optare me pictorem qui suam artem linguæ meæ adjungeret, id mihi potiùs hodiernâ die esset optatissimum, ut illustrem Iudicij imaginem vobis proponerem: Ego quidem sic opus meum cum illo partirer: Vellem ille mihi pingeret innumerabilem hominum turbam, diverso vulto, ac gestu, diversis ordinibus, ac sedibus locatam: quod ille non posset: adderem varias illorum cogitationes, diversos animi motus: vellem mihi Dæmones truculentissimos exhiberet, in corporibus horrendis, qui omni conatu in dãnatos sævirent: in quibus vellem pingeret, mœstitiam, deformitatem, oris rictum, sparsos crines, & omnia desperationis signa: Ego illi adderem clamores, ejulatus, voces lamentabiles, quid dicerent enarrarem, sed præcipuè animi angorem, tristitiam, desperationem. Vellem mihi pingeret sedem augustissimam & thronum excelsum: & vividis coloribus nubes accenderet, fulgetra, corpora beatorum, sed præcipuè summam Iudicis majestatem: Hîc ego plura adjicerem quæ pingi non possunt, & tamen in multis deficerem, quæ dici nequeant. Sed sperarem multorum animos, & illâ picturâ, & mea oratione commovendos. Scimus Dositheum visâ picti Iudicij imagine à sæculi vanitatibus conversum fuisse: scimus Bogorim Bulgarorum Regem, visâ Iudicij imagine commotum, de Christianâ fide interrogasse, credidisse & conversum fuisse: Scimus Fœlicem Præsidem Actor. 24. cum audisset Paulum de Iudicio loquentem tremefactum fuisse: Scripsit Hieronymus, sibi, quidquid ageret, ubicunq; esset, videri semper illam Angeli vocem audire, Surgite mortui, venite ad Iudicium: S: August. lib. 6. Confess. cap. ult. sic de se fatetur: Nil me revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis, & futuri judicij tui, qui per varias quidem opiniones, nunquã tamen recessit de pictore meo. Sed desi-

Vu derio

derio nostro unicus Scripturæ textus satisfacere potest, præsertim cum Iudicium sic nobis repræsentet, ut non audire narrationem, sed rem ipsam cernere videar: Primum caput dixi, unde formidabile Iudicium, petendum à personâ Iudicis, quod nimirum non sit Pater, aut Spiritus Sanctus, sed Filius secundum illa verba. *Cùm venerit Filius hominis in majestate suâ*

2. Caput petitur ex conditione eius qui judicat, in quo tria formidãda sunt, quæ in verbis Scripturæ continentur, Majestas, severitas iracundia: de Majestate tantùm hodie dicimus, de quâ sic legimus: *Cùm venerit Filius hominis in majestate suâ*: & alibi. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magnâ & majestate.* Mos Scripturæ est loqui tenuiter de rebus, & minora polliceri quam exhibeantur: hîc autem verba omnia habet sonantia, & quæ divinum quid pollicentur: unde colligere possumus qualia tandem exhibenda sint: Sed quis formidabilem illam majestatem, divinumque apparatum, uti oportet cogitare, quis exprimere potest? Ego cũ rem oratione meâ æquare nequeã, sequentes conjecturas subjicio.

1. Est. Certum est in Christi Domini humanitate perfectissimam fuisse divinarum perfectionum participationem, in quâ scilicet *inhabitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter*: non tantùm quia divinitas ipsa habitavit ratione personalitatis corporaliter, seu ut quidam Patres loquuntur *usiodos* substantialiter, sed etiam quia perfectiones habuit creatas summè similes perfectionibus divinis, quæ nulli naturæ decenter convenire potuerunt, nisi illi, quæ substantialiter divinitati erat unita: Ita sapientiam habuit aut infinitam, aut omni finitâ communicatâ majorem, talem scientiam, talem gratiã, talem virtutem, talem sanctitatem, talem pulchritudinem: Eodem modo summam habuit Divinæ Majestatis imitationem: Itaque sicut tanta est, divini vultus Majestas, ut nulla creatura eam naturaliter ferre possit, usque eò ut qui solùm intelligere aggrediatur, succumbat, secũdùm illud Sapientis, *Scrutator Majestatis opprimetur à gloriâ*: (nam si primus Angelus ausus est suâ intellectione Dei naturam æquare, statim, ut ait quidam, tota divinitatis dexterâ percussus corruit:) Ità tanta fuit in Christo homine Maiestas, ut nisi radios sui vultus compressisset in terris, eâ solâ quę in vultu elucebat, homines consumpsisset. Eudoxius Philosophus optavit de propinquo Solem aspicere, & sic mori; intelligebat enim non posse propiùs videri, quin perimeret: quantò magis id verum de Solis conditore. Propterea fuit inter homines velato vultu, sicut Moyses descendens de monte: partem tantùm in transfiguratione detexit, ac nisi nubem opposuisset, Apostolos occidisset: Certè si illa gloria quam in Thabor, tribus tantùm, tàm brevi tempore, & quidem moriturus exhibuit, tàm mirabiles in Petro affectus excitavit, ut à se præ amore, ac timore, ac stupore exisse videretur, nesciens quid diceret; Quid illa gloria, non paucis proponenda, sed omnibus, non brevi duratura, sed semper, non in uno monte, sed in toto mundo apparitura, denique à Christo Domino non morituro,

sed

ſed victuro triumphaturòque in æternum manifeſtanda? Quanta erit; Quis eam juſtorum præ lætitiâ capere poterit? Quis improborum præ timore ſuſtinere? Tu itaq; cogita, quanta illa die futura ſit illius Majeſtas, cùm omnia ad terrorem, & rei dignitatem, ac magnitudinem comparabit, incredibilis ſanè, incomprehenſibilis, & ultra omnem ſenſum, ita ut illam videre, ac ſuſtinere, dicat S. Ioannes Chryſoſt. homil. 5. in Epiſtolam ad Roman. *panton eſti poleròteron*, ipſum eſt omnium terribiliſſimum.

2: Cum duplex in Scripturâ notetur Chriſti adventus unus in humilitate, alter in majeſtate, quem Talmudiſtæ per duplicem Chriſtum deſignant, quorum unum dicunt filium Ioſeph, alterum Filium David, & ille inſuper qui fuit in humilitate, & obſcuritate, ita Chriſtum depreſſerit, ut minorem homine fecerit, & tamen, quot ſunt inter homines, miſeri & abjecti; (Ego enim ait. *ſum vermis, & non homo*, & cùm de eo loquitur Iſaïas, dicit vix eius humilitatem ab hominibus credi potuiſſe, ſic enim loquitur cap. 53. *Quis credidit auditui noſtro & brachium Domini cui revelatum eſt: & aſcendet ſicut virgultum coram eo* LXX. Interpr. annuntiavimus ſicut parvulum, coram eo : *& ſicut radix de terrâ ſitienti: non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum: deſpectum, & noviſſimum virorum dolorum, & ſcientem infirmitatem : & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, unde nec reputavimus eum, &c. Et nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum:* Huic Prophetiæ adiunge veritatem Evangelicam de Paſſione : Intelliges nihil abjectius fuiſſe Chriſto degente in terris.) Cùm, inquam, hęc ita ſint, oportet ſanè eius ſecundum adventum glorioſiſſimũ eſſe ſecundùm illud Iſ. 24 *Erubeſcet luna, confundetur Sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ieruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus:* Sicut in primo viſa eſt exinanitas divina majeſtas, & oſtenſa quaſi ſola humanitas, Ita in ſecundo, tantum apparebit majeſtas ut occultari videatur humanitas & ſola oſtendi divinitas: Itaq; Apocal. 14. dicitur non tàm Filius hominis quàm ſimilis filio hominis, propter ſummam eius in Iudicio majeſtatem: nam ut ait Abbas Ioachimus, ſicut in eo aliquando divinitatis ſuæ gloriam occultabat humanitas, ita in judicio, humanitatis eius abjectio, exinanita à majeſtatis gloriâ, & à ſplendore ſummæ lucis abſorpta videbitur. Vti igitur in primo adventu ſuam majeſtatem exinanivit, ita in ſecundo ſuam humilitatem ſe quaſi exinaniſſe oſtendet, & ſic ex humilitate primi, collige ſecundi majeſtatem. Eodem ſpectat.

3. Conjectura. Cum gloria quæ Chriſto data eſt reſponderit eius humiliationi, ſecundùm illud, *Humiliavit ſemetipſum*, &c. *propter quod exaltavit illum*, &c. Et cum inter cæteras Chriſti humiliationes, hæc minima non fuerit quod iniquum hominum judicium ſubire voluerit, ſecundùm illud Iſaïæ 53. ex verſione LXX. Interpr. Iudicium eius in humilitate ſublatum eſt. Id eſt, ut exponit S. Hieronymus, Iudex omnium, judicij non reperit veritatem, ſed abſque ullâ, culpâ, ſeditione Iudæorum, & ſententiâ Pilati condemnatus eſt: vel in

humilitate, significat propter humilitatẽ id est: vel, propter abjectionem, seu quia non restitit, nam coram tondente se os non aperuit, neque se defendit, & cum se non defenderet condemnatus est: Versio communis sic habet *de angustiâ & de judicio sublatus est*. Id est, condemnatus est sententiâ judicis, hoc significat judicium; & præterea vocibus populi concurrentis, & opprimẽtis hoc significat angustia: Sanè ad hãc humiliationẽ cõpensandã, necesse fuit vt summâ cum gloriâ, & in summâ Majestate Iudicium exerceret: Et sicut coram impijs humiliatus est, necesse fuit ut coram ijsdem, & alijs omnibus summè exaltaretur, ut in illis impleatur quod dicitur Sap. 5. *Videntes turbabuntur timore horribili & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis:*

4. Si ab humanis exempla petere licet: Repete memoria, quæ scripta sunt in lib. Esther cap. 15. Cum enim Esther non vocata, introisset ad Regem licet uxor, & plus cæteris adamata, vbi tamen apparatum gloriæ Regis vidit, semel, atq; iterùm corruit pene exanimis: *Stetit contra Regem* (ait Scriptura) *ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regijs, auroq; fulgens, & pretiosis lapitibus: eratq; terribilis aspectu: cùmq; elevasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, Regina corruit:* postea interrogata causam metus: respondit, *Vidi te Domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ: valde enim mirabilis es domine, & facies tua plena est gratiarum: cùmq; loqueretur, rursus corruit, & penè exanimata est*: si Regin a, si uxor corruit, ac pene exanimata est.

ob nimiam ingrediendi audaciam, & ad unius hominis & mariti aspectum: Quid tunc miseri & abjecti peccatores, tot criminum conscij, cùm videbunt, non purum hominem iratum, sed Deum, oculis, & vultu, & toto apparatu mirabili minas jactantem? Illam commoverunt aurum, lapides pretiosi, facies angelica, & decor: Quem timorem incutiet divina illa majestas, non auro rutilans, sed flammis, sed igne, ac torrentibus picis atque fulguribus; heu! quis non corruet? quis non exanimabitur? Malach. cap 3. *Ecce venit dominator Dominus, & quis poterit cogitare diem adventus eius & quis stabit ad videndum eum?* D. Hieronymus, Si cogitare præ potentiâ majestatis eius nemo potest, ferre quis poterit? Ipse enim *quasi ignis conflans*, scilicet omnia liquefaciens secundùm illud, *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida*: Cogita puid multis reis evenerit, cùm ante judices suos starent, quorum alij ipso timore colorem capillorum mutaverunt, alij sanguinem exsudarunt, alij expirarunt: Cogita quis sensus fuerit Regis Sedeciæ, qui postquam biennio obsidionem sustinuisset, post famem ingentem urbis, post captam, & vastatam civitatem, post fugam ipsius, & principum, tandẽ captus est, à suis militibus desertus, in vinculis adductus ad Regem Babylonis in Reblatha, qui *locutus est cum eo judicium*: Quantus fuit pudor ipsius, cum se reum esse vidit, còram alio Rege, sed quantus timor, cùm audivit judicium, quod Rex Babylonis locutus est cum eo: Hujus Iudicij verba sic expressit Deus Ezechiel. 21. *Tu autem prophane, impie dux Israel, cuius venit dies in tem-*

in tempore iniquitatis præfinita: Hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronam: nonne hæc est quæ humilem sublevavit, & sublimē humiliavit: Iniquitatē iniquitatē, iniquitatē ponam eā, sed quanta desperatio, cum vidit filios suos coram se interfici, ac deinde cùm nihil gravius videre posset, oculos sibi effodi, custodiæ semancipari, & in servitutem redigi, quam non nisi miserâ morte finiret: Quantò magis in extremo judicio peccatores torquebuntur: *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur*, cùm nimirum ut ait Propheta, *aspicient in quem confixerunt: Tunc enim plangent coram eo omnes tribus terræ*; quis luctus? quis clamor? quæ comploratio?

5. Sed humana transcendamus, & à majestate angelicâ exemplum sumamus: Nemo est qui ignoret quantus fuerit Daniel, quantum divinis assvetus, quàm sæpe cum Angelis collocatus: scribit tamen ipse cap. 10. sibi semel Angelum apparuisse, at vide quo successu, *Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc: & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. Ed audivi vocem sermonum eius, & audiens jacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ*. Quæ consternatio ad vocem unius Angeli, qui venerat, non vt terreret, sed vt desideriis satisfaceret? & sic timuit non quilibet de vulgo, sed sanctus, & Angelorum amicus & familiaris: Quid ergo faciet terror majestatis illius, quando eum videbunt non amici, non sancti, sed peccatores & rei? Ita ratiocinatur sanctus Chrysostomus homil. 4. de incomprehensibili naturâ Dei: Si vir ille iustissimus, qui tantum apud Deum valebat, conspectum nō tulit Angeli; Qui tàm longè ab illius virtute absunt, quomodò non Angelum sed omnes Angelos, immó Angelorum, Dominum sustinebunt? Quomodò audire poteris vocem loquentis, quo modò respondere, secundùm illud Iobi 9. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit? Qui transtulit montes, & nescierunt hi quos subvertit in furore suo, Qui commovet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur*, &c. *Si repentè interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest, cur ita facis? Deus, cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem. Quantus sum ego, ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quippiam iustum, non rēspondebo, sed meum judicem deprecabor. Et cùm invocantem exaudierit me, non credo quòd audierit vocem meam. In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causâ*.

6. Sed quoniam ipso Deo creata omnia longè sunt inferiora, ipsum Christum, vel humiliatum aspice. Cùm in horto quæreretur, eâdem horâ quâ se potestati tenebrarum permisit, *hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*, nihilominus, unicâ voce, *Ego sum*, sic terrefecit, ut omnes retrorsum abierint: Si tam gravis est humilitas, quid faciet maiestas? Augustinus tract. 2 12 in Ioan. Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Gregor. 9. Moral. cap. 21. Quàm incomprehensibilis sit, atque inconsiderabilis illa magni-

magnitudo, quâ in secundâ ostensione venturus est Christus, benè vtcunque perpendemus, si primi adventus pondera, sollicitâ consideratione pensamus cùm enim moriturus diceret, *Quem quæritis*, & vocem solummodò mitissimæ responsionis ederet, dicens, *Ego sum*, armatos persecutores, suos protinùs in terram prostravit: quid ergo facturus est, cùm iudicaturus venerit, qui unâ voce hostes suos perculit, etiam cùm judicandus venit? Quod est illud judicium, quod immortalis egerit, qui unâ voce non potuit ferri moriturus; Quis eius iram toleret, cuius & ipsa non potuit mansuetudo tolerari? Iobus cap. 9. *Si repentè interroget quis respondebit ei? Deus cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem*: nempè ut idem ait, *Sapiens corde est, & fortis robore, quis restitit ei, & pacem habuit?*

7. Sed vide aliquod Majestatis Dei vestigium: descensurus enim ad populum vt legem daret, 1. jussit Moysi vt populum sanctificaret, Exodi 19. *Vade ad populum & sanctifica illos hodie & cras, laventque vestimenta sua.* 2. jussit ut populus à longè staret, nec montem attingeret, sub pœnâ capitis: *Constituesque terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cavete neascendatis in monten, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit monten, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur aut confodietur iaculis: sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet*: Licet tamen ita essent dispositi, vt procul starent, Deus cum tantâ gloriâ & majestate descendit, & ita populum perterruit, vt nollet Deum loquentē audire *Et perterriti, ac pavore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*: Audi enim quo apparatu descenderit. *Totus autem mons Sinai fumabat: eò quòd descendisset Dominus super eium in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace: eratque omnis mons terribilis: & sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius & prolixius tendebatur:* Ac licet Moyses esset sanctissimus, eum que Dominus blandè compellaret, cum tamen dixisse Deo refert sanctus Paulus Hebr. 12. *Exterritus sum, tremebundus; ita terribile erat, quod videbatur:* Et tamen Deus descenderat vt amicus, legemque daturus, non autem vt puniturus: & nihilominus sic populum, immò Moysen Dei amicū terruit, vt vix tantam majestatem ferre potuerint: Quid igitur futurum credis, cùm veniet non ad docendum, sed ad puniendum, non ad legem dandam, sed ad ferendam, sententiam, non vt pater, sed vt judex terribilis, quando non filiis & justis, sed inimicis, & peccatoribus apparebit, cum quantâ majestate veniet, & quem terrorem incutiet? Iobus cap. 9. *Qui etiamsi habuero quippiam justum, non respondebo, sed judicem meum deprecabor. Et cùm invocantem exaudierit me non credo quod audierit vocem meam. In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa.*

8. Sed irati Dei exemplum aliquando capiamus. Visio Isaïæ cap. 6. plena est maiestatis: *Vidi dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum, & ea quæ sub ipso erant replebant templum*: vide dispositionem plenam majestatis. *Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus*

duabus velabant: Vide Angelorum commotionem: *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum, plena est terra, gloria eius: Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo*, propter incendium ait Hieronymus: vel potiùs fumus significat nubeculam siue gloriam Domini, quæ dicitur aliquando impleffe domum Domini. In eâ perturbatione, seu ostensione majestatis diuinę, quis fuit sensus Prophetæ? recordatus est minimæ culpæ: *Et dixi, Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi labia polluta habentis ego habito, & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis*: En quanta majestas, & commotio ad vnius ciuitatis destructionem. Eodem etiam pertinet visio Ezechielis in quâ ostenditur currus gloriæ Dei, quando venit ad disperdendam ciuitatem. Qualis igitur erit illa majestas, cùm veniet non ad repræsentandam, sed ad efficiendam destructionem: non unius ciuitatis, sed orbis totius, & omnium populorum, & ad debellandos, judicandos, & perdendos pecatores. Vide quantum senserit exiguam culpam sanctissimus Propheta, quod Oziam irruentem in templum non reprehenderit, vel quod, sermonibus vulgi non obstiterit. Quid itaque facient, homines injusti, qui non tantùm labia, sed cor, sed omnes potentias, sed animam pollutam, fœdissimam, atque turpissimam habent?

Cogita quis sensus fuerit Adami post peccatum. Vbi audiuit *vocem Domini Dei deambulantis in paradiso: abscondit se, & uxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi*: Quid facies, cùm audies Deum non tuos casus lugentem, nam hæc vox, *Adam vbi es*, lugentis est & miserentis, ait Basil. Seleuciæ, sed cùm audiens tonantem, & fulminantem: Iob. 9. *Inturbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea, etiam sine causà.*

9. Verùm quæ huc vsque dicta sunt ad suspiciones pertinent, nec rem satis explicant: vide igitur qualis in visione ostensus sit Danieli capit. 7. sed memento olim omnia ostensa esse in vmbrâ, itaque minora esse vero: *Aspiciebam* (ait Daniel) *donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit*, &c. *Thronus eius flamæ ignis, totæ ei⁹ ignis accensus Fluv⁹ igne⁹, rapidusq; egrediebatur à facie ei⁹*: Terribilis planè, ne dicam horribilis majestas, tota ignea, flammarum globis cincta: *Thronus eius flammæ ignis: rotæ eius ignis accensus* facies non solum ignea, sed eiibratio dignium: quis quęso illam sustinere poterit, quis illam videre? Hieronymus ita discurrit; *Thronus eius flammæ ignis*, ut peccatores tormentorum magnitudine pertimescant: *rotæ eius ignis accensus*, siue currus, ut in Ezechiele, & omnia eius flammea sunt, ut lignum, fœnum, stipulam, arsura in die judicij noverimus: Hæc verba considera, omnia flamea sunt thronus, rota currus, terribilis facies. Qualis ergo illa Majestas: quam terribilis quam formidabilis, igneos evomens globos, non tantùm vt videatur longè latèque, sed vt peccata atque peccatores exurat.

10. Sed ipsam veritatem ab Euangelio repetamus: *Cùm venerit Filius hominis in Majestate suâ, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ*: ubi hæc

hæc ad majestatem pertinere dicuntur supra cætera.

II. Quod judex apparebit in corpore glorioso, supra Solis splendorem fulgidos; certè in illâ dia augebitur omnium astrorum lumen juxta illud Isaïæ 30. *Erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter* : Verùm tantus erit Christi corporis splendor, ut idem Isaïas cap. 24. dicat, *Frubescet luna, & confundetur sol, cùm regnaverit Dominus exercituum* : Erubescet sol, (inquit Glossa interlinearis) non lucem amittendo, sed in conspectu veræ lucis quæ Christus est, tanquam nihil lucendo: id significat Evangelium, cùm ait, Venturum cum potestate & majestate: Græcum habet *met dinàmeos, tidony, pollis*, cũ potestate & magnâ gloria: quâ gloriâ Evangelistæ interpres sæpe reddit claritatem: Nam si justi tanquam Sol fulgebunt in regno Dei, quantò magis justorum Dominus: & sicut tribus discipulis gloriosus appareret, tanto splendore facies eius refulsit, ut solem æquaret, quantò magis (ait Origines) ut iam non tribus, nec aliis paucis, sed universis gentibus ante eum congregatis appareat: Certè tantum à suo corpore splendorem emittet, ut totum orbem impleat, vnde sufficienter omnibus gentibus præsens erit. Sic locum illum interpretatur Origines tract. 34. in Mathæum, *sicut fulgur exit ab oriente, & paret usque in occidentem, ita erit adventus Filij hominis*: Non in aliquo quidem loco apparebit Filius Dei, cùm venerit in gloriâ suâ, in altero autem non apparebit: sed secundùm comparationem fulguris exeuntis: sicut enim fulgur egrediens ab oriente, propterea quod omnia implet, apparet usque ad occidentem, sic cùm venerit Christus in gloriâ suâ, propterea vbique futurus est, nempè per splendorem, & ipse in conspectu omnium erit ubique, & omnes ubiq; erunt in conspectu ipsius Id significatum in dedicatione templi Salomonis 3. Reg. 8. *Impleverat gloria Domini, domum Domini.*

2. Quòd veniet comitatus omnibus Angelis: Matth. 25. *Cùm venerit filius hominis in majestate suà, & omnes Angeli eius cum eo*: & infrà. *Veniet cum virtute multâ, & potestate magnà*: Significatur enim exercitus Angelorum, cum quo descendet, qui erit innumerabilis, secundùm Prophetiam Enoch relatam ab Apostolo Iuda in Epistolâ suâ: *Ecce venit Dominus in sanctis milibus suis, facere judicium contra omnes.* Probabile est quod ait Lessius lib. 13. de per fectionibus divinis cap. 22. & innvere videntur nonnulli Patres: Angelos apparituros in corporibus splendidis, vt diverso splendore referant suorum ordinum diversitatem: alioqui hæc Christi gloria, & potentia, non posset videri ab impiis, quorum tamen causâ præcipuè exhibetur: neque externam eius maiestatem, quam Scriptura vult describere, ille exercitus augeret: cum ergo innumerabilis sit Angelorum multitudo, longè latèque supremas aëris regiones undi que per multa leucarum, vsque ad cælos ipsos replebunt & immensi exercitus speciem præbebunt, quod plurimum faciet ad terrorem & majestatem.

3. Quod

3. Quod cinctus nubibus: secundùm illud: *Videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli*, quod passim repetunt Euangelistæ, Matthæus, Marcus, & Lucas: Ita Daniel cap. 7. *Aspiciebam in visione noctis: & ecce cum nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat:* Certè cùm Angelorum tèstimonio, venire debeat ut ascendit; & cùm ascenderet; *nubes suscepit eum*, ita etiam in nubibus veniet: Item cùm gloriam suam tribus discipulis ostendit, non defuit nubes lucida: sic cùm se conspicuum omnibus dabit in gloriâ veniet, in nubibus cœli. Erunt autem illæ in suprema, & media parte lucidissimæ : in ima autem ad impiorum terrorē, igne fulgurib⁹, fulminib⁹ & procœlis fœtæ: secundùm illut Psal. 49. *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit: Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida :* cum autem nubium materia diaphana sit capax omnium colorum, & omnium figurarū mirabilis facient repræsentationes: hinc cometæ innumeri, variæ rerum species horribiles, grandines, fulgera, tonitrua secundùm illud Apocal. 4. *Et de throno procedebant fulgura voces, & tonitrua.*

4. Præcedet exercitum illum signum Crucis quasi labarum, vel certo aliquo loco constituetur: Ita enim passim SS. Patres & Doctores locum illum interpretantur. *Tunc parebit signum Filij hominis in cœlo.* Quæ apparitio planè erit mirabilis, & magnos motus efficiet, unde subditur: *Et tunc plangent omnes tribus terræ*, nempe omnes iniqui, aspectu crucis territi, & perturbati. Nam 1. se deceptos videbunt qui crucem horruerunt & neglexurunt, quibus stultitia fuit, & scandalum: 2. quid non expectabunt, qui sic Dei Filium, despectui habuerunt. *Aspicient in eum, quem confixerunt:* 3. se inexcusabiles sentient, cùm eum, qui tāta pro se passus fuerat, offēderint: Denique cónfundentur, qui gloriam voluptates, & delicias, sectati sunt, cum viderint, unicam crucem esse gloriosam, & omnes crucis amatores esse securos

5. Quod sessurus in sede majestatis suæ, vel vt habet Græcus textus, in throno gloriæ suæ: ex quacunque tandem materia, sedes illa futura sit, certum est, & formam & splendorem dignum fore tanto principe. in summa majestate, & apparatu sese prodente. De ea meminit Daniel. cap. 7: & Ioannes Apocal. 20. *Et vide thronū magnum, & cādidū & sedentē super eum à cuius conspectu fugit terra, & cœlum, & locus non est inuentus eis:* sunt qui existimant fore Angelos, seu Thronos, aut alios, in modum throni compositos, secundum illud, *qui sedes super Cherubin, manifestare*, unde dicitur in Abocal. cap. 4. quod de throno procederent, fulgura, & voces, & tonitrua: quidquid sit; illa species erit augustissima, cùm maximam majestatis ipsius judicis partem effectura sit Quod si Salomon adeò fuit magnificus, quid de ipso Christo in summa gloria se exhibente cogitandum est; Certè nemo est qui illius throni magnificentiam, qui qui materiam, aut opus explicet: Sed si Reges, si Iudices sententiam laturi sedent ad terorem, & ad maiestatem; quid faciet Rex ille Regum, quid ille Iudicū

Iudex, cùm omnes mortales, omnes Angelos, & universam creaturam iudicabit. De Rege Assuero iam diximus Estheris 15. *Residebat super solium regni sui indutus vestibus regiis auroque fulgens, & Pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu*: Hîc mihi non aliam vestem, aut purpuram, quàm lucem excogita: apage mihi aurum: apage lapides, quos hominum stupor fecit pretiosos: hæc sunt ornamenta mortalium: Sed quis eorum splendor, quis auri fulgor, quæ pretiosorum lapidum claritas, cùm minima lucerna plùs fulgeat quàm aurum omne, & omnes lapides pretiosi? In Christo autem quot erunt soles, quis splendor, quæ fulgura?

6. Quod ante eum, id est, coràm eo *congregabuntur omnes gentes*, scilicet omnes, qui ab initio mundi usq; ad finem fuerunt, in corporibus suis, tot Reges, tot Principes, tot Pontifices, tot Duces, tot exercitus, tot sapientes, tot populi, omnis sexus, omnis ætas, omnes linguæ, omnes omninò nationes, & singuli omnes mortales: Neq; solùm omnes homines, sed etiam omnes Dæmones, qui propè innumeri sunt, idque in corporibus horrendis, tristitiam & furorem demonstrantibus: tùm ut ab impiis videri possint, tùm quia pertinet ad Christi gloriam, & impiorum confusionem, ut videantur: tùm quia sensibile erit iudicium, itàque oportebit ut rei & qui iudicabuntur, sensibiliter appareant: uti enim dæmones ab igne sensibili torquebuntur, magnâ ipsorum ignominiâ, ita in corporibus assumptis sensibiles fient, seu ad tempus seu in illis includantur ut in carcere. Quacunque tandem ratione, cum agat iudicium ut Filius hominis faciet illud sensibile: ad quod requiritur, ut qui iudicabuntur aliqua ratione sensibiliter repræsententur, & sistantur ante iudicem. Mirabile & horrendum planè spectaculum, in sublimi aëre videre in corpore longè gloriosissimo, & fulgentissimo sedentem in magnifico throno Iudicem: circumfusum innumeris Angelorum legionibus, maximam hemisphcrij partem vndequaque usque ad cœlum occupantibus: stipatum ad dexteram immenso beatorum hominum secundum diversos ordines exercitu, & ingenti multitudine: secundum illud Apostoli. *Simul rapiemur obviam Christo in aera*, qui omnes instar solis fulgebunt singuli, secundùm maiorem aut minorem gloriam: & infernè in terrâ ad sinistram infinitam multitudinẽ damnatorum, humi prostratam, gemẽtem, vlulantem, vociferantem, quæ superficiem terræ longè latèque occupabit, furentibus in eos dæmonibus, & omnem rabiem suam in miseros illos effundentibus: arcentibus eos Angelis à consuetudine, & coetu iustorum, iuxta illud, *Et separabunt malos de medio justorum.*

Quis tibi tunc erit sensus, ô peccatorum induratissime, quisquis tandem sis, & cuiuscunque dignitatis aut conditionis, cùm hæc omnia, & his omnibus maiora cernes, & propter te, tuiq; similes fieri videbis: 1. Quàm tibi præterita omnia, præ rebus præsentibus vana esse, videbuntur: præterierint illa omnia, velut somnium, sicut umbra, uti umbræ somnium, sicut narratio, sicut spectrum. Quàm tota mundi pompa tibi inutilis videbitur præ isto consessu:

sessu: Vbi illa omnia quæ olim tanti faciebas, ubi illi homines, quos olim ut Deos colebas; vel qui te ut alterum Deum, colebant? In tanta multitudine distingue Reges, Principes, divites, potentes, sapientes, miseros, beatos. Hîc videbis Neronem nudum trepidantem, solum cum sua potentia: Alexandrum inglorjum cum suis victoriis: Pompeium & Cæsarem cum suis triumphis, Aristotelem, Platonem, Socratem, Demosthenem. Tullium, illos cum sua sapientia, hos cum sua facundia: 2. Tu verò in tanta hominum multitudine, in tantò rerum apparatu qualis apparebis? Imò qualem locum tunc habebis quam partem? An in aëre cum Christo, an vero cum reprobis pronus in terra? an in dextra iudicis, an in sinistra? an in corpore glorioso, an verò in horribili, & deformi? an securus, & gaudens, an verò trepidus, & palpitans? vide qualem vitam duxeris, vide quibus te adjunxeris: Quàm erit molestum & grave, quàm acerbum, & intolerandum iis qui in hac vita aliis dignitate aut potestate, aut divitiis, aut gloriâ præcelluerunt, se nunc iis esse postpositos quos contempserunt. 3. Quid non tunc fecisse voluisses, ut in tanto theatro & laudem & coronam acciperes, quid non passus, ut probra & pœnas effugeres: 4. Sed qualem putas futurum tunc in tam admirabili rerum specie impiorum hominum sensum. Audi qualem futurum exprimat Sapiens Sapientiæ. 5. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis*; numera Verba, pondera syllabas: *Videntes*, ait *turbabuntur*: videbunt enim ipsi suis oculis quod credere nunquam voluerunt: Tu fabulas, & mera insomnia, talia vocare consueveras; nunc ipsam rerum veritatem tuis ipse oculis usurpabis, quorum, omnium tu etiàm quantulacunque pars existes: Non hic profuerit jactare verba illa impia & risum moventia, quæ olim in vitâ usurpabas: quid enim dicere audeas in tanto rerum discrimine, in tantâ mutatione? Tu ne ille, hominum audacissime, qui olim de rebus divinis ludens iocabaris? Vide nunc quò tuus ille ludus recidit, quò impietas devenerit. Tu elevare solebas ista, & imminuere, immò etiam sæpè contemnere; Vide nunc & experire num vera sint: Tu Deum illum, quia non videbas, solitus eras despicere: Vide nunc quem contempsisti, & contremisce: Hic ille est quem neglexisti, qui tui causâ factus fuerat infans, qui tui causâ captus, ligatus, spoliatus, condemnatus, flagellatus, spinis coronatus, illusus, cruciaffixus, & morte damnatus: Vide mutationem rerum admirandam: pro cruce, in throno sedet, pro irrisionis amictu, iam est amictus lumine, ut vestimento: olim flagris humeros habuit conscissos, nunc divina purpura habet ornatos: vide quâ coronâ sit insignis, pro spinea: pro calamo, alterâ manu mille palmas gestat, quibus suos donet: alterâ sceptrum, nō iam ut quondam cupressinum, quale Deo affingebat Pythagoras, quoniam mortis haberet imperium: sed aureum, ut plena potestas indicetur: sed vide quo ille tantarum rerum aspectus pertinebit: 2. *Videntes turbabuntur timore horribili*, quis enim alius

peccatoris sensus tunc erit, cum tota natura ingenti horrore quatietur; Tunc quippe, ut ait Euangelista, *Virtutes cœlorum commovebuntur*, hoc est innumerabiles Angelorum exercitus, dum Regem videbunt plenum ira, & indignatione: Tunc iusti omnes admirabili quadam reverentia concutientur. Tunc vt ait Isaias, *Erubescet sol, & confundetur Luna*, ut, sicut interpretatur S. Hieronymus, dolore suo ostendant, quæ patiantur impij: Tunc omnia quatientur elementa: Sed *si iustus vix salvabitur, impius, & peccator ubi parebunt?* Et quidem si sola istarum rerum expectatio sic homines commovebit, ut dicat Christus *arescentibus hominibus præ timore, & expectatione eorum quæ supervenient universo orbi*, quanta erit peccatorum turbatio cum res ipsæ præsentes erunt! unde significanter dicitur *turbabuntur timore horribili*. Sed hæc pro dignitate nunc cogitare non potes: nam sensus huius vitæ inæquales sunt sensibus quos tunc experieris: sicut enim alterius vitæ gaudia nullum habent in hac vitâ exemplum *neque* enim *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se:* Item, sicut alterius vitæ tormenta nullum habent in hac vitâ simile: Ita nec illa turbatio, nec ille timor quidquam habent simile, & turbationi, & timori impiorum. Nempe *turbabuntur timore horribili*, hoc est tanto, ut horrorem incutiat: Equidem Chrysost. Homil. 5. in Epist. ad Rom. postquam dixit illum aspectum esse rerum omnium terribilissimum, fatetur, si quis sit sensu ac mente præditus, eum potius optaturum sustinere gehennæ tormentum, quàm coram Deo adverso stare, & irato occurrere. Quid enim facias homo nihili, somnium, ludus, cinis, pulvis, terra, fumus, & vapor ad modicum, parens? quomodò Deum iratum ferre ac sustinere poteris? ubi illa frons, illa securitas, illa oris firmitas, illa audacia, corporis robur, animi constantia? Sanè nescio quo sis animo, & quo sensu, sed fateor me in istâ cogitatione totum animo & corpore contremiscere. Pergit Sapiens, *Et mirabuntur in subitatione in sperata salutis*: Vox Græca, expavescent, & extasim patientur. *ex sonta*, Quomodò enim unquam putassent tantam futuram fuisse in rebus mutationem, dum videbunt inter damnatos, tot Reges, tot Imperatores, tot Duces, tot Nobiles, tot Magistratus, tot divites, formosas mulieres, homines doctos, eloquentes, Philosophos, & summi ingenij: Et hunc postremum mortalium omnium, longè lateque gloriâ fulgentem: hoc significant illa verba *in subitatione insperatæ salutis Epi to paradoxo iis sotirias* in paradoxo, & inopinatione salutis, hoc est in minimè opinatâ, vel in sperata in admirandâ, & quæ præter opinionem acciderit, salute, quam adepti sint justi, & impij amiserint: Quis enim id sperasset quit credidisset? Tu sanè hominum infœlicissime ac mprudentissime, cui id toties dictum, lectum, inculcatum: Quid enim aliud Scripturę quid Evangelia, quid Christus, quid Apostoli, quid Doctores frequentiùs inculcarunt? Tu sanè quem toties Deus, aliorum exemplo docuit rerum vanitatem, & in onstantiam mortis certitudinem, & horam eius certam, &c. Tu qui

Tu qui licet scelera & crimina ore tuo plerumque defendas, corde tamen arguis & condemnas: Tu qui sæpe cogeris aliorum laudare virtutem, & sceleratorum vitam detestari, cùm tamen vitam degas criminibus plenam: Tu qui alios punis & castigas, & eadem committis quæ damnas: Tu quem Deus toties suis gratiis & motibus reluctantem, & contradicentem percellit: sed incassum omnia, Verùm erit illud tempus cùm & videbis, & turbaberis, & timebis timore horribili, & miraberis in subitatione insperatæ salutis: videntes enim turbabuntur & mirabuntur. Vide nunc in tuto: turbare ad securitatem, time ut provideas, & mirare aut tuam aut aliorum cæcitatem, & incogitantiam, & dignam tantis rebus cogitationem suscipe, & dignam istis cogitationibus vitam aggredere, ut sicut Christus loquitur, stare possis ante Filium hominis, quod ipse præstare dignetur. Amen.



FERIA SECVNDA, VEL TERTIA

DOMINICÆ PRIMÆ IN QVADRAGESIMA

CONCIO TERTIA

DE IVDICIO FINALI.

In quâ agitur de secundâ qualitate Iudicis, justitiâ & severitate.

Cùm venerit Filius hominis in Majestate suâ, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ: Matthæi. 25.

ACTVRO mihi de extremo Iudicio dubium suboritur, cùm multa sint judicia quæ à Deo, & ab hominibus exercentur, unde fiat ut judicium extremũ simpliciter appelletur judicium: Item cur dicatur etiam Illa Dies: quasi hæc ultima dies, sola sit dies: Missis cæteris quæ plura dici possent; Existimo judicium extremum dici simpliciter judicium, quoniam cætera judicia illo unico corriguntur: Nam de se ait Deus Psal. 74. *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo*: Itaque iudicia rerum, & hominum, illo

illo unico judicio corriguntur, quia ferè illud unicum iudicium verum est, certũ alia verò sæpe falsa: & saltem semper dubia: unde negat Paulus hoc tempore esse iudicandum: 1. Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarũ, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo:* Idem iudicium extremum dicitur Dies illa, secundum illud Pauli 2. ad Timot. 4. *Quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex:* Et in eâdem Epistolâ cap. 5. *Potens est depositũ meum servare in illum diem:* Sic, inquam, dicitur, quia dies aut magnæ fœlicitatis, aut magnæ calamitatis, in Scripturâ dicuntur per antonomasiam, Dies illa: Ita. Ioël 4 *In illâ die stillabunt montes dulcedinem.* Et Isaïæ 4 *In illa die erit germẽ Domini in magnificentiâ & gloria.* utrumque autem erit in die judicij: nam nunquam erit dies majoris calamitatis pro reprobis, & lætitiæ pro justis, & magnificentiæ pro Ghristo Domino, secundùm illud, *Cùm venerit Filius hominis in maiestate sua.* Quid quòd dies judicij signanter dicitur Dies illa, quia ob omnibus vitæ diebus respicitur, uti dies Incarnationis: *In illa die erit germen Domini in magnificentia & gloria*: fuit enim quasi centrum omnium dierum, *In medio annorum notum facies:* quid dicam quòd primus, & ultimus dierum ad judicium pertineat, ut ait Rupertus, lib. 9. de operibus Spiritus sancti cap. 2 Nam ut in ultimo judicabuntur, & punientur mali homines; ita in primo, iudicati, & puniti sunt mali Angeli: & hoc sensu exponit illa verba Genes. 1 *divisit lucem à tenebris*: unde ait: Consideremus admirabilem operum Dei dispositionem, qui quasi æditũum terribilem posuit timorem, ad custodiendũ introitum, & exitum operum suorum: omnes itaque dies hunc diem respiciunt: quid igitur magnũ si plures dies, in tanto die considerando insumamus: in quo opere eò certiùs mihi propitiã fore Virginẽ spero, quo didici ex Brocardo in descriptione terræ sanctæ in valle Iosaphat sepultam fuisse Beatam Virginem, ut mundo in iudicio periclitanti succurrat: sed ad eam securiùs nunc recurremus, & sollicitiùs ipsa nobis aderit de judicio disserentibus. AVE MARIA.

NON sum ignarus me hodiernâ die rem suscipere viribus meis longè majorem: Pictura potest in Naturâ res plurimas, sic repræsentare, ut exæquet; sed in quibusdam repræsentandis adeò deficit, ut ridicula planè appareat: quis enim Pictor possit Solem uti est exprimere, quis lucem, quis motum quis majestatem? Ita oratio potest multa verbis exprimere, plerùmque æquare, aliquandò superare: sed nonnulla sunt, in quibus, lingua & sermo deficit. Talia sunt omnia divina: Quare Chrysost. homines sumus, ac de Deo non nisi humanâ linguâ loquimur: Idem puto de extremo judicio dici posse, cuius magnitudinem, majestatem, atque terrorem nemo cogitatione, nedum oratione asse qui possit: Ita veniam dabitis, Auditores, si rei magnitudinem oratione non attingam, præsertim cũ illud quod aggredior de judicio, sit res omnium maxima, nempè ipsius Iudicis qualita-

qualitates, & conditionem vobis exponere : In quo præcipuè hæc formidanda, Majestas, Iustitia, seu æquitas, ac severitas ? denique iracundia. De Majestate heri à nobis dictum est, sequitur ut hodie dicamus de Iudicis iustitia, severitate, ac rigore, altero, die dicturi de iracundiâ.

Altera igitur Iudicis qualitas est eius justitia atque severitas, secundùm illud Sapient. 5. *sumet scutum inexpugnabile, æquitatem*, seu justitiam. Sed ut huius rei propositionem illustriorem faciam, veniat in mentẽ figuræ admirabilis, quæ nobis proposita est in Osee Propheta cap. 1. Eo in loco Deus iubet Prohetæ, uxorem ducere, meretricem & postibulam, nomine Gomer, atque ex eâ suscipere liberos : ut intelligamus, si Deus quidquam profert incommodũ, & quòd nobis formidinem odiumque inferat, eius ansam causamque à nobis ipsi suppeditari: atque si effervescit iracundiâ, ex eâque vehemens aliqua punitio existit, id ab ipso non fieri nisi coacto peccatis hominum, quæ eum adigant, ac ut ita loquar obligent ad sociandum se acerbitati, iracundiæ & severitati. Prior illius matrimonij anus, filium dedit Oseæ Prohetæ. *Et dixit Dominus ad eum, voca nomen eius Iezrabel, quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iozrabel, super domum Iehu.* Historia ita fert, Deus usus fuerat Iehu eiusque zelo ad idololat iamè regno Israëlitico delendam, redigendamque in nihilum regiam Achabi domum, neci tradendo Reginam, præcipuam idololatriæ ilius populi causam ; ac septuaginta Achabi filios, qui poterant aliquando ad patris sui sceptrum aspirare. Filij Iehu qui patri successerant, populum Israëliticum exemplo suo ad in famem idololatriã adduxêre, quam Deus captivitate ultus est, è quâ nullus fuit reditus, sed quæ æterna fuit. Verùm etsi infelix ille populus in peccato suo periit, Deus tamẽ ex iis tantummodò vindictam cepit qui authores illius fuerant, effecitque ut domus posteritasque Iehu pœnas luerent sanguines Iezrehelis effusi, hoc est, exitij ac ruinæ Israëlitici populi, quem Iezraelem vocat â nomine urbis, quæ regni caput erat: cuius in rei testimonium, nominat Iezrahelem Oseæ filium, maiorem natu, contestans se intra paucos annos vindicaturum esse susũ miseri illius regni sanguinem, in familiâ & stirpe Iehu. Ad quod, animaduerto própositum quod suscipit Deus, puniendi peccata hominum, qui quidem sibi impunitatem promittere non possunt, quasi Deus obliuisceretur ipsorũ neque haberet determinatum tempus ea ulciscendi : quamvis enim id in hac vitâ facere non soleat, differatque punitionem, minimè tamen ita facit ad longũ tempus, sed ad id quod definijt, quodquidem est extremi judicij dies, de quo sic loquitur. *Ad huc modicum, & visitabo sanguinem Iezrabel super domum Iehu.* Atque ut signficaret se hoc oblivioni non dedisse, jussit nomen Iezrahelis filio Oseæ imponi, ut frequenti illius appellatione eius memoria excitaretur. Sed Prophetæ textum persequamur, *Et concepit adhuc, & peperit filiam & dixit ei, voca nomen eius Absque misericordiâ quia non addâ ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorũ.* Iesus litere est

Cum

Cum sæpè populus in Deum deliqisset, graviter punitus est, sed non multo post Deus paterno animo ignoscebat: sed cumulatâ populi malitiâ, Deus populũ suum ultimâ perditione castigare decrevit, quare eum ita eiecit in exitium, ut inde ampliùs non revocarit, neque ipsius curam deinceps egerit: unde ibid. ait, *Et quiescere faciam regnum domui Israël* quia scilicet hoc regnum decem tribuũ planè extinctum est: ad huius rei significationem vocatur filia Gomur, *Absque misericordia: Quia non addam ultra misereri domui Israël* audisti figuram vide veritatem.

Certè cùm Deus huius vitæ tempore semper usus esset cum hominibus indulgentiâ & misericordiâ, tandem eo pervenitur ut in extremo judicio non nisi justitiâ utatur erga hominem, secundum illud *Iudicium absque misericordia. Quia non addam ultra misereri:* Vita itaque qualem filiam pariat Dei justitia peccatis hominum concitata. *Iudicium absque misericordia*: Quia nimirum in judicio soli justitiæ locus relinquetur, & supremi judicis assessor tantum erit, justitia & severitas.

Iustitiæ verò in eò, est summa severitas quod nullius personæ sit acceptator secundùm illud Sapientiæ. 6. *Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniã pusillum, & magnum ipse fecit:* Vnde Apocal. 20. *Et vidi mortuos, magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt*; cuius rei in eo evidentissima probatio. 1. Quod severiùs se gerat in eos qui fuerunt potentiores in sæculo, secundùm illud Sapientiæ 6. *Iudicium durissimum, his qui præsunt fiet: Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.*

2. Conjectura petitur ex modo quo magnates tractavit. Quis enim, Auditores, non mirabitur videns severum animadvertendi genus quod Deus adhibuit in maximis Principibus, Regibusque totius terræ potentissimis, con, contemptu coronarum, & sceptrorum, que redegit in pulverem, etiam vsque ad nihilum: Contemplamini omnia amplissima terrarum Imperia, simul collecta in prodigiosâ statuâ quæ Nabuchodonosori indicata est, sicut memoratur in tertio capite prophetiæ Danielis, cuius ecce eventum: Exiguus lapis è monte diremptus devolvitur vsque ad statuæ pedes, eamque ita vehementer collisit, ut in terrã prostraverit, redegeritque in pulverẽm: *Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, argentum, & aurum, & redactæ quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullusque locus inventus est eis:* ubi adverte 1. comminutionem, vel contemptum: 2: æquali loco omnia esse apud Deum, quia pariter omnia comminuntur: 3. abominationem, quòd ea subvertat, sicut idolum: quòd anteà factitatum fuit in vitolo, quẽ Moyses comminuit, & redegit in pulverem.

Iam audi, quid de eorum institutione dicat. Oseæ 13. *Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea*: Quomodo loquitur maximo omnium Regum, repræsentato per caput aureum, & qui ex verbis Danielis cap. 4. instar magnæ arboris extitit *Magna arbor, &*

fortis, &

fortis, & proceritas eius contingens cœlum, &c.sed vide quomodo habita fuit: *succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & dispergite fructus eius:* &c. *donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum; & cuicũq; voluerit, dabit illud:* Atque ut significet, quàm de illo existimationem habeat, *& humillimum hominem constituet super eum.* Sed ecce illius visi effectum Magnus ille princeps ad summum superbiæ suæ profectus erat, & in admirationem raptus ab propriæ magnitudinis splendore, iterabat sæpius: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ & in gloriâ decoris mei?* Cùm subitò vocem audiit, quæ ferebat: *Tibi dicitur, Nabuchodonosor Rex, regnum tuum transibit à te, & ab hominibus ejicientte:* &c. Proh Deus! quale spectaculum! videre maximum totius orbis principem, turpiter depulsum è regiâ, & ad animantium gregem dejectũ, vivere earum victu, habitare in earum cœtu, brutique animalis vitam degere.

Nepotis ipsius impietas non minori severitate punita fuit. sententiaque in eũ parieti inscripta, *Numera, Pondera, Divide,* satis ostendit, quo ipsius magnitudiem cõtemptu depresserit Deus.

Tacitus ptætereo pleraque minoris conditionis exempla: eligo tantùm duo admodum insignia apud Ezechielẽ, & si primum jam nuper attigi: habetur cap. 21. ubi Deus irascitur adversùs Sedeciam Regem Israëlis. *Tu autem prophane, impie dux Israël, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita: Hæc dicit Dominus Deus: aufer cidarim, tolle coronam; Nonne hæc est que humilem sublevavit, & sublimẽ humilavit; iniquitatem, iniquitatem, ponam eam: & hoc non factum est, donec veniret, cuius est iudicium:* signivicat coronam regni Iudaïci, curvam, & curvam factam fuisset, ita ut nullius capiti conveniret, donec veniat Christus. qui enim Sedeciæ successerũt, non jure hæreditario, sed violentiâ Reges fuerunt, ut Alexander, Aristobulus, Hircanus, & alij quicunq;, qui se pro regibus gesserunt. Alterum est cap. 29. ubi aggreditur Regem Ægypti: *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminũ tuorum, dicis,* &c. *Et. ponam frenum in maxillis tuis,* &c. *& universi pisces tui, squamis tuis adhærebũt, & projiciam te in desertũ, & omnes pisces fluminis tui: super faciẽ terræ cades, non colligeris,* &c. *bestijs terræ, & volatilibus cœli dedi te devorandũ:* Poteratne cum majori cõtemptu sermo fieri ad Principem, magnũque Regem? possetne severiùs tractari hominis cujuspiam nihili insolentia & temèritas; Nescio an ponere debeam in numero Principũ Sobnam Templo Hierosolymitano præpositum sub Ezechia Rege: certè sunt qui eum pro summo Pontifice habeant, omnesque ut unum è potentissimis inter aulicos illium agnoscunt: eius ambitio conditionem superabat, atque sicut se formidabilem in vitâ præstiterat, voluit sibi gloriam tueri post mortem, opulenti monumenti magnificentiâ, regiique sepulchri. En quomodo in eum agit Deus Isaiæ Prophetæ stylo cap. 22. *Quid tu hic? aut quasi quis hic?* id est quid facis in Templo, ô homo nihili: itaque dicitur, quasi quis,

hoc est

hoc est non tam Pastor, aut Sacerdos, quàm Pastoris simulachrum: qualis ille de quo Zacharias cap. 11. *ô Pastor, & Idolum!* pergit Isaias, *Quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelso memoriale diligenter, in petrâ tabernaculum tibi: Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum sic sublevabit te.* Idest aufereris ut capo, alis ac pedibus ligatis in forum, vt væneat, & te obvolutum, ac sine honore deferet infimus quisque: vel quàm facile tollitur vestis cōplicata: ac paulò pòst: *Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terrā latā, & spatiosā: ibi morieris ibi erit curr⁹ gloriæ tuæ, ignominia dom⁹ Domini tui:* Pila significat imperiorū mobilitatem: Quia Deus transire facit regna de gente in gentem: Oseæ 10. *Quasi spumam super faciem terræ:* Ita Zeno Imperator de regno dejectus dixit, ludibrium Dei est homo.

Sed permittite mihi Auditores, ut mentes vestras sensusque ab hoc loco abducens, vos mecum vi cogitationis præsentes sistam ad magni alicuius Regis judicium, coram divinæ Majestatis Throno. Fingite vobis animo Balthasarem ultimum Regem Assyriorū, & Chaldæorum, qui nocte unâ & Regnum & vitam amisit. Eum aspicite solū, à suis omnibus desertum, sine satellitio corporis, sine cōitatu, sine honore sine apparatu; sine purpura & vesti: dejectis in terrām oculis, pulverulentā cæsarie, fronte obductâ pudore, verecundiâq; vultu depresso, præcordijs ab perturbatione palpitantibus, genibus se collidentibus præ metu, animo penitus confuso formidine, angustiarum æstu, ac desperatione, quem Deus hac verborum acerbitate affatur. Isa. 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, &c. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci, &c. Tu audem projectus es de sepulchro tuo quasi stirps inutilis, &c. Tu enim terram tuam disperdidisti, &c.* Exprobrat 1. insolentiam in regno, & ignorantiā officij Regij: 2. impietatem in Deum, & sacra: 3. avaritiam, & prędas: 4. crudelitatē 5. delitias, & sordes, atque adulteria: 6. potestatis abusum in evehendis abjectissimis quibusque, & summis deprimendis: Tùm condemnat ut regno privetur, & careat successoribus: *Nō vocabitur in æternum semen pessimorum:* Tùm ipsum addicit dedecori sempiterno, dolori, cruciatibus, vermiqui non moritur, & flammis æternis: quod facit cum summâ majestate, & summâ authoritate: Quod si videtur eiusmodi sermo ad paucas tantummodò Principum Regumque personas pertinere, probatio, & argumentum est eorum qua dixi de justitiâ Regis nostri, qui quidem ut testetur se in judicio suo nullius respectum habere, secundùm hoc ipsius edictum, Prou. 24. *Cognoscere personam in judicio non est bonum,* videtur acerbius agere cū ijs, qui cæteris imperaverunt, aut ex ratione muneris sui, aut usurpatione, aut nativitatis dignitate, aut exaggeratione fortunæ: præterquàm quod ex ijs quæ dicta sunt de agendi ratione cū primatibus, tanquam ex antecedente certissimo, elicere possumus consequentiam parem huic Nahum Prophetæ, cap. 3. prænuntiantis subversionem vrbis Ninives: *Numquid melior es Alexādriâ populorum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in cin-*

in circuitu eius: cujus divitiæ, mare: aquæ, muri eius. Metropolim Ægypti intelligit appellatam prius No, posteà verò Alexandriam, quia ab Alexandro instaurata fuit: cæterùm à Nabuchodonosore destructa est. *Et tu ergo inebriaberis, & eris despecta, & tu quæres auxilium ab inimico.* Dicere volo, Auditores, eodem illo Prophetæ sensu. Si Principes ac Reges ita severè à Deo tractantur, quid nos expectare debemus, non inquam, qui nihil magnum nisi arrogantiam habemus? Deus castigabit superbiam Principum & Regum: quid in elationem animi nostri acturus est; Sustinere non potuit in maximis quibusq; licentiam & solutioris vitæ effrænationem, ac potentissimis edixit, ne proximi cubile attingerent: & tu id libertatis tibi quotidiè assumes. *Numquid tu melior es Alexandriâ populorum.* Tam acerbè punivit adulterium Davidis, vanitatem Ezechiæ, levemque ex opibus suis oblectationis sensum: adeò severè punivit inobedientiam Saülis; infausta regendi consilia impij Ieroboami; temerariũ facin' Osię qui sacrificare voluit usque ad dies ipsos numerat, trutinâque expẽdit singula Balthazaris opera, quantuscunque sit Princeps, hæresque maximi terrarum Imperij: Et nos qui terra tantùm sumus & cinis, sperare audebimus aliter esse tractandos. Infringit Sceptra, Thronos diruit, aspernatur Coronas, Diademata pedibus proculcat, deridet purpuram, ludibrio habet illustre illud nomen Regis, Principis Monarchæ & dominatoris. *Nunquid tu melior es Alexandriâ populorum?* Quid expectare debet mancipium, famulus, subditus, nihili hõo, qui apud homines cæteros nullum tenens ordinem ac locum, corã Deo ne suum quidem esse retinere possit. Sed quoniam Iudicium absque misericordia non tantùm significat Iustitiã qualemcunque, sed justitiâ cum summâ severitate ac rigore, talem cogita futurâ Dei justitiã in extremo Iudicio.

1. Quidem in æstimandâ defensiõe tuâ. Itaque nihil proderit prætexere aliquorũ exemplũ, imbecillitatẽ tuã, vehementem tentationem, inductionẽ aliorum, rei levitatem, ignorationem præcepti, præcipitem animi æstũ, brevitatem temporis, denegatum otium, expectatam pœnitendi maturitatem, confitendi desiderium, pravitatem indolis, perversam inclinationem, corruptam institutionem, temeritatem, inconsiderantiam juventutis, bona desideria, sancta proposita bonorum functionem operum, toleratos labores, largitiones eleemosynæ, victus acerbitatem, conversionem animarum, obsequia Deo exhibita, intercessionem B. Virginis, in eius cultu religiõnem, Sanctorum opem, Dei promissa mysteriorum, fidem, firmitudinem spei, Incarnationem Filij Dei, ineffabile ipsius amatoriumque Sacramentum, Passionem doloribus refertam, effusum Saguinem, eiusque mortem toties defletam & refricatam meditatiõe. Si ãima se id temporis, compererit expertẽ gratiæ Dei, attendetur ad solam eius justitiam, absque misericordiâ: Etenim unusquisque ex præsẽti justitiâ, & statu æstimabitur.

2. In impossibilitate obtinendæ veniæ Deus enim quondam ad preces sẽper flexus, tunc erit inflexus, secundũ

illud Proverb,6. *Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptiõe dona plurima:* Cogita preces Regis Antiochi, quàm humiles, quàm demissæ, quanta pollicebatur, quàm verâ sui accusatione: quia tamen misericordiæ tempus præterierat, audi Scripturam 2. Machab.9. *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus:* Cogita clamores divitis Epulonis *Pater Abrahã miserere mei, quia crucior in hac flãmâ:* Respondet Deus Ierem.30. *Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua, feci hæc tibi:* Finge quascunq; lachrymas, nõ quales aliquãdo fudisti, sed uberrimas, sed calentes, sed veras, non ex fictione, sed ex vero dolore: Cogita summam præteritorum detestationem, non qualem habere soles, cogita propositum certum, & verum, non quale habere cõsuevisti: *In his omnibus non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta:* Absque misericordiâ; Huccine redacta sunt tãta divinæ misericordiæ, & bonitatis testimonia, Incarnatio, Passio, mors, sanguis, tot gratiæ, tot culparum condonationes, tot salutis media, tot Sacramenta? Absque misericordiâ.

3. In ferendâ sententiâ. Nam sicut Deus misericordiâ miseretur, & sapit sapientia, & intelligit intellectu; Ita judicat justitiâ: Illius autem proprium ex æquo res judicare: Cùm hæc igitur actio pertineat ad justitiã vindicativam, non mirum si fiat absque misericordiâ.

Sed ut melius inteligatur, quid molestum & reformidandum in se contineat terribilis hæc locutio, Absque misericordiâ.

Cogita 1. Quod si Deus ageret pro summâ Potestate atque Dominio, suâ creaturâ, ad quidlibet abuti posset: imperare omnia posset, omnia exigere, ad omnia cogere, nullam mercedem dare, quolibet tormento, & pœna afficere: absque ulla creaturæ injuriâ: quoniam ipsa tota quanta est, & jus omne ipsius ad Deũ pertinet: Vide quomodo tu tuis rebus utaris sensibilib⁹, & insensibilibus: Iam si sic Deus tecum ageret, quid sperare posses? Vt ẽim ait Iob cap. 9. *In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnerà mea etiam sine causâ:* Quantò magis si tecum, iratus, & offensus agat, & pro summo suo jure, quantus esse debet tuus tremor, & quanta trepitatio?

Cogita 2. Si Deus tecum ageret vel tantum secundùm magnitudinem majestatis suæ, certè te solo suæ authoritatis pondere oppprimeret, Nam ex Sapiente Proverb.25. *Qui scrutator est majestatis opprimetur à gloria:* ut si quis solem è propinquo vellet intueri, illicò totus incenderetur, atque in favillam redigeretur: Id figuratum in monte Sinaï Exod.19. ubi prohibitum est, ne quis propius accederet: *qui tetigerit montem, morte morietur:* Eodem ferè modo. Cum Danielis 3. fornax Babylonica adeò incensa esset ut flamma superaret fornacem cubitis 49. sic erupit, ut incenderit quos reperit ministros ex Chaldæis: Ita nemo posset coram Deo consistere, qui non momento periret, atque hic fuit sensus Iobi, dum diceret cap.31. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, & pondus eius ferre non potui:* usque eò ut coram

tantâ

tantâ majestate, ne innocentia quidem secura sit: unde idem cap. 9. *Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor: & cùm invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam*, &c. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ*. &c. Et *Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ: tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea: neque enim viro, qui similis mei est, respondebo, nec qui mecũ in judicio ex æquo possit audiri:* Hinc Deus ut se hominibus tolerabilem faceret, usus est temperatione: Itaque Incarnatio dicta est œconomia, quæ vox significat etiam deflexum à legis rigore, hæc enim Dei humiliatio, rectè vocata est à SS. PP. dispensatio: Quantò igitur magis intolerabilis apparebit Deus peccatori in judicio, cùm non jam utetur condescensu, sed sumo suo jure, absque misericordiâ: Hinc fit ut Christus modum judicij describens dicat: *Cùm venerit Filius hominis in majestate, & potestate magna:* cui si furor, si ira accesserit, quis poterit sustinere? Iob. 9. *Deus cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem: Quantus ergo, ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo?*

Cogita 3. Deum nunquam ita punire in hac vitâ quin aliquem locum det misericordię, alioquin quis ferre possit? Tob. 3. *Cùm iratus fueris, misericordiam facies*: Davit Psalm. 76. *Numquid in æternum proijciet Deus aut non apponet ut complacitior sit adhuc, aut obliviscetur misereri Deus, aut continebit in irâ suâ misericordias suas?* Quàm tamen severa sunt judicia quæ hic exercuit, Diluvium, eversa Pentapolis, Ægyptus punita, Israëlitæ in deserto castigati? &c. Itaque si ita sævus est in misericordiâ, qualis futurus est, cum nullus erit locus misericordiæ? hinc factũ ut sic orarint sancti, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tua corripias me:* Atque ut scias eam cogitationem plurimùm referre, David duos Psalmos sic inchoat, scilicet sextum, & trigesimum septimum, & huic ultimo hanc adhibet inscriptionem, Psalmus David in recordationem: ut semper meminisset.

Cogita 4. Quoscunq; homines sceleratissimos & inquinatissimos, nullos tamen unquam Deus sic tractavit, ut ab eis suam misericordiã omnino auferret: scimus tamen plurimos fuisse obstinatos, atque induratos, & in statu pessimo: sed modus quo utitur in judicio, nulli exemplo comparari potest, quia semper alibi miscet misericordiã, aut implet misericordiâ, sed eo tempore est absque misericordiâ.

Cogita 5. Quod hoc unum peccator iactare solitus erat Deum esse misericordem: Nam quid aliud pro se possit obtendere? an merita, an virtutes, an bonum gratiarum usum? Imò quid excusare? semper ille misericordiam iactabat, Deus misericors est, idque supra omnem cogitationem: sed ecce peperit ira Dei, & q; inde nata est, *voca nomẽ eius, absq; misericordia:* Certè peccator eã tãdiu expertus erat; videbat se peccata peccatis addidisse, & inde nihil sibi mali obvenisse, omnia sibi pro voto succedere, sibi omnia de more fluere, oriri solem, germinare terram, maturescere

ſegetes, affluere divitias, honores, &c. Id ſemper futurum ſperabat : ſed ecce Deo naſcitur filia, *Abſque miſericordia, quia non addam ultra miſereri* : fer ſi potes huius vocis fulmen, *Non adam ultra miſereri* : Erit illud tempus cum nulla tibi ſupererit miſęricordia, *quia non addam ultra miſereri.* Quod ſi tibi Deus non fecerit miſericordiam (ait in hunc locum Cyrillus) quis faciet ? Nam (inquit) Deo reſiſtente afflictis, nuſquam relinquitur auxilium: ſi enim clauſerit contra hominem, quis aperiet ? & ut ait idem Propheta, *Manum excelſam quis avertet?* aut cœleſti ſententiâ condemnati, quis miſerebitur? omnia quippe nutum divinum ſequuntur, & quæ Dominus facere voluerit, id citra moram omnimodis perficitur, creaturâ, illi cooperante, & dominantis authoritatem comitante.

Id mirabiliter expreſſum in Apocalypſi cap. 20. *Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit terra, & cœlum, & locus non eſt inventus eis* : quibus verbis ſignificatur tantam integritatem futuram Iudicis, ut nullus ibi ſit favor cœlorum myſticorum, & nulla myſticę terrę commiſeratio : Cœlorum nomine intelligitur poteſtas quam Chriſtus miniſtræ Eccleſiæ conceſſit ad peccata remittenda: Item virtus Sacramentorum & Sanctorum interceſſio, qui anteà erant advocati, quæ omnia fiunt cœlorum illapſu: In die autem judicij hæc omnia diſparebunt: Per terram autem intelligitur illa miſericordię commiſeratio, quę tangere ſolet ſanguine junctos, ita ut Pater doleat in calamitate filij, & contra : In die autem judicij illa nihil proderunt, ſed tantùm occurret perſona judicis, eiuſque thronus: unde impius, nulli erit miſerabilis: Nahum 3. *Quis commovebit ſuper te caput, unde quæram conſolatorem tibi?* Verùm Deus ita miſericors eſt, ita patiens, & lenitate conditus! Oportuit profectò eum eſſe eiuſmodi, ad tot facienda propter te, ad tolerandam te tamdiu, & ad pœnas quas merebaris prorogandas: at eius acerbitatis, & iræ menſura, eſt ſuæ prorogatio patiẽtiæ. Atque ut hominum omnium inventa ſuperavit invento amicitiæ, ita ſuperavit acerbitate ac juſtitiâ noſtras cogitationes univerſas: Cogita tantulùm quâ plenum horroris ſpectaculum fuerit toti Ægyto immuni adhuc ac ſupplicijs divinitùs inflictis, videre illicò, aquas Nili converſas in ſanguinem, fontes, ciſternas, piſcinas, urnas, ſitulas, vaſàq; omnia, vbi tenebatur aqua, ſanguine ſolo fluere : atque hinc conclude quis peccatori terror futurus eſt, cùm bonitatem, & clementiam videbit totam in ſanguinem, acerbitatem ultionis, ſeveritatemque eſſe converſam. Quoniam verò nullam in Deo miſericordiam inveniet, cùm tamen ille ſit fons omnis pietatis, & bonitatis, & miſericordiæ, quem Apoſtolus vocat Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis; Hinc colligere potes, quales erga peccatorem futuræ ſint omnes aliæ creaturæ: certè abſque miſericordiâ. Vis ab inſenſibilibus incipiam? quales eas exhibet Evangelium : Sol radios abſcondit, Luna non dabit lumen ſuum nec Aſtra ſuum ſplendorem, néc cœlum ſuam ordinariam legẽ ſervabit in motibus ſuis: terra quatietur, mare agitabitur, elementa confundentur, & omnia

nia homines perterrefacient : Hinc prodigus filius se reum confitens, sic loquitur ad Patrem, *Pater peccavi in cœlum, & coram te*: Dixerat David, *Tibi soli peccavi*: cur prodigus addidit in cœlum? Certè non Deum tantùm, erga se iratũ sensit, sed totos etiam cœli exercitus in se veretur armatos, & omnem etiam creaturam, uti loquitur Scriptura armatam adversus insensatos : Titus Bostrensis in eum locum : Haud secus firmamenti faciem metuit, atque accusatoris cujuspiam voces. Quid de sensibilibus loquar, & ejusdem naturæ, cùm homo homini futurum sit supplicium. Isa. 13. *Vnusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum:* Hebraïcè, facies flammarum vultus eorum: *Ecce dies Domini veniet crudelis*, &c. Signum sanè adventantis Iudicij, quod unusquisque etiam in proximis suis nihil aliud videat, nisi quiddam horrendum, & minitantes flammas. Nec juvabit quod fuerint vitæ nostræ comites, & eorumdem socij periculorum: Hoc vide Matt. 25. in Parabola 10. Virginum : Illæ enim comites erant, sed unis introductis, exclusę sunt aliæ, ac de istis, primæ nullam deinceps curam habuere: Itaque Chrysost. in Psal. 48. Notæ erant Virgines virginibus, sed nihil eas juvit ea familiaritas. Verum quid de familiaribus loquar, cùm nec propinquitas ipsa, vel affinitas juvet : Etenim qualis rerum species tunc futura est, cùm peccator spectantibus parentibus, consanguineis, amicis, & familiaribus, pœnis æternis adjudicabitur nemine non modò succurrente, sed omnibus potiùs tantæ calamitati applaudentibus. Veniat in mentẽ immane illud supplicium de quo Num. 16. Cùm Core, Dathan, & Abiron, subducente se humo, in Infernum vivi descenderunt: Calamitatem sic exaggerat Ioseph. lib. 4. cap. 30. Fuit hic casus eò miserabilior, quod adeò nemo nec propinquorum quidem, aut cognatorum, eos est miseratus, ut totus, quantus erat populus, ante-actorum oblitus, lætis acclamationibus Dei sententiam comprobaret: Certè in Scriptura loc. cit. dicitur quod omnes ab eis per circuitum recesserint: post plagam verò subditur, *Omnis Israël, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium dicens, Ne forte, & nos terra deglutiat* : & illud impletum, quod ait David, *Frater non redimit, redimet homo ? Non dabit Deo placationem suam*: Quid dicam quòd vel ipsi fierent divinæ Iustitiæ vindices, atque Ministri, si vel alius ultor vel carnifex deesset. Impius Sennacherib Hierosolymam obsidens, cùm jam Angeli, qui eius omnem exercitum una nocte fuderat, manum fugisse videretur, uti dicitur Isa. 37. dũ in Templo suum Deum adoraret, à filijs suis gladio percussus interiit : vide quos habuerit carnifices, filios suos charissimos : quod expendens Cyrill. Alexand. causam subjicit: Nam divinâ sententia, in aliquos latâ, undecunque, & omnibus modis, veniunt in pericula, quibus hoc accidit ; non sanguinis conjunctionem incolumitatis pignus habentes, non affectum, neque studium filiorum Patribus debitum, sed à quibus servari eos par erat, periclitantes, per eos ipsos in foveam interitus cadunt. Et hæc erit summa damnatorum mise-

miseria, quòd eorum supplicia pateant amicorum oculis, sed sine ullâ commiseratione: nempe judicium erit absque misericordia. Neque verò illud mirum quòd hic sensus in parentibus & affinibus deficiat, cùm nec in ipsis Sanctis sit futurus, in quibus tamen viguit semper pietas & misericordia, de quibus David Psal. 140. *Absorpti sunt, juncti petræ, judices eorum:* qui judices? certè sancti viri, qui perfectè Christum secuti sunt: illi enim cũ Apostolis sedebunt super sedes duodecim: porrò in affectum justitię absorbebuntur: nihilque in se flexibile, aut aut exorabile relinquent: Bern. serm. 7. in Psal. *Qui habitat.* Absorpti planè sunt in affectum justitiæ, petræ soliditatem, cui juncti sunt, imitãtes: Iuncti (inquit) petræ, quam profectò solam ut sequerentur, cętera omnia reliquerunt: Tunc tunc putes flexibile quippiã inveniendum in iudicibus iunctis petræ? Itaque S. Ephrem serm. de Vita Relig. Illic misericordissimus ille Abraham, immitis, & immisericors reperietur, & qui pro Sodomis, ut salvarentur, fuerat deprecatus, illic vel pro uno peccatore, non supplicabit: sed ad quid tũc vel ipsi sancti forent misericordes, cùm ipse misericordiarum Pater, omnẽ misericordiã sit oblitus. Absque misericordia.

Quorsum verò ista pertinent, mi Auditor, nisi ut non ineptissimè jactes misericordiam Dei, bonitatem eius appelles, prædices patientiam, & longanimitatem extollas: Passim enim mortales circa Dei misericordiam & bonitatem gravissimè aberrant.

1. Quidem quod putent Deũ semper usurum erga se misericordiâ, cùm tamẽ omnes Scripturę doceant venturum illud tempus cum solam justitiam adhibebit, ac respectu tui futurus sit absque misericordiâ: secundùm illud: *Misericordia, & veritas obviavernnt sibi*, & una alteram terminat: Cùm itaque hujus vitę tempus pertineat ad misericordiam, justitia futurum respicit, quod est æternum; unde ęternitatem inchoat à Iudicio: cur ergò Deum respicis inadæquatè, nec tam justum cogitas, quàm misercordem? Quid dicam quod misericordiæ opus magnâ ex parte confectũ est, Incarnatio, Passio, Mors, Sacramenta, Patientia, iteratæ condonationes, suum corpus traditum, diuturna expectatio, dissimulatio, gratię præstitæ: quod superest tempus ad unam justitiã ferè pertinet, Mors, Iudicium, rationis exactio, Pœna.

2. Quod malè interpretentur Dei misericordiam, & bonitatem: neque enim est permissio omnis peccati, neque eorum insula tolerantia, neque omnimoda indulgentia: sed Deus per misericordiam miseris subvenit, hoc est peccatoribus largitur media, pœnitentiam, lachrymas, dolorem, pœnas: per bonitatem in sui amorem trahit, &c. quæ omnia peccator in contrarium sumit, ac præposterè interpretatur.

3. Quod malè utantur Dei misericordiâ: an idcircò bonus est Deus, patiens, & misericors, ut tam bonum Deum offendas? Certè si bonus est, bonum amare oportuit, & omni amore prosequi: Sic enim in reliquis rebus bonitatem sequeris: si bonus est, igitur & hoc unum maximè cavere debuisti, ne bonũ Deum offenderes: si bonus est, quidni igitur bonum imitaris, & sicut ille, quia bonus est, tibi benè facit, ita tu quoque benè illi;

bene illi? sacrificium id non ipsius bono es facturus, sed tuo lucro: Denique si bonus est, næ tu hominum & improbissimus, ac pessimus, quem suprà omnes bonus Deus tantâ severitate castigare & persequi cogatur.

4. Quod ipsâ impiè abutantur ad peccandum: cùm enim ex naturâ suâ provocare debeat homines ad redeundum in gratiam cum Deo, quia redeuntes recipit, quoniam est misericors; è contrario illi ex misericordiâ occasionem sumunt recedendi à Deo: Tertull. lib. de Pœnitent. cap. 8. Nemo deterior fiat, eò quod Deus bonus sit, toties remittens, quoties delinquimus. Certè eò usque malum processit, ut existimem, plures ex misericordiâ Dei damnari, quèm salvari: Adde quod Deus occasionem sumat puniendi ex misericordiâ: secundùm illud Habacuc. *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis*: Bernardus eum locum exponens, ipsa indignatio non aliunde quam de misericordia est: cùm enim Deus recordatur quàm misericorditer se gesserit erga homines, & quod illi hæc omnia testimonia neglexerint, indignatur miro modo, & justè. Qu n tu itaq; bene uteris eius misoricordia Rom. 2. *An divitias bonitatis eius; & patientiæ, & longamitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiem tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, in die iræ, & revelationis justi judicij Dei*: Tria ponit: Bonitatem quâ sponte suâ bene facit: patientiam, quâ non statim punit: longanimitatem quâ diu expectat, & sustinet, in quibus dives est Deus: In bonitate quidem, quia non tantum benefacit ijs qui meriti non sunt, sed etiam ijs, qui malè meriti sunt: In patientia vero quiâ magna scelera & multa sustinet: In longanimitate, quia plerùmque hominem, maximam vitæ partem sustinet, ut uno die det occasionem, se convertendi. Sed si homo ijs abutatur, divitem facit Deum in ira, & vindicta, quia ad peccandum abusus est beneficijs, & instrumentis gratię: Cogites itaque Deum, velim, per se quidem bonum, benignum, mitem, atque clementem esse: sed ubi despectus est, fieri justum, atque severum, in quo etiam bonitatem ostendit: Quia non nisi pœnas neglecti amoris repetit: Equidem ille admodùm amari cupit, qui sui amoris præmium proponit beatitudinem: qui nisi ametur gehennam minatur, ut quacunq; occasione te ad suum amorem percellat: Novit ille frigus nostrum, & nos quacunque ratione ad amorem esse compellendos Tertull. lib. 2. in Marcion. cap. 11. Horremus terribiles minas Creatoris, & vix à malo avellimur: Quid si nihil minaretur? *Et* infrà. Ad omnia tibi occurrit Deus, idē percutiens, sed & sanans: mortificans, sed & vivificans: humilians, sed & sublimans: Tu certè nunc elige quod placet, aut dextram, ant sinistram, nam utramque non potes effugere, aut ad sinistram à dextra, aut à sinistra, ad dexteram: in una, pœna, in altera remuneratio. Hæc ille: Certè nulla est pœna, major Inferno, nulla remuneratio est major Cœlesti beatitudine, ad quam nos deducat Christus sponsus Ecclesiæ. Amen.



FERIA SECUNDA VEL TERTIA

DOMINICÆ PRIMÆ QUADRAGESIMÆ.

CONCIO QVARTA

DE JVDICIO FINALI.

De tertia qualitate Iudicis, quæ eſt Iracundia.

Cum venerit Filius hominis in Majeſtate ſuâ, & omnes Angeli eius cum eo. Matth. 25.

QVO magis progredior explicando vobis qualitates ſupremi hominum Angelorumque Iudicis, eò plus operæ & anxietatis nanciſcor, meuſque animus metu ac terrore majori afficitur. Pergratum eſſet mihi, ſi de ſolâ bonitate & miſericordijs Dei loquendum vobis eſſet, ſed cùm divinę perfectiones minimè ad unam reducantur, infinitaq; ſit earum omnium menſura, utamur monitione S. Baſilij, de quâ jam mentionem fecimus: atque, ut ne dimidiâ tantum parte divinitatem noſcamus, nec habeamus ſatis, eam ut amabilem intelligere, ſed etiam ut formidabilem informemus; hanc ob cauſam pergamus in conſideratione terribilis, neque unquam ſatis reformidati Iudicij. Quod ſi 1. vel ſola Iudicis expectatio, tot ſignis præcedentibus, homines ad ingentem timorem concitabit, ſecundùm illud Lucæ 21. *Areſcentibus hominibus præ timore*, quantò magis eos percellet præſentia? 2. ſi Maieſtas pariet reverentiam: 3. Si ſeveritas ac iuſtitiæ rigor, non tam timorem afferet, quàm conſternationem: Certè inflammata judicis ira, quid in reorum animis pariet, quem horrorem, & ſi quid maius, ac vehementius animus humanus cōcipere poteſt? De hac ergò poſtremâ Iudicis qualitate nobis dicendum eſt: ſed ſi priùs vos admonuero, iram, furorem, triſtitiam, & alia eiuſmodi nomina, ſic de Deo dici, ut licet in Deo perturbationem non ſignificent, quiddam tamen aliquid perturbatione aut commotione maius indicent:

cent: ita enim de Deo dicuntur, metaphoricè quidem propter perturbationem, quæ Deo convenire non potest, ut quoad cætera de eodē propriissimè dicantur, præcipuè quoad effectum: Accedit eò, quod cum Pater omne judiciū Filio dederit, ac Filius homo sit, ea propriè de illo dici possunt, quatenus eiusmodi commotiones in seipso ad inimicorum terrorem concitabit, secundùm illud 1. Reg. cap. 2. *Dominum formidabunt adversarij eius, & super ipsos in cœlis tonabit: Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui:* sed ut de Iudicis Iracundiâ rectè dicere, & aliquando Iudicis Iracundiam fugere possimus, utramque gratiam à Iudicis Matre poscamus. Ave Maria.

CVm habendus mihi hodie Sermo sit, ad antecedentis consequentiā de Iracundiâ summi mortalium Iudicis, quam in extremo generalique de universis hominibus Iudicio ad acerbitatem Iustitiæ, ac exactissimam severitatem adiunget, fatear, Auditores, oportet, sentire me de operis suscepti eventu valdè diffidentem laborare. 1. Quia ut ille aiebat, de Deo, etiam vera dicere periculosum est: 2. Quia multùm vereor, ne apud quosdā bonitatis divinæ opinionem imminuā, cuius tamen natura bonitas, & opus misericordia: Cū enim eius bonitatem sola mali patientiâ æstiment ac metiantur, inde minùs bonū Deum esse putāt, si quæ sunt mala puniat, atque vindicet: non satis inteligentes Deum eò ipso mala punire, quia bonus est: quoniam ut ait Sapiēs, *contra malum bonū est, & contra mortē vita:* unde fit ut Deus suâ bonitate malū persequatur: Itaq ut ait S. Bernardus lib. 5. de Consid. cap. 12. Nunquā recto, pravòque conveniet. Præterquàm quod non satis advertunt, cùm Deo bonitatem ineptè asserere moliuntur, se ab eo justitiam, sanctitatē, & multas alias perfectiones auferre, quibus certè careret, si malum non odisset, ac modis ōnibus persequeretur: Tertull. lib. 2. cōtra Marcion. cap. 13. Quis boni author, nisi & qui exactor: proinde quis mali extraneus, nisi qui & inimicus: quis inimicus, nisi qui & expugnator; quis expugnator, nisi qui & punitor: sic Deus totus bonus est, dum pro bono, omnia est: Et infra. Vsque adeò Iustitia etiā plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deū perfectum, & Patrem &, Dominū: Patrem, clementiâ Dominum, disciplinâ: Patrem potestate blandâ; Dominum severâ: Patrem diligendum piè, timendū necessariè: diligendum, quia malit misericordiam, quàm sacrificium: & timendum, quia nolit peccatum: diligendum, quia malit pœnitentiam peccatoris, quàm mortem: & timendum, quia noluit peccatores, sui jam non pœnitentes: Ideò lex utrūq; definit, diliges Deū & timeb' Deū aliud obsecutori proposuit, aliud exorbitatori. Et certè amant in inferis punientem, quam in cœlis præmiantem quē admodū Sancti non minus Deū āāt impios judicantem, quam peccatores redimentem, & in utroque casu exclamo, *Quia non Deus volens iniquitatem tu es:* Hoc scopulo longè periculoso præternavigato nostra repetamus, ac de supremi Iudicis tertia qualitate hoc

est de eius iracundia, & furore dicamus, si tamen de re tanta ab homine mortali dici possit: Nam si ut, ait Apostolus ad Philipp. 4. *Pax dei exuperat omnem sensum*, quantò magis ira Dei: Si vel placidum mare, solâ aquarum immensitate multos terret, sed ventis exagitatum, & tempestate succussũ, intolerabile videtur: eodẽ modo, cũ sola divivni ult⁹ majestas scrutatorẽ opprimat secũdũm illud, *Scrutator majestatis opprimetur à gloria*; Quis ut ait David Psal. 89. *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo, iram tuam dinumerare?* Licet enim multum timearis, ira tamen tua major est quàm timeant homines, & tamen vide quantùm Sancti timuerint, cùm dicat Iobus cap. 31. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui*: Quod si ille ad se probandum, an posset iram divinam sustinere, se sola cogitatione imparẽ sensit, quantò magis ipsa experientia; Quæ omnia eo consilio à me dicta sunt, ut nullus sit qui magnitudinem Iræ divinæ oratione meâ metiatur, cùm ne cogitatione quidem æquare illam aliquis possit: *Quis enim novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo, iram tuam dinumerare?* Per potestatem Iræ divinæ, eius magnitudinẽ significat, atque effectus: per numerum verò eius multiplicitatem, ut nè putes uno nomine posse signficari. Ego quidẽ qui nosse non possũ, quod nẽo novit, hoc tantum assero quod novi, atque sequentes vobis affero Irę divinæ gradus quibus ad eius magnitudinem, & nũerositatem, conijciendo sẽper majora, conscendere poteritis.

Primus itaq; divinæ iracundiæ gradus mihi occurrit indignatio, quę tunc tẽporis in Iudice futura est omnium maxima.

Omnium affectuum, & motũ quorũ, anima rationalis est capax, un⁹ ex violentissimis vehementissimisq; est indignatio; præsertim cũ habet pro objecto, & termino suo quempiã nihili hominẽ, magnis beneficijs obstrictum sed infidũ atque ingratũ. Sicut enim maximi quique naturæ motus accidunt, cũ se contraria collidunt, & mirabili quâdã antiperistasi sese invicem corroborant; Ita ex oppositione odij & amoris, iræ ac misericordiæ, delectationis & molestiæ, gaudij ac tristitiæ, benefacti & offensæ, nascitur in nobis indignatio. Scio quidem S. Basil. homil. de Irâ, comparando indignationem cum iracundiâ dicere, illã esse tantùm mucronem siue aculeum iracundiæ, & quasi levem passionis vaporem: sed hîc non loquor de levi commotione, molestiâq; perbrevi quæ oritur in nobis ex occasione actionis indecoræ, minusque expectatæ ab hõine qui nobis displiceat; verùm de indignatione formatâ, ac vehẽentis iracundiæ æstu; quæ quidem eò magis formidanda est, quò justior est, magisque fundata in ratione. Ea non pertinet (inquit Aristoteles lib. 2. Rhet. cap. 9.) nisi ad maximos homines, qui iustè indignantur, magna bona & munera in eos conferri qui iis indigni sunt, aut magni meriti viros minimè pro dignitate suâ tractari: unde indignationis nomen profluit. Sed ex omnibus causis incitamentisque maximæ indignationis justissima & vehẽentissima

reperien-

reperientur in Filio Dei venientis judicatum homines: Verù est igitur nihil esse posse magis perhorrescendum, iracundiâ Iudicis illius irâ percit.

Prima huius mei dicti ratio est, quia res universæ reperientur quasi extra locum suum, positæ, tractatæque contra uniuscujusque meritum ac dignitatem: virtus contempta, vitium in honore, impietas error & mendacium in existimatione apud homines; religio, scientia veritasque mundo expulsæ: probi, afflicti, despecti, omnium pedibus conculcati; improbi in muneribus & negotijs, in opibus & felicitate: atqui objectum indignationis est eiusmodi rerũ perturbatio, & adeò indigna inversio.

Secunda ratio est, quoniam si indignatio cùm vehementior est, motus est coactus, sensusque violentus ei quem afficit, procreatus è concursu conflictũque duorum affectuum contrariorum; quid dicam de indignatione Dei quæ accenditur ab amore, qui ipsi naturalis est, & ab odio quò cũ peccator inducit? Vis est ipsius naturæ illata, se ulcisci: violentia est eus bonitati, punire: sed in pugnâ ingratitudinum nostrarum cũ eius beneficijs, nostræ malitiæ cum eius bonitate criminum nostrorum cũ ipsius misericordijs; ferocitatis nostræ cum eius mansuetudine, obstinationis nostræ cũ illius patientiâ, impœnitentiæ nostræ cum eius longanimitate, nascitur ipsius indignatio. Isa. 42. *Dominus sicut vir fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum: vociferabitur & clamabit: super inimicos suos confortabitur: Tacui semper, silui, patiens fui: sicut parturiens loquar, dissipapo & absorbebo simul:* Quamobrem cùm loquitur apud Prophetas de justâ iracundiæ suæ causâ, & de peccatorum nostrorum magnitudine; comparat se modò cum amasio, qui ab infidâ contemptus fuit, modò cũ sponso zelotypiâ capto propter inquinationem thori: Zelus est ipsius amor: dilectio est zelotypia, ira est furor, indignatio est eius iracundia. Id cogita peccator. Deus affectaverat tui gratiâ studium boni & miseratoris nihil est, quĩntẽtaverit ut te ad se amandum astringeret: quousque descendit; non solùm ad actiones, sed etiam ad conditiones suâ magnitudine indignas: & post hæc omnia, sibi visus est adigi vitæ tuæ rationibus ad mutandam naturam, atque ad suscipienda propter te aliena à se nomina, & ad affectiones propensioni suæ contrarias, usque adeò ut existimatus sit appellatusq; crudelis. Iob. 30. *Mutatus est mihi in crudelem & in duritie manus tuæ adversaris mihi.* Volebat se nominari abs te misericordem, cùm te tandiu toleravisset; cũque coegisti severum fieri: mille benefactis provocavit te, ut eum patrem tuũ vocares, amicum tuum, tuum spõsum; ipsumq; adigis, ut tuus judex, adversarius tuus, hostis tuus evadat, atque ad quærendum te in exitium, & ad se oblectandum te puniendo. Deuter 28. *Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans, sic lætabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferãini de Terra:* agendi tecũ prima ratio profluebat ab ipsius inclinatione, secunda nascitur ex vi quam eidẽ intulisti. Michææ 1. *Ecce Dõinus egredietur de loco suo, & descendet, & calcabit super*

 excelsa

ex celsa terræ: Id est, uti S. Hieronym. exponit, quia Deus morem suum deserit, cùm punit ac sævit. Peccator ad id etiam attende: Si perfectè quempiā amasses si de eo bēe fuisses meritus modis omnibus quibus potes; tèque demùm ingratitudinē remuneraret, oblivione, contemptu, injuriâ & offensione, quo usq; tua te indignatio efferret? At quā parum reformidanda est iracundia tua, si eam cum divinâ conferas. Proverb. 16. *Indignatio Regis, nuncij mortis.* Si tua infelicitas eò te cōpulisset, ut jure iratum tibi, ac indignatum, Regem aspiceres, quid de tuâ vitâ sentires? nunc verò non metuis videns Deum ob malefacta tua in te iracundiâ & indignatione affectum. Quis hominum porrò ita præfidens sibi & magnanimus est, qui videns cœlos instar ceræ colliquefieri coram Dei majestate, Sanctosque & Angelos metu contremiscere, ac præ formidine locum mutare, poterit firmus consistere, & illum sine metu sustinere. Nahum 1. *Ante faciem indignationis eius, quis stabit? & quis resistet in irâ furoris eius? Indignatio eius effusa est ut ignis: & petræ dissolutæ sunt ab eo:* & Isaiæ cap. 63. *Et indignatio mea auxiliata est mihi:* & cap. 59. *Indutus est vestimentis ultionis, & opertus est quasi pallio zeli. Sicut ad vindictam, quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis: insolis vicem reddet.* Ne illum metire contemptu quem eius nunc habes, quùm vides ipsum vel inter matris brachia gestatum, vel affixū cruci: vultum induit longè differentem, dùm venit ut Iudex, ab eo quem suscepit veniens ut Salvator: aliter se formidabilem facit, quando apparet ut leo, aliter quando est agnus: cùm primâ vice omnia erant in silentio: Sed cùm veniet iterū, *Deus manifestè veniet, Deus noster & non silebit:* Primâ vice, sine strepitu advenit. *Descendit sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terrā.* Alterâ, venturus est cum strepitu & fragore. *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Primâ, 3. Reg cap. 19. *In sibilo auræ tenuis:* Secundâ, sicut loquitur Isaias cap. 30. *In turbine, & in lapide grādīis* primâ, auditus est flere, querique in cunabulis: secundâ, eius verba nihil nisi tonitrua erunt. 1. Reg. 2. *Dominum formidabunt adversarij eius, & super ipsos in cælis tonabit, Dominus judicabit fines terræ:* Hactenus de indignatione, per quam.

Ad 2. Divinæ Iracundiæ gradum transeo, quem appello satisfactionem, quam sic explico. Cùm indignatio, sit ingens ægritudo animi & acris molestia, quia uti diximus ortum capit è duobus affectibus contrarijs, qui simul eodem tempore haberi nequeunt, sine labore ac dolore: Inde fit ut pro nostro loquendi more, necessarium sit indignationem Deo molestiam inferre, quæ tantò major fit, quāto indignatio quam concipiet, justior futura est, & major, utpote ipso digna: aliūde verò: sicut minimè æquū est, vt ob creaturæ culpam Deus aliquid patiatur illius causâ, & delectatione sibi debitâ privetur: inde evenit, ut cùm indignatio in nobis producat pœnam & molestiā, in illo terminetur ad mirum quoddam genus oblectationis, & ut loquimur vulgo, satisfactionis, quam Propheta Isaias mirabili modo explicat cap. 1.

Heu!

Heu! consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimici meis. Quod quidem ita contingit, ut exprimere pergo. Nihil est dubij, quin magnoperè delectetur Deus exercitio & usu bonitatis suæ, sèque comunicando creaturis: scilicet creatione, Incarnatione, Eucharistiâ, hoc in sæculo gratiâ, in altero gloriâ. Inde promanant cordium nostrorum illecebrosæ prensationes, suaves cum creaturâ congressus, blanditiæ, & familiaritates. *Et deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Ratio est, quia proprium boni est seipsum communicare, Deus autem cùm sit naturaliter & essentialiter bõus, cujus natura bonitas & opus misericordia, se communicat necessariò intra sesesipsum infinitè duabus personis divinis per productiones omninò mirabiles; extra verò, creaturis suis, quibuscunque potest modis omnibus, cum gaudio & delectamento magnitudine suâ digno. Id enim omne quod fit secundum cujusque rei naturam, oblectationem ei affert, quandoquidem delectatio proficiscitur ex convenientiâ. Pariter certum est, non esse in potestate creaturæ, privare Deum oblectatione ipsi debitâ. Vnde accidit ut si malitiâ hominum, delectationem non reperiat benefaciendo ipsis, necesse sit ut eã reperiat malè ipsis faciendo. Deuter. 18. *Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, sic lætabitur disperdens vos atque subvertens.* Ex quo sequitur ut cùm Deus nullum sibi oblectamentum deneget, quia id generis omnia ipsi debita sunt, quod recusatur ipsius bonitati, illud reperiat in justitiâ suâ, atque ut planè sibi satisfaciat, largiatur sibi in punitione peccatoris, oblectamentum omne quod injustè subreptum fuit ipsius bonitati. Ezech. 5. *Complebo furorẽ meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor.* Et certè quidem cum peccator delectationem suã quæsiverit cum detrimento eius quæ debebatur Deo, malueritque satis cupiditati suæ facere, quàm Deo suo, quid expectare potest justius, quam ut Deus calamitate ipsius lætetur, reperiatque delectationem in eius infelicitate? Quã ex re duas colligo; Primam, oportere culpas nostras esse magnas, enormiàq; nostra esse peccata, quæ adigant Deum adeò bonum ad oblectationem captandam puniendo nos totâ æternitate: alteram, oportere magnam esse illius iracundiam, cùm non solùm nullam malorum nostrorum commiserationem habiturus, sed delectationem ibi nacturus sit. Possum addere tertiam, nempe supplicium oportere magnũ esse, quandoquidem non minus esse debet bono quod nobis præparaverat; & delectamentum omne quod sibi pollicebatur benefaciendo nobis, recuperaturus est nos puniendo: Ac tametsi primo aditu hæc cogitatio exhibet Deum crudelẽ; cùm dicatur miserijs nostris oblectari, & consolationem ex infortunio nostro trahere; ea tamen actio tam sanctè reperitur in Deo, ut ultionem suam nominet sacrificium. Isaiæ 34. *Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terrâ Edõ.* Ierem. 12. *Congrega eos quasi gregem ad victimam & sanctifica eos in die occisionis* Et Ierem. 46. *Victima Domini Dei exercituum in terra Aquilonis.* Et Sophon. 1. *Silete*

Silete à facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini: quia præparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos. Chaldæos intelligit, qui dicuntur sanctificari, quia assumuntur ad cultum Dei, & eliguntur quasi Sacerdotes ad eas victimas offerendas. De quâ figurâ seu metaphorâ edisco ea qua) sequuntur.

1. Sicut offeruntur Deo in sacrificium, boves & agni ad honorandam placandam-ve ipsius majestatem, ita supplicium improborum Deo gratum esse, quemadmodum Moyses dixit Levitis, postquam neci dedissent gladio ingentem numerum fratrum suorum idololatrarum, Exod. 32. *Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio & in fratre suo, ut detur vobis benedictio* Qui enim interfecti fuerant, victimæ sunt reputati justitiæ divinæ cui immlilait fuere.

2. Actionem illam esse ita sanctam, ut non inferior sit sacrificio. Quemadmodum enim nulla est in Deo qualitas quæ non sit digna peculiari cultu, utq; sacrificium eius independentiâ spectat, titulumque primi esse, sic illius iustitia honoratur pœnâ rei, quiquidem eius est victima, æquè legitima ac ea quæ primo Esse offertur.

3. Supplicium improborum debere horrendum esse, quandoquidem magnum est illud sacrificium quod debet offerri Deo in dedicatione cœli, horribili & stupendâ strage, ac prodigiosâ effusione sanguinis, quod quidem adumbratum fuit sacrificio Salomonis, 3. Reg. cap. 8. *Mactavitque Salomon hostias pacificas quas immolavit Domino bovum 22. millia, & ovium centũ vigintimbillia.* Aliũde sicut victimæ neci dantur sine repugnantiâ & absque miseratione, ita peccatores ad carnificinam ducuntur sine illâ retrocedendi potestate, & sine ullius commiseratione: Nahum 3. *Quis commovebit super te caput, unde quæram consolatorem tibi?* Imò non exiguus erit mœror, videre improborum cruciatus gratos esse omnibus, ac quemadmodũ, in Martyrum tormentis; non fuit minimũ, videre plurimos qui existimarent se magnum Deo cultum & obsequium deferre, illos õni diritate presequendo: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur se obsequium præstare Deo*: Si c magnus improbis cruciatus est futurus, animadvertere tormenta sua tam jucunda fore Deo, quàm sacrificia ipsi accepta fuerint. Sed *quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Vide quousque progreditur, attingitq; iracundia Dei.

Tertius Gradus qui consistit in maximo Creaturæ contemptu secundùm illud 1. Reg. cap. 2. *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles,* &c. Sapient. 4. *Et erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumeliâ inter mortuos in perpetuum: quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commovebit illos à fundamentis, & usque ad supremum desolabuntur, & erunt gementes, & memoria illorum peribit:* Quam tibi hoc grave futurum est qui sic contemptum meruisti: omnia facile tulisses, sed non contemptum: At quàm facile huius vitæ contemptus ferri potest: id æstima ex qualitate honoris, qui adeò est futilis, & vanus: Vide autem plures huius contemptus consequentias, nam ex sese satis æstimari non potest.

1. Est

1. Est in infamatione publicâ, quæ fit in manifestatione omnium peccatorũ, etiam secretissimorum, ex quâ fit ut peccator apud omnes suam æstimationem perdat, nec hoc tantum, sed judicetur dignus omni dedecore, infamiâ, &contemptu: Nahum 3. *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, & projiciam super te abominationes, & cõtumelijs te afficiam, & ponam te in exemplum. Et erit: omnis, qui viderit te, resiliet à te, & dicet: vastata est Ninive: quis commovebit super te caput? unde quærã consolatorem tibi?* quibus verbis significantissimè exprimitur infamatio hominis in judicio, sublatis õnibus titulis, quibus in mundo tegebatur turpitudo hominum, Principum, divitum, &c. Quæ inde confusio in te orietur, cùm te sic tractatum videbis, & in tantâ omnium abominatione ut nemo jam te suum dicat. *Et erit? omnis qui viderit te, resiliet à te*:

2 Est in degradatione, & exauctoratione: quâ fiet, ut amittas respectu Dei, & respectu omnium creaturarum, omnes titulos & qualitates: secundùm quod supra dictum est Sedeciæ Regi, ex Ezech. c. 25. *Tu autem prophane, & impie dux Israël, cuius venit dies iniquitatis præfinita*, &c. *Aufer cidarim, tolle coronam:* &eò usq; devenies ut jam tibi dicatur quod legitur apud eundem Ezech. 28. *Omnes qui viderint te in gentibus, obstupescẽt super te: nihili factus es, & nõ eris in perpetuũ:* Certè hoc erit omnibus grave, sed præsertim magnatibus, & principibus.

3. Est in omnimodâ tui oblivione, secundùm illud, *Oblivioni datus sum, tanquam mortuus à corde:* Item, *Qui habitant in sepulchris, quorum non es memor amplius*: Itaq; ignorari dicuntur secundùm illud 1-Cor. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur*: & illud aliud, *Nescio vos*: unde impij idem sunt apud Deum, quod non ens: *Ne tradas Sceptrum tuum ijs qui non sunt:* Item, *voca Non gentem, Non populũ*: unde Deus in re nullâ rationem habebit impij: *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur* Quàm grave erit homini superbo, qui semper aliquid esse voluit, &in rebus omnibus sui rationẽ haberi, se pro nullo haberi: Hinc in rebus omnibus erit præteritio illius, quia inter res non censebitur: hoc erit in triplici statu naturæ, gratiæ, &gloriæ: Hoc erit respectu Dei, & Angelorum, &hominũ omnium.

4. Non tantum ex negatione fiet talis oblivio & præteritio, sed etiam positivè ex vero contemptu, propter indignitatem positivam rerum omniũ quæ in te erunt, ex vero Dei judicio quod de te feret, considerando te, secundum omnes qualitates, naturales, civiles, morales: ut si in naturâ, aquæ gutta periret, quis hanc jacturam numeraret: ita quilibet reprobus nullo nũero est, nullo loco: Et quia judicium Dei est publicum, illi assentientur omnes intellectus, omnes Angeli, omnes homines, tu ipse: Iam vide quo pertineat ille contẽptus: Hinc omni nomine carebit, nisi illo, Lucæ 13. *Nescio vos, unde sitis, discedite à me omnes opperarij iniquitatis*, & illud Matth. 25. *Servum inutilem ejicite in tenebras exteriores.*

5. In æstimatione creaturæ, secundùm

illud Danielis; *Appensus es in staterâ, & inventus es minùs habens*: Cogita nihil tui esse omissum, sed post exactam discussionem, omnia tua improbata sunt: Ezechiel 28. *Nihili factus es, & non eris in perpetuum.*

6. in reprobatione vitæ tuæ. Ierem. 6. *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos*: unde sequitur. 1. separatio ab alijs, *& separabunt malos de medio Iustorum*: 2. abdicatio creaturæ à Deo quâ suam esse pernegabit: *Quia vos non populus meus, & ego non ero vester*: 3. rejectio violenta quam à se faciet Deus, *discedite à me maledicti*: 4. societas quam faciet pœnæ impiorũ, secundùm illud Matth. 13. *Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.*

Quartus Gradus est quod non modò non tangetur compassione, neq; solũ in impiorũ pœna se consolabitur, sed etiã exultãs irridebit, ac subsañabit secundũ illud Prov. 1. *Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo*: risus hilaritatis est, subsannatio vero amari contemptus: Quantùm dolebis quod Deus ex tuo malo consolationem, & voluptatem capiet: sed quantùm cùm irridebit: non tantùm quia te omnium irrisioni exponet, dùm te risu dignum exponet ex vita præteritâ, ex spe improbâ, ex deceptione tuâ, ex perverso rerũ judicio: sed quia tui respectu Deus quendã sensum cõcipiet irrisioni respondentẽ, secundùm illud, *Dominus autem irridebit illos*: quod faciet summâ in creaturam amaritudine, atque contemptu: usque adeò ut cantilẽas super calamitate tuâ facturus sit, secundùm illud Ierem. 25. *Celeuma quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terræ*: Hieronymus canticũ vindemiæ: Nã quemadmodùm ij qui calcant torcular & vindemiam, lætantur quùm vidẽt vinũ abundanter fluere, ita Deus gaudebit, vidẽs effluere omni ex parte hostiũ suorũ sanguinẽ, adeò ut eã oblectatione animetur ad operam, cum vindemiatorũ cantione. Quis tuus erit sensus, miser peccator! quę cogitatio? quis tibi animus? quùm Deus ubi te ad iracundiæ & indignationis suæ torcular apposuerit, pedibus justitiæ suæ te proteret confringetque, ac omnibus ex locis expressũ sanguinẽ tuum diffundet, irridebit miseriam tuã, tuis illudet pœnis, & cantilenas de infortunio tuo faciet? Isidorus Clarius celeuma interpretatur Epinicium triũphale: eiusmodi refertur apud Isaïam cap. 63. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari; Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecũ: calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in irâ meâ: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit*: plurimi existimant esse Remigum carmen: Euripides in Hecuba, inde transfert ad res bellicas, & ad clamorẽ militum victorum urbe captâ: S. Hieronymus ad calcantes vindemiam: quis autem nesciat convitia nautarum, vindemiatorum, & militum post victoriã: minimè nunc potest joculare verbum sustinere: dedecus contemptusque te de statu mentis dejiciunt: Quomodò autẽ tolerabis contemptum & irrisionẽ Dei, cuius cogitatio, æstimatio & judicium tantopere tibi conducibilia sunt?

Præ-

Præsertim cùm illa irrisio conjuncta sit cum subsannatione, quæ conjunctam habet iram,&amaritudinē: neq; enim irrisio Dei ludicra est, &ad jocum, duntaxat sed seria, sed plena justitiæ: unde S. Basilius ait unicam vocem irridētis, ac subsannantis Dei, minùs tolerabilē esse quàm ullam inferorum pænam:sic enim solet hostis in summâ potestate victoriæ in hostem debellatū insultare: audi quomodo se gerat Deus, Iere.30. *Quid clamas super contritione tua?insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci hæc tibi:* Certè cùm Deus aliquem honorat, id facit suo modo, hoc est divino: ita cùm aliquē despicit, ac ridiculū reddit, sic despicabilem atq; abjectum reddit, ut nemo se erigere atque attollere possit.

Sed ad extremum usque &ad ultimū gradum proferamus iracundiam Dei. Quid expectatis, Auditores, post Dei indignationem,post oblectationem ex peccatoris punitione susceptam, post derisionem & contemptum, nisi ut ira ipsius usque ad furorem accendatur? de quâ re,ut nihil verius, ita nihil horribilius dici potest, quàm quod passim dicunt prophetæ.

1. Enim nōina tribuunt Deo insolita, &naturæ eius contraria: Isaïe 17. *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignatione plenus*: Et Ezech.7. *Non parcet oculus meus super te, & non miserebor, sed vias tuas ponam super te, & scies quia ego Dominus percutiens.* Sanè si in Deo non esset furor, ut quid oraret David Psalm.6. *Dōine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

2. Quasi minus irarum concepisset, quàm vellet, exprimunt illum, sese, magis, ac magis excitantem instar leonis, Ier. 25. *Dominus de excelso rugiet & de sancto habitaculo suo, dabit vocem suam: rugiens rugiet super decorem suum: celeuma quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terræ.* Et Ioël.3. *Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam, & movebuntur cœli & terra.*

3. Post iram animo conceptam describunt, quâ ratione adversus hostes suos progreditur, Isa.42. *Dominus sicut vir fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum, vociferabitur & clamabit, super inimicos suos confortabitur: tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar, dissipabo, & absorbebo simul*: sed vide quo apparatu, &quo comitatu procedentē ostendant, Sap.5. *accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum:* &c. *Acuet duram iram in lanceā, & pugnabit cum illo, orbis terrarum contra insensatos.*

Proh Deus! quis belli apparatus, habere creaturas omnes cōtrà se armatas, totis viribus suis, rabie ac furore, id habentes propositi, ut ulciscantur iniuriam Creatori suo factam, seque in libertatem restituant; &excutiāt iugū, de quo loquitur Apostolus, propter quod, *omnis creatura ingemiscit & parturit usque adhuc*, cum magno dolore extrēoque cruciatu. Proh Deus! quis terror, videre cœlum disrumpi supra hominū capita, astra universa commoveri, & mutari loco, elementa omnia concuti, &confundi, universos Angelos in aciē cogi, intuerique Deum irâ elatum in exercitus ita potentis fronte. Eheu! unico tantū flatu, aspectuq; obliquo tā

celsę majestatis, opus est, non modò ad dissipandam perdendamque, sed etiam ad redigendam in nihilum, tam egenā, tam infirmam vilemque creaturam. Iobi 13. *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam & stipulam siccam persequeris* : Tam facile homo conteritur? quid opus tantis viribus, tantòq; apparatu: Vnus Angelus sufficit, ut unâ nocte, tot hominum millia, & in Ægypto, & in exercitu Assyriorum perderet, quid opus tot exercitibus ut unum hominem perdat? Sed nimirum nihil satis esse potest in Deo irato, ut suum dolorem ostendat, & iram. Nihil unquam facit mediocre : Si hominem dilexit, audi Ioannem : *Sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* : Si opus fuit ut nostram superbiam suâ humilitate compensaret: *Exinanivit semetipsum*: Si mundus sanguine ipsius redimi debuit, nullam habuit guttam quam non funderet: Eodem modo Si irascendū erit, quasi misericordiæ suæ oblitus, *Continebit in irâ suâ misericordias suas*: quia uti dicitur Proverb. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.*

Quantus autem ex irâ Iudicis, timor hominum sit futurus, & quanta in omnium mortalium animis sit futura commotio, scitè describitur in capit. 6. *Et reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus, & liber, absconderūt se in speluncis, & in petris montium: & dicunt montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?* Et tu in tantâ populorum trepidatione, quâ eris mēte? quo sensu? quâ securitate. Tu Deum vagientem in cunis, tu docentem inter turbas, tu humiliatum inter tormenta, tu in cruce suspensum, tu in sacramento occultatum, tu inter tua scelera dissimulantem cōtempseras: vide nunc mutationem quam suspicari nunquam potuisses: audi clamantem, audi vociferantem, audi terrentem: Adam post peccatum, non tullit illam vocem ; *Adam vbi es?* & tamen, ut ait Basilius Seleuciæ, vox erat miserantis: quomodò vocem irati Dei ferre poteris? *Deus cui iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem:* Quod *si justus vix salvabitur, impius, & peccator, ubi parebunt?* Equidem unde tanta sit in peccatore cōfidentia, unde tanta audacia, scire non possum? Minùs etiam novi unde fiat, ut ea credētes Christiani, toto corpore nō contremiscant: Tunc homuncio totam divinitatis iram ferre poteris? totum impetum, & illum inexplicabilem furorē? Cur hæc non cogitas cùm peccati occasio occurirt, cùm titillat voluptas, & libido, cùm appetitus vindictæ, cùm alia cupiditas? Quod si Iob propter summam Dei Majestatem vix credere poterat, Cap. 9. se in oratione supplicē exauditum fuisse, *Et cùm invocantem exaudierit me, non credo quòd audierit vocem meam: In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causâ* : quantò magis dùm se iratum, immò quasi furentem exhibebit, intolerabilis existet?

Sed quò ista pertinent, mī Auditor, nisi ut Deum timeas: quid enim timeas nisi hoc times, & si non times, quis in te sensus esse potest? Vnde igitur tanta in pecatore securitas, unde tanta firmitas

tas

tas, unde tanta diſſimulatio? Certè Gregor. Nazian. fatetur ſe in illis cogitationibus dies noctesque verſatum eſſe: illas ſibi medullas eliquaſſe, exhauſiſſe ſanguinem, robur abſtuliſſe: Ego quidem neſcio quo ſis ſenſu, & quâ mente? ſed fateor hæc ab animo meo non poſſe diſcedere, & quocunq; loco & ſtatu, id mihi ſic objici, ut toto corpore, atq; animo perhorreſcã: Meliùs nobis fuerat tã amabilẽ dilexiſſe: ſed quoniam tot amoris illecebræ, tot præſtita beneficia, tãta dignitas, nihil apud nos poteſt, hunc timeamus, qui ſic eſt formidabilis: *Configе timore tuo. carnes meas, à judicijs enim tuis timui:* Sanè ſi in hac vitâ timueris, & in eâdem, timori ſuccedet amor, & poſt hanc vitam unicus amor reſtabit: quia *charitas nunquam excidit:* Nũc timeamus, poſteà amabimus, & ſemper amabimus: quia ubi charitas, ibi nullus timor, *charitas* enim *foras mittit timorem,* & quia amor erit ſempiternus, nullus deinceps erit timor, interim itaque & timeamus, ut poſteà diligamus ſic, ut ſemper amemus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: Quòd ſi Apoſtolus ei dixit anathema, qui non amat Ieſum Chriſtum, quantò magis dicendum eſt ei, qui Ieſum Chriſtum nec amat nec timet: quia ſic non timet, ut non amet, & ſic non amat, ut non timeat: quia uti ille qui timuit, amat, ita qui amare incipit, timere deſinit: ad hoc metuens, ut amet: in hoc amans ne metuat: felix timendo, ſed amando longè felicior, uti, ſemper amando, feliciſſimus exiſtet in gloriâ cœleſti, ad quam nos perducat JESUS CHRISTUS. Amen.



FERIA SECUNDA, VEL TERTIA
DOMINICÆ PRIMÆ IN QVADRAGESIMA

CONCIO QVINTA

DE JUDICIO FINALI.

De multiplici diviſione, quæ tunc fiet.

Et ſeparabit eos ob invicem, ſicut paſtor ſegregat Oves, ab Hœdis. Matth. 25.

QVI ſublimes Beati Ioannis revelationes interpretati ſunt, quarum quot ſunt verba, tot ſunt ſacramenta (ait Hieronymus) docent plerique primam Filij hominis viſionem, quæ deſcribitur cap. 1. inter ſeptem candelabra, id eſt Chriſti in Eccleſiâ, continere epitomen eorum omnium quæ poſteà in toto libro dicuntur, in quo omnis ſtatus Eccleſiæ deſcribitur, & quidquid Chriſtus in eâ operabitur, uſque ad ultimam æternitatem: unde deſcribitur prima mundi converſio, fidei incrementum; perſecutiones Eccleſiæ, eiuſdem perfectio, tempora Antichriſti, eiuſdem prælia, perſecutio, & mors; Mundi conflagratio, & innovatio, Reſurectio, judiciũ, ſentẽtia, duplex ſtatus æternus, beatorũ, & dãnatorũ.

Itaque prima illa deſcriptio continet perfectam Filij hominis deſcriptionē, veſtis ipſius,cinguli,capitis,capillorū, oculorum, oris, manuum,pedum , vocis,&aliarum rerum,ad ipſum pertinenētium. Cæterùm, quoad iudicium attinet,In oculis eius , de quibus ſic dicitur , *Oculi eius tanquā flamā ignis*, agnoſcunt examinis ſeveritatem , & Iudicis terrorem:in ore veró ſententiam, *Et de ore eius gladius, utrâque parte acutus exibat.* Mirabilis ſanè viſio, ut gladium non ad latus ferat,non pendentē ex humeris,non vibret in manu,ſed quaſi evōat ex ore.Refert Ioañes Bohemus deRitu Gētili, Principes Aſiæ quo primo die, primatum ſumebant dicere ſolitos. In poſterum oris mei ſermo,gladius meus erit: Ita Chriſti gladius formidabilis , eſt eius ſententia.Cæterùm quando dicitur,eſſe acutus ex utraque parte , id fit ad ſignificandas nobis duas ſententias, unam electorum , alteram reproborum;unam beatorum,alteram damnatorum: acutus fuiſſe etiam dicitur , propterea quod magnas diviſiones , ſeparationeſque mirificas facturus eſt, quæ inchoandæ ſunt primâ judicij actione, atque eæ ſunt diviſiones , de quibus hodie loquemur,quandoquidē Evangelium noſtrum nobis hanc materiam ſuppeditat,verùm ſiſtamus nos priùs Virgini Deiparæ ſupplices adhibitâ ſalutatione conſuetâ. AVE MARIA.

ERGO ad incipiendū; prima diviſio ſeparatioque facienda,eſt divortiū ſocietatis,hiſce verbis comprehenſum, *Et ſeparabit eos ab invicem ,ſicut Paſtor ſegregat oves ab hædis*, ut nimirum , non ſimul ſint juſti , & impij ; vocandi , & rejiciendi: ſecundùm illud, *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum.* Ad hæc verba rectè intelligenda,

Nota 1. In hac vitâ ſēper eſſe mixtos bonos malis, ſic ordinante divinâ providentiâ: ita videas inter peſſimos ſemper aliquem bonum exiſtere: Ita in Sodomis Loth erat, ut ait Sanctus Petrus 2. epiſt. cap.2 .*aſpectu, & auditu juſtus*. Et contrà,inter diſcipulos Chriſti unus erat diabolus, dicente Chriſto Ioann.6. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus eſt:*Itaque cùm Sanctus Auguſtinus duas in mundo civitates eſſe dixiſſet, unam terrenam quæ conſtat reprobis ; alteram Dei , quam componunt electi;ſic de utrâque loquitur lib. 1. de Civitate cap.35. Perplexæ ſunt iſtæ duæ civitates in hoc ſæculo, inviceq; permixtæ , donec ultimo judicio dirimantur : Id verò eſt utriſque utile, & proficuum:nā juſti dùm malos ſuſtinent, probantur,&ſe ignorant: ſecundum illud Auguſtini adhuc ignoti etiā ſibi: & illud Iobi cap. 9.*Etiam ſi ſimplex fuero,hoc ipſum ignorabit anima mea.*Quid autē mali facerent,ſi nulli eſſent boni ; ut enim ait Philo, omnis ſapiens ſtulti eſt redemptio ,merceſque, ne minimo quidem duraturi,niſi ille miſericordiâ, &providētiâ impulſus eius proſpiceret incolumitati Sed ratione huius mixtionis rectè dixit Sapiēs Eccl. 9. *Omnia in futurū ſervantur incerta*: quoniam enim in hac vitâ, boni ſe malis admiſcent,& difficulter diſcernuntur ideò ut ait Chriſtus Matth . 13.*in conſummatione ſæculi,exibunt Angeli,& ſeparabunt malos de medio*

Hinc iterum cogita, quale dedecus illis futurum ſit, qui ab illâ ſocietate tàm honorabili ejicientur. Quàm gravis illa vox futura. Tu inter ſanctos, Tu inter Reges, Tu inter Filios, tu inter oves, perdite, ſordide, impie, indigne, homo nihili, & deſpicatiſſime: Idque in conſpectu tam multorum; in ipſo totius orbis theatro. Certè hoc dedecus ſummum erit omnium: præſertim cùm ſeparatio iſta fiat, ut diſcernantur hœdi ab ovibus, ſecundùm illud, *Sicut paſtor ſegregat oves ab hœdis*, hoc eſt ut diſcernantur Reprobi à Prædeſtinatis.

Nota 4. Homines in hac vitâ unitos eſſe conjunctoſq; inter ſe modis pleriſque, multiſque vinculis, ac nexibus valde diverſis, magnoque numero: quòd ſint eiuſdem nationis, eiuſdem urbis, domus eiuſdẽ, familiæ eiuſdem, eiuſdem ſobolis & ſtirpis: ſimilitudine item fortunæ, occupationis, negotiorũ, muneris, ſtatus: ſed longè amplius, affinitate, conſanguinitate, neceſſitudine, amicitiâ, mutuiſque benefactis. Hæc vincula, huius vitæ vincula ſunt, itaque omnia in morte rumpentur: ſed ſi remanerent, hâc ſeparatione omnia rumperentur: Tunc enim nulla eorum ratio habebitur; Multò minùs etiam aliarum conditionũ; unde non dicitur ſeparatio pauperum à divitibus: Nobilium ab ignobilibus, doctorum ab ignaris, &c. ſed *ſeparabunt malos de medio juſtorum*: hoc unum erit diſcrimen. Itaq; alia diſcrimina nihili fient: Rex impius fuerit, & ſeruus impius, ambo in unũ faſciculũ colligentur: uxor impia, maritus pius, aut contrà; dividentur, idq; in ſempiternum, & illud implebitur. *Duo erunt in tecto, unus aſſumetur, & alter relinquetur:* Cogita quis tuus tunc erit ſenſus, cùm à tibi chariſſimis abſtrahêris, cum avellêris, cum ejiciêris: Certè ex Philoſophis, omnis dolor eſt à diviſione, quanto itaque cum dolore à multis dividêris cum quibus aliàs conjunctiſſimè vixiſti: De Levitis dictum eſt Deuteron. 33. *Qui dixit Patri ſuo, & Matri ſuæ. neſcio vos: & fratribus ſuis, ignoro vos: & neſcierunt filios ſuos.* Sed multo magis id dicetur de Beatis qui Deum unicè ſpectabunt rerum omnium aliarum obliti. Itaque vera amicitia ſolam virtutem ſpectare debet, cùm ipſa ſola ſtabilis ſit.

Secunda Diviſio ſeparatioque fiet quoad ordinem in quo quiſque ſtatuetur ſecundum illud Matth. 25. *Et ſtatuet oves quidem à dextris ſuis: hœdos autem à ſiniſtris.*

Nota ſecundũ communem ferè omnium hominum exiſtimationem, dexteram nobiliorem eſſe, quàm ſiniſtram, quod nunc probare, eſſet ſuperfluum: Itaq; in hoc loco per dexteram ſignificari prælationem bonorũ, ſupra malos, & reprobos: quacumq; tandem alia re reprobi in hoc mundo allis fuerint antepoſiti: illa autẽ præl-tio continet.

1. Iudicium comparationis. Quia nulla eſt prælatio ſine aliqua comparatione: illa autem comparatio flet in compoſitione, & collatione, vitæ prædeſtinatorum, & vitæ reproborum: per quam manifeſtè arguentur impij de peſima ſua vita, in conſpectu ſanctiſſimæ vitæ Prædeſtinatorum, iuxta illud Sap. 4. *Condemnat juſtus mortuus vivos im-*

Bbb peiores,

pios: Nam si minus mali, condemnabunt peiores, dicente Christo. Matth. 12. *Viri Ninivitæ surgent in judicio, cum generatione istà, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plus quàm Ionas hic: Regina Austri surget in judicio cum generatione istà, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quàm Salomon hic.* Quanto magis justi impios condemnabunt. Hoc significavit David Psal. 36. *Deducet sicut lumen justitiam tuam:* ut interpretatur Origenes Ait enim Deum in judicio, ex vita justi, sanctorum velut meridiem, ut justificet judicium suum: non tantùm quia manifestabit justitiam justi, sed quia ex illius justitia ponet tanquam meridiem judicium suum, de iniquo, & justo: ut nimo conqueri possit, nemo suspicari, quod non rectè judicet: quod non secundùm justitiam, sed aut amore, aut passione, aut personarum acceptatione: sed ponet judicij sui æquitatem, velut meridiem, manifestando justorum vitam, tanquam lucem, opponendo illam vitæ malorum; ut illorum tenebræ magis appareant, dum luci justorum opponentur: Et hæc manifestatio vocatur iniqui condemnatio, secundùm illud. *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione istâ, & condemnabunt eam.* Idem significatur Apocal. 20. *Vidi mortuos magnos, & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est;* uti exponit S. Augustinus 20. de Civit. cap. 14. Libri (inquit) quos priori loco posuit: inteligendi sunt Sancti, ut in ilis ostenderetur, quid Deus fieri jussisset; ille autem, vita cuiusque. *Et judicati sunt mortui, ex iis quæ scripta erant in libris:* Quia ut ait S. Gregor. 24. Moral. eandem sequens expositionem. In ostensâ vitâ justorum, quasi in expansione Librorum, legunt bonum perversi, quod ipsi agere noluerunt, atque ex eorum, qui fecerunt, comparatione damnantur. Quomodò vero excusare aliquid poteris in quocunque statu, videns Sanctorum exempla: Pauper enim peccator, videbit pauperes sanctos: dives divites; Rex Reges; Miles Milites; Negotiator Negotiatores; artifex artifices: servus servos: uxoratus uxoratos: solutus solutos: sæcularis sæculares: Religiosus Religiosos. Immò allij alios condemnabunt, sæcularis Religiosos: Religiosus sæculares: Pauper divites: Dives pauperes: Rex subditos: subditi Regē: Herus servum: servus herum: mulier virum: vir mulierem: etenim illo tempore nihil proderit status, nihil conditio, sed vita anteacta: Quantùm autem ea res torquebit malos, significat David Psal. 119. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs;* quod ita exponit S. Augustinus sagittæ potentis acutæ, verba Dei sunt, quæ transfigent corda: Carbones autem vastatorij sunt exempla Sanctorum. Quomodò autem id fiat, id explicat in sequentibus, cum nimirum dicet Deus: Tu, non potuisti, ille potuit: Numquid delicatior eras illo senatore? fœminæ potuerunt, viri non possunt; delicati divites potuerunt, pauperes non possunt; Viri Ninivitæ pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & Iudæi impœnitentes manserūt post tot Christi Domini prædicationes, & tot vitæ eius miracula? Post

Post comparationem,prælatio continet victoriam, hoc est dejectionem illorum,& iustorum exaltationem:hoc est dexteram,& sinistram:de quo differit hoc modo Augustinus Serm. 62.de verbis Domini. Recolite dexteram, & sinistram Iudicis nostri : Recolite ubi stabunt hœdi,& ubi oves,& apparebit vobis,ubi dextera,& sinistra:candida, & nigra , luminosa & tenebrosa : pulchra,& deformia:acceptura regnum,& inventura supplicium sempiternum. Minimũ quod ea præferentia,invehat, est major æstimatio quâ pluris quàm tu,alij fient:quod quidẽ olim in vanitate tibi intolerabile fuit,at quis animi tui dolor mœrorque,futurus est,videre te postpositum tot hominibus, quos aliàs usque adeò sprevisti,ut ne dignareris quidem eos aspicere? Nam inter beatos,quàm multi quondam abiectissimi,& despicatissimi, in vitâ,In ingenio,in moribus,& vitijs. Publicani, & meretrices,&.*recumbent cum Abraham in regno cœlorum, filij à regni eijcientur foras:* Hic totam vitam insanus fuit,ac stupidus : hic vixit in captivitate, & vinculis,ille in patibulo vitam finivit facinorosus:alter in rotâ,alius in flammis : huius nomen fuit in detestatione apud posteros, & id meritus est suis criminibus:Quia tamen pœnitentiam egit,veniam consecutus est,& posteà inter beatos collocatus,& quia beatus, tibi præfertur,& ista prælatio,uti summa est illius honoratio, ita est,summus tuus contemptus , & intolerabilis despectus. Matth. 21. *Amen dico vobis quia publicani, & Meretrices præcedent vos in regnum Dei* Hoc etiam continet ista prælatio,ut sit approbatio vitæ quorumdam, & aliorum improbatio, & reiectio, & vitæ corũ condemnatio: Ierem. 6.*Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.*

Tertia Divisio ac separatio est ratione loci. Apostolus, Paulus hanc mihi notitiam subjicit,ad Thessalon. cap.4. *Nos qui vivimus,qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* Sensus est, bonos omnes, seu olim à primis temporibus, seu proximè mortuos,& tamen immediatè post perresurrectionem vivificatos, qui consequenter tunc erunt, viventes, dono agilitatis attollendos in aëra : Malos autem in terrâ remansuros,suorũ corporum gravitate retentos, prostratos, atque jacentes in pulvere,magno cum timore expectantes judicium Dei, & fulminandam super se sententiam Iudicis. Tuncque implebitur; illud Malachiæ 4.*Et calcabitis impios,cum fuerint cinis sub plantâ pedum vestrorum,in die quâ ego facio, Dicit Dominus exercituum:* Cùm enim simul boni, & mali è sepulchris sint resurrecturi : & ab Angelis facta fuerit separatio,ne simul sint; Tunc illud Christi Domini implebitur : *Unus assumetur, & alter relinquetur* : Item *una assumetur, & altera relinquetur*: Cùm enim Christus,veniens in nubib' apparuerit, *Ubi corpus fuerit, illuc cõgregabũtur & aquilæ, simul rapiemur cum illis,in nubibus obviã Christo,in aëra*: cæteris in terra relictis. Quis,ait S.Chry .Hom.8.in 1.ad Thes. erit eorũ animus,cũ illos quidẽ in altũ tolli,se verò dimitti viderint : an non quâvis gehennâ gravius, hæc possunt

perterrere? Tunc illud implebitur Sap. 5. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustiâ spiritus gementes. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce quomodò computati sunt, inter Filios Dei, & inter Sanctos, sors illorum est.*

Ut enim uraris invidiâ, Bonorum gloria atque majestas apparebit. *Tunc stabunt justi adversus eos qui se angustiaverunt.* Tunc implebitur quod dicitur Psalm. 30. *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem.* Cogita quanta te premet invidia, cùm te videbis miserum, tam multos verò alios, beatos atque felices. Ideo, ut ait Bernardus serm. 8. in Psalm. 90. priùs benedicentur boni, quàm maledicentur impij: priùs benedicti vocabuntur in regnum, quàm maledicti in caminum dejiciantur ignis æterni: quò videlicet acriùs doleant, videntes quæ amiserint. Quàm tibi dolebit si magnus fuisti in sæculo, videre multos, quos in vitâ contempsisti, fulgere in gloriâ? si dominus servum suum videat: si dives pauperem: domina ancillam: judex reum: princeps subditum: Quàm obstupescet mutatas vices? Quis sensus fuit fratrum Ioseph, dùm eum viderent regnare in Ægypto, quem servire putabant? Miror (ait Chrysostomus) quomodò non avolarit ab eis anima: quomodo non obstupuerit tota eorum mens: quomodò non reciderint in terram: Quis fuit Animi sensus, cùm vidit Mardochæum, quem patibulo destinarat, cultu regio vestitum, séque coactum peditem, equum eius deducere, eique famulari? Certè cùm se à Mardochæo insalutatum vidisset, sic exarserat irâ, ut cùm esset primus in regno, diceret tamen suis, Esther 5. *Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores regias:* Sed cùm vidit mutatas vices, sèque Regis mandato coactum, peditem præcedere Mardochæum Judæum in equo regio sedentem; sic animo affectus est, ut eius sensum, cùm satis exprimi non possit, paucis his verbis Scriptura exposuerit; *Aman vestinavit ire in domum suam lugens: & operto capite:* sed hęc tantùm figuram continent eorum quæ accident in die judicij, in illâ rerum tam inopinatâ & prodigiosâ commutatione. In eundem sensum, quàm grave fuit diviti Epuloni, quandò uti dicitur Lucæ 16. *Elevans oculos suos vidit Abraham & Lazarum in sinu eius:* de quâ re Titus Bostrẽsis sic philosophatur. Ut Deus Adamo è Paradiso ejecto, ex adverso Paradisi sedes assignavit, quo creber eius conspectus dolorem Instauraret; ita Lazarum in cruciatuum augmentum divitis huius aspecti objecit. Eodem modo ut crucientur impij, videbunt gloriam beatorum, quod quantum futurum sit supplicium, pulchrè exponit Chrysologus serm. 22. Quale supplicium est inter æternos cives, de contemptu dolorem, de ignobilitate pœnam, de nuditate opprobrium sustinere, & tunc addici pœnis, quando alij promoventur ad regnum. Et sanctus Chrysostom. epistol. 5. ad Theodorum lapsum

lapsum. Et si enim fluvius ignem non volveret, neque Angeli assisterent adeò formidabiles; soli autem convocati homines, quorum pars laudata est, & in admiratione habita, pars ablegata ingloriè, ne gloriam Dei videat; num istud per se pœna foret, totâ gehennâ acerbior? In hunc sensum nonnulli è Sanctis Patribus interpretantur quod dives epulo, bis postulet Lazari discessionem à sinu Abrahæ, primò ut ad se veniret; secundò, ut ad fratres divitis iret. De quâ re sic Chrysologus serm. 122. Ante dicit, Mitte ad me: modò dicit; Mitte ad fratres meos: hoc ideò agit infelix, ne videat felicem, & zelo magis incenditur, quàm gehennâ. Est illis grave malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquandiu habuere contemptui, videre felices. Sic illud Jobi 6. *venerunt usque ad me, & pudore cooperti sunt*; de reprobis exponit sanctus Gregorius, qui usque ad perficiendam electorum gloriam perducuntur, ut ad majora tunc reatus sui supplicia, repulsi videant, quod perdiderunt: ut impleatur quod dicitur Sap. 5. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.* Illud præterire non possum, cùm in damnatis passiones, & vitia summum sint habitura imperium, in illis exercitura gravem tyrannidem: quis in eo casu explicet eorum iram, rabiem, & furorem; quis invidiam, & livorem; quis extremam desperationem. Nam quomodò tantum contemptum eorum ferat superbia? quomodò aliorum honorem eorum invidia? quare varijs animi motibus agitabuntur, & varijs affectibus disrumpentur ac discindentur.

Cæterum cùm separationes de quibus hactenus egimus, sint quædam dispositiones ad ultiores, & longè majores: licet istæ ulteriores ad ultimas judicij actiones pertineant, ut tamen semel de omnibus dicamus de his quoque postremis, paucis tractabimus.

4. Igitur consistet in diversâ tractatione reproborum & prędestinatorum, quæ valde dissimilis erit: & continetur verbis sequentibus, Matth. 25. *Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt; Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c. Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est* Diabolo, *& Angelis eius: Esurivi enim: & non dedistis mihi manducare, &c.* In quibus verbis continetur verus actus judicij, hoc est publica discretio bonorum & malorum, & diversa amborum tractatio.

Agnosco igitur in verbis illis, magis expressam formalemque discretionem, velim dicere, magis manifestam & publicam separationem, quæ futura est proborum & iniquorum; ac tractationem maximè dissimilem, quæ adhibenda est erga utrosque.

Primò enim, quod hactenùs clausum, abditumque & incognitum fuerat, aperietur & manifestabitur universis, hoc est, magna dissimilitudo electorum & reproborum: Certè in vitâ, occulto solùm Dei judicio discluduntur boni à malis: sed quia occultum est illud judiciũ, sæpè homines decipiuntur:

 quia

quia verò Dei judicium tunc erit manifestum, propterea, quod erat occultum, revelabitur: & ut ait Apostolus 1. Cor. 4. Dominus *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.* Nunc judicare prohibemur, quia nemo de occultis benè judicat, sed cùm ea quæ erant occulta manifestabuntur, non modò non erit temeritatis judicare, sed erit justitiæ: Itaque non modò ipse Deus judicabit, sed omnes etiam creaturæ rationales judicabunt, quia judicium Dei judicantis manifestum in animis singulorum imprimetur, quare fieri non potuerit, ut non sit æquissimum: Tùm quia nemo decipitur, aut errat in ijs quæ sunt evidentia: Tum quia ipsũmet Dei judicium erit in ipsis hominũ mentibus insculptum quasi in columnis animatis, & parentibus. Tunc itaque iniqua hominum judicia, & tam multis modis corrupta corrigentur, & ab unoquoque hominum judicaberis. Cogita quot judices sis habiturus, & quot sententijs, atque suffragiis sis cõdemnandus: *Viri enim Ninivitæ surgent in Judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.* Inter cæteras ignominias quas Christus pati voluit, hæc fortasse omnium maxima fuit, ut alias animadvertimus, cùm à Pilato Præside, cum Barabba homine sceleratissimo compositus est, & omnium adstantium suffragio ei postpositus fuit: Luc. cap. 23. *Exclamavit autem simul universa turba, dicens. Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam:* Vere de Christo ut etiam notavimus, dixit Isaias secundùm LXX. cap. 53. *In humilitate sublatum est judicium eius.* Sed quam contemnendum fuit illud judicium: at quod tu cum innumeris hominibus, quorum tu vitam contempseras, collatus, omniũ vero judicio, & quod majus est, incorrupto Dei judicio postponaris, quàm illud durum, quàm acerbum, quàm ignominiosum! Certè si gloria ex S. Ambrosio, clara est cum laude notitia: è contrario summum dedecus est, clara cum vituperio notitia. Quemadmodum igitur ex Apostolo 2. Cor. 10. *Quem Deus commendat, ille probatus est:* ita ille planè rejectus est quem Deus condemnat. Ob eam rationem omnes Sancti, humana judicia tantopere neglexerunt, & divinum timuerunt, quia huius vitæ judicia falsa sunt, temeraria, & nullius momenti: Judicium autem alterius vitæ, certum est, cõstans, indubitatum, & rei totius, & omnis vitæ decretorium: Itaque Apostolus 1. Cor. 4. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die: sed neque meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo.* Eodem sensu dixit Jerem. cap. 17. *& ego non sum turbatus te Pastorem sequens, & diem hominis non desideravi, tu scis:* Et enim ut ait idem Apost. 1. Cor. cap. 3. *Uniuscuiusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur:* Atque hæc erit prima sententiæ latæ divisio, quæ in eo consistit, ut sit omnimoda nonnullorum approbatio, & omnimoda aliorum reprobatio. Quantùm illud est, quod respectu

respectu omnium, honorem perdes, & æstimaberis homo nihili, & reijciendus: *argumentum reprobum vocate eos, quia projecit illos Dominus.* Nempe cum execratione, hoc enim significat illa vox, *discedite à me*: sicut alia significat approbationẽ. *Venite benedicti Patris mei.*

Secundò, in illa ultimæ sententiæ separatione includitur diversa reproborum, & electorum tractatio: cùm illis dicetur *Discedite à me maledicti*: istis verò. *Venite Benedicti.* Veniat in mentem eius rei, quæ scripta est Deuteron. 27. & Josuë 8. Cùm jussit Dominus mediam partem populi Israël stare in Monte Garizim, atque inde populo benedicere: alteram autem eiusdem populi mediam partem stare super Montem Hebal, atque inde maledictiones duodecim, in legis prævaricatores jacere ad terrorem: Verum quid est ab homine profecta aut benedictio, aut maledictio si cum Dei benedictione, aut maledictione conferatur? illa enim in efficax est, hæc autem efficax, quæ id operatur quod significat. Cæterum quantum illud te torquebit, cùm videbis Deum tot hominibus benedicere, & tui nullam rationem habere, sed te præterire: Item quàm illud grave, ac durum, quãdo te à Deo maledici audies. Isaiæ 3. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Stat ad judicandum Dominus, & stat ad judicandos populos. Dominus ad judicium veniet, cum senibus populi sui & Principibus eius.* Et quasi hæc omnia parva sint...

Quinta, & molestissima separatio, ultimumque divortium electorum superborùmque, spectat terminum ultimum ac finem utrorumque, & postremum statum, qui utrosque æternùm sejunget. Continetur autem eiusmodi separatio illis Matthæi verbis cap. 25. *Et ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.* Quale fuit spectaculum cum Ægyptij in mari rubro disclusi ab Israëlitis; illi aquis suffocati sunt, & submersi; isti vero liberati, immunes per mare transierunt: ac de Ægyptijs quidẽ dixit Moyses, alloquens Israëlitas Exodi 14. *State, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie: Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquam ultrà videbitis usque in sempiternum.* Quale iterum spectaculum fuit cum Abiron & Corè perierunt, & ab ijs reliqui separati sunt. Numer. 16. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, &c. ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum: & aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis, & universâ substantiâ eorum. Descenderuntque vivi in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Quale item spectaculum fuit cum Pentapolis incendio periit, cùm omnibus habitatoribus suis, unusque Loth cum duabus filiabus suis salvatus est in Segor. Sed quale & quãtum erit spectaculum in illa prodigiosâ separatione, & divisione omnium hominum qui sæculis omnibus extiterũt, in duas illas tam dissimiles partes, & portiones, cum separabitur filius à patre: uxor à marito: mater à filiâ: frater à fratre: amicus ab amico: servus à domino, homo ab homine, idque, separatione factâ in status adeo dissimiles: Quis id cogitare potest, nec toto corde contremiscere: ut in unâ parte, quidem sint adeò beati: in alia alij adeò miseri: Lazarus in convivio: Epulo

Epulo dives in tantâ egestate, ut cum tantùm aquæ guttam postulet, guttam aquæ non obtineat: Lazarus in sinu Abrahæ: Epulo in flammis: Ille gaudeat, hic ardeat: ille exultet, hic clamet, & præ dolore clamet: Ille consolatione affluat, hic crucietur: & tamen uterque sit eiusdem parentis filius uterque propinquus?


Atque ut scias separationem illam non futuram ad tempus, neque secun, dùm aliquid tantùm, sed quoad omnia, *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Molesta quidem fuit locorum divisio: molestior ordinum separatio, molestissima conditionum, sed æternitatis divisio æstimationem non habet: nam sicut æternitas satis cogitari, & comprehendi non potest, ita nec capi potest, quidquid est in æternitate. Certè si per se aliquid esset exiguum, jam magnum esset, si in æternitate fieret: quantùm igitur erit, quod & per se magnum est, in æternitate existit? magnum pondere; majus etiam diuturnitate; sed longè maximum est æternitate. Porrò hæc separatio origo erit multarum aliarum separationum, quæ omnes molestissimæ erunt. Nam quid dicam, quot inde odia sint oritura inter eos quos æternum supplicium, & vita æterna separabit. Etenim cùm innumera fuerint huius vitæ mortalis vincula, sanguinis, affinitatis, conjugij, amicitiæ, studiorum, similitudinis, beneficiorum, dominationis, subjectionis, aliarúmque rerum plurimarum; hæc omnia mors primò diremit; sed si mors ea integra reliquisset; irrevocabilis ultimæ sententiæ gladius ea omninò abscinderet: Una Dei charitas Beatos occupabit: unum Dei odium, damnatos: Tunc illud accidet, quod agnoscit, & exaggerat B. Augustinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 27. & sumpsit ex cap. 3. Malachiæ, ubi Deus loquitur de die Judicij, atque subdit. Et eligam eos, sicut eligit homo filium suum, qui servit ei, & convertar, & videbitis quid sit inter justum, & impium: & inter servientem Deo, & eum qui nō servit ei: Quia ecce dies venit ardens sicut clibanus, & comburet eos, & erunt omnes alienigenæ, & universi qui faciunt iniquitatem, stipula: & succendet eos dies veniens, dicit Dominus omnipotens: & non relinquetur in eis radix, neque ramus: & orietur vobis qui timetis nomen meum Sol justitiæ, & sanitas in pennis eius, & egrediemini, & salietis sicut vituli de vinculis relaxati, & conculcabitis iniquos, & erunt cinis sub pedibus vestris, dicit Dominus omnipotens: post quæ verba Prophetæ, ait S. Augustinus. Hæc distantia præmiorum, atque pœnarum, justos dirimens ab injustis, quæ sub isto sole, in huius vitæ vanitate non cernitur: quando sub illo sole justitiæ, in illius vitæ manifestatione clarebit, tunc profectò erit judicium quale nunquam fuit.

Ex hactenus dictis quædam deducamus, quæ nobis erūt loco conclusionū.

1. Sit itaque, ut nihili facias huius vitæ discrimina, quæ tam vana sunt, & tam brevia, & tàm parùm conducunt: Sed magni æstima quæ sunt alterius vitæ, quæ tanti sunt momenti, quæ æterna sunt, quæ vera sunt. Hic habes cōtra elationem magnum remedium, & contrà aliorum contemptum. Hinc

Hinc grande pauperibus solatium exoritur : Hinc omnibus certum documentum, ne externa magni faciamus: sed ut ait Christus Matth. 13. *Sinite utraque crescere usque ad messem :* & ut ait S. Paulus 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium & tunc laus erit unicuique à Deo :* Sæpè cogita ad quam manum pertineas, an ad dexteram, an ad sinistram: utramque amplectere in Crucifixo, misericordiam, & justitiam : sed time sinistram in Iudicio, time maledictionem, time damnationem. In alijs rebus aut remedium habere potes, aut solatium, in damnatione quod remedium? æterna est : quod solatium? umma miseria est.

2. Ut hinc de amicitiarum nostrarum qualitate judices, cùm unam amicitiam sequatur æternum divortium; alteram autem conjunctio, & societas æterna. Sic ama, ut amare semper possis. Equidem si in hac vitâ charorum amissio, & separatio nos plerumque ita afficit, ac tangit ; licet illud sciamus nos non illos amittere, sed præmittere : quàm erit illud acerbum in die judicij, cùm erit æterna duorum separatio ; & cùm pro amore succedet odium, & aversio pro dilectione? Non jam erit uti dixit Sapiens Eccles. 3. *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus :* Item non erit *tempus dilectionis, & tempus odij :* nec *tempus belli, & tempus pacis :* sed cùm anteà fuerit tempus amplexandi, tempus dilectionis, & tempus pacis : tunc erit, non jam tempus, sed separationis, & odij, & belli æternitas : Quæ enim tempus habent (habent autem quæ ad vitam præsentem pertinent) suis spatijs transeunt universa sub cœlo. Sed quæ habent æternitatem (habent autem omnia quæ ad alteram vitam spectant.) nunquam transeunt, sed manent, sed stant, & nunquam finiuntur ; Hoc tantum cura, id unum time, hoc solum magni facias: ac scito te in eo statu breve post tempus futurum: nam illo tempore modico, quod tibi ad mortem usque superest, à te distat æternitas: illa in manu tuâ est, & in tuâ potestate; scilicet ut illam habeas vel infelicem, atque miseram, vel beatam, & bonis omnibus cumulatam : quam præstet nobis Dominus noster Jesus Christus. Amen.



FERIA SECUNDA, VEL TERTIA

DOMINICÆ PRIMÆ QUADRAGESIMA

CONCIO SEXTA.

DE JUDICIO FINALI.

De secundâ actione Judicis, scilicet Interrogatione, & Discussione.

Cum venerit Filius hominis in Majestate suâ, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ. Matth. 25.

LICET dixerimus futuram in supremo Iudice summam in peccatores indignationem, iracundiam, & furorem, non tamen exercebit suum Iudicium, nisi per justitiam, secundùm illud Sap. 5. *Sumet scutum in expugnabile æquitatem:* Quæ enim de eius iracundiâ dicta sunt, non significant in tam æquo Iudice futuram perturbationem, sed effectus prodigiosos, & maximè formidabiles, quales à furentibus & summè iracundis dum omnia disperdunt, prodire solent: unde de illo scriptum est Sapient. 12. *Tu autem dominator Virtutis:* Non enim cum impetu effundit suam potentiam, nec agit pro iracundiâ suâ, laxans illi habenas, quid enim faceret creatura, sed moderatur suam virtutem, & potestatem: cætera autem faciunt tantùm ad terrorē *cū trāquillitate judicas, ep epynkeas,* cū æquitate, *& cum magnâ reverentiâ.* Id est, parcitate, *disponis nos:* Nam non eget impetu, & violentia ut puniat: *subest enim tibi, cum volueris posse:* unde dicitur quod sedeat in sede & throno, *Tunc sedebit super sedem Majestatis suæ:* ne putares judicium factum fuisse per tumultum, & confusionem: Itaque procedet modo judiciali, & priusquàm condemnet aut puniat, interrogabit, defensionem audiet, nec nisi convictum condemnabit, secundùm illud Ierem. 2. *Judicio contendam vobiscum, & cum filijs vestris disceptabo:* de quâ re nobis hodie agendum est, si priùs opem divinam expedierimus precibus de Virginis. *Ave Maria.*

Quan-

QUANDOQUIDEM Sapiens in Ecclesiaste ad exhibendam nobis verè rerum humanarum vanitatem, ſtudet commemorare nobis præcipuos mundi errores, non debuit neque potuit tacitus præterire quod ſæpius in juſtitiâ humanâ evenit. Unde capit anſam ita loquendi cap. 3. *Vidi ſub Sole in loco Judicij, impietatem: & in loco Juſtitiæ, iniquitatem.* Ecce prodigioſum confuſionis genus, in terrâ videre nequitiam in throno tribunalique Judicij ſedere: Chaldæus vertit domum Iudicij, in Iudicij ſede ac domicilio, alij in loco ubi juſtitiâ debet unicuique jus reddere, ibi triumphare injuſtitiam de innocentum oppreſſione, ac de rei ſceleratique lucro: peccati illius enormitas eò major eſt, quòd injuria oritur ex manu juris, injuſtitiaque proficiſcitur è juſtitiæ throno, unde contrarium expectabatur: Eccli. 20. *Concupiſcentia ſpadonis devirginabit juvenculam: ſic qui facit per vim judicium iniquum:* Cum enim quondam Virgines traderentur Eunuchis aſſervandæ, ne à quoquam contingerentur, ingens profectò fuit illorum ſcelus, contra hominum naturæquè fidem, ſi quas cuſtodire deberent intactas, eaſdem uitiarent: Ita ſanè juſtitia Virgo integerrima, tradita Iudici ſervanda, & cuſtodienda, ſi ab ipſo Iudice per ſummam impietatem, & intemperantiam, contra hominum, & juſtitiæ fidem conſtupretur, facinus turpiſſimum exiſtit. Sed quoniam, ut ait idem Sapiens, omnia viciſſitudinem & contrarium ſuum habent; ea juſtitiæ depravatio tempus reſpicit quo à ſuprema Iuſtitiâ corrigatur. Unde fit ut Sapiens ſermonem ſuum continuans adijciat verba quæ ſequuntur: *Et dixi in corde meo, juſtum & impium, judicabit Deus:* Id eſt, quid moramur juſtitias hominum, quoniam Deus omnes judicabit quicumque ſint: duo ponit extrema, ut omnes intelligas: uti dicitur, à puero uſque ad ſenem; à magno uſque ad minimum, à viro uſque ad mulierem: Ita ratione morum, juſtum, & impium judicabit Deus, quæ verba ſic exponit in ſuâ paraphraſi S. Hieronymus. Poſteà cum corde meo colloquens intellexi non per partes Deum, & per ſingulos judicare, ſed in futurum tempus reſervare judicium, ut omnes pariter judicentur: Pergit Sapiens, *Et tempus omnis rei tunc erit:* Hoc eſt, & ſua tunc erit unicuique rei viciſſitudo: ſeu in illud tempus omnia reſervantur: vel eo tempore juſta erit rerum omnium retributio: Quare Deo propriè convenit munus judicandi: Quia verò *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio:* hinc fit, ut cum dicitur Chriſtus in ſuo ſecundo adventu, ſedere ſuper ſedem Majeſtatis ſuæ, hæc ſedes ſit ſedes Iudicum, ſeu domus juſtitiæ, ſeu thronus ille eburneus, qui etiam vocatur turris eburnea ob invictam, & inſuperabilem æquitatem, ſecundum quod dicitur in Apocal. cap. 10. *Et vidi thronum magnum, & candidum, & ſedentem ſuper eum.*

Porrò huius judiciariæ poteſtatis omne exercitium ad duas potiſſimum actiones reducitur: ad proceſſum Iudicialem, ſeu reorum diſcuſſionem, hoc eſt, interrogationem, & convictionem: 2. ad ſententiæ pronunciationem, eiuſque executionem, quæ eſt totius

Judicij finis,& consummatio: de primâ hodie dicturi sumus, alterâ die de secundâ,nempe de sententiâ.

Quoad 1. igitur attinet: Cùm ante Christi tribunal steterint omnes gentes, secundum illud: *Et congregabuntur ante eum omnes gentes:* publicè proponentur omnium facta, dicta & cogitata, quæ vel præmio vel pœnâ aliquâ digna fuerint, ita ut omnes, & singuli de se,& de quovis alio intelligere possint, quid boni vel mali tot sæculis ab initio mundi, usque ad diem Iudicij præstitum fuerit: Id passim tradunt Scripturæ. Danielis 7. *Judicium sedit, & libri aperti sunt:* & Apocal. 20. *Vidi mortuos, magnos, & pusillos, stantes in conspectu throni; & libri aperti sunt, &c. Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum:* Hæc autem librorum apertio seu manifestatio vocatur discussio & examen Judicis, quia in omnibus illam pariet notitiam, quæ per examen, & multas interrogationes obtineri solet, immò etiam multò majorem: Id autem Deus efficiet illuminando mentem cuiusque, tùm circa propria facta, tùm circa aliena, uti docet S. August. 20. de Civit. Dei cap. 14. ut accuset (ait) vel excuset scientia conscientiam, in quo puncta quæ subijcio, Judicum maximè reformidandum exhibent.

1. Quod Deus nullius peccati obliviscatur, Osee 13. *Colligata est iniquitas Ephraïm, absconditum peccatum eius: dolores parturientis venient ei, ipse filius non sapiens:* Comparat peccata nostra cum syngraphâ quam creditores nostri studiosè custodiunt,& in sacculo clarè compressam tuentur, crebroque evenit ut illâ obligatus adaugens debita, evadat tandem impar solvendo, incidatque extremas in angustias & formidines: dû, quâ imprudentiâ est, mutuatur assiduè, nec de solutione cogitat. Deuter. 32. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? Mea est ultio, & ego retribuam in tempore,* quapropter Dei justitia culpis nostris ditatur, usque eò ut quasi thesaurus fiat. Ita loquitur Apostol. Rom. 2. *Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi Judicij Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius.* Et Job. 4. *Signasti quasi in sacculo delicta mea, & gressus meos dinumerasti:* O Deus! ô quam tunc cognoscemus magno nostro damno, quanti valeant tot culpæ quas nihili pendimus, tot ineptæ cogitationes, tot sermones leviusculi, tot lascivi aspectus, tanta licentia minùs honesta, tanta in Dei cultu negligentia, tot ordinarij defectus, tot peccata quotidiana, & ferè continua. Ac sicut corpora nostra pravis humoribus se complentia, progressu temporis & annorum decursu tantam illorum copiam colligunt, ut ea tandem mori necesse sit: ita diu vivendo, sic offensarum nostrarum numerum augemus, ut demum obruamur onere culparum. Quamvis peccata nostra non id enormitatis haberent quæ ipsis inest, solus eorum numerus nos perterrefaceret, cum in vitâ tot occasiones sese offerant. Quot enim verba profers uno die, quot unâ hebdomadâ, quot mense uno? magno isto ex numero quot sunt otiosa, inconsiderata, præcipitata, dissoluta, contra charitatem, contra sinceritatem, contra puritatem,

tem, contra innocentiam, contra cæteras virtutes? Proh Deus! quis numerus in tota hominis vitâ, maximèque si longa est, atque mundi negotijs districta. Super his omnibus cogita Deum illa universa collegisse, dinumerasse, relata in codicillos tenere. *Signasti quasi in sacculo delicta mea, & gressus meos dinumerasti.* Spirituales viri recognoscendo res à se gestas aliquot annis ad corrigenda quæ in vitæ cursu irrepunt errata, videre non possunt eorum ingentem numerum, quin percellantur animi formidine, confusique hæreant: Quid igitur futurum est, quando Deus nullâ re omissâ præsidebit illi examini, hocque totum colliget? Culpâ quælibet separatim spectata potest negotium facessere; sed quùm universa nostra crimina, unam tantam aciem efficient, simulque collecta sese in capita nostra infundet, quæ animi angustia, qui timor, quæ desperatio? nunquid, ut ait Job. 21. *Lucerna impiorum extinguetur & superveniet eis inundatio, & dolores dividet furoris sui?*

2. Quod prçter notitiam & recordationem quam habet peccatorum nostrorum, perquisitionem nobiscum acturus est, ita severam atque exactam, ut ea sola ratio futura sit intolerabilis: quare scriptura illam diversis modis exprimit.

1. Nominat manifestationem & patefactionem, æquè plenam dilucidamque ac sol in meridie lucescit. 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*: illa autem manifestatio fiet à Sole justitiæ, qui tenebras nostras illuminabit, & diem cognitionis efficiet, quia ipse *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo*: vide quid occultum esse poterit si absconditæ tenebræ & cordium consilia revelabuntur: Cogita qualia erunt corpora Beatorum diaphana, in quibus tota humani corporis structura apparebit: ita conscientia fiet diaphana, & ab illo Sole illuminabitur. Certum autem est nullam esse culpam quæ sui vestigium in nobis nõ relinquat: illud Theologi maculam peccati appellant: Tertull. lib. 4. in Marcionem cap. 9. stigmata delictorum. S. Basilius *tipus ton imartyménon*, formas eorum, quç nequiter sunt admissa: Ambrosius in Apologia David: Sunt profecto altè impressa quædam conscientiæ nostræ ulcera delictorum, & quædam mentium nostrarum, animorumque vibices, quæ animorum nostrorum obducuntur ulceribus. Habet ergo culpa characteres suos, & apices, quibus proditur; & ita fieri non potest ut in tanto lumine aliqua lateat macula. Heu! quàm deformes apparebunt multorum animi, quam fœdi, quam ulcerosi! quam sibi ipsi anima displicebit, cum se adeò turpem, & fœdam videbit! Thren. 3. *Ego vir videns paupertatem meam in virgâ indignationis eius.*

2. Vocatur dissectio anatomica, & ita exprimitur ab Apostolo Paulo qui loquens de verbo Dei Heb. 4. ita loquitur, *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis*

eius ad quem nobis sermo: Hæc metaphora petitura à sacrificijs, in quibus fiebat dissectio subtilis partium animalis: & sermo est de Iudicio, in quo Filius Dei, uti est in Apocalypsi gladium habet in ore suo, utrâque parte acutum, ut oris sui interrogationibus omnem peccatoris statum manifestet, & quæ sunt occultissima demonstret. Sicut igitur dissectores in lucem proferunt omnes corporis partes, & nos in stuporem trahunt, illâ tot partium minutarum, & occultissimarum distinctione: Ita ille sermo Dei vivus & efficax, cùm omnes actiones, & cogitationes, cordis affectiones, & secretas intentiones in lucem proferret, in unâ actione, ut in adulterio, tot species peccatorum distinguens. Quis tuus erit sensus dùm fiet tui crebri dissectio, & omnes cogitationes tuæ manifestabuntur; dùm cordis tui fiet, & omnes affectiones tuæ ostendentur: dùm jecoris; & omnia tua desideria & intentiones tuæ revelabuntur? dum renum; & omnes tuæ turpitudines, & obscœni motus manifestabuntur.

3. Vocatur Iudicialis coactio, secundùm illud Psal. 7. *Scrutans corda, & renes Deus*: in Cræco est *etazon*, scrutans exactissimè, & diligentissimè inquirens, quod exponens S. Basil. ait dici propriè, cùm à Iudicibus vi tormentorum veritas à reis exquiritur, ut omnia dilucidè, & apertè proferant: Hæc porrò severitate Deum usurum esse ait, ac inquisiturum in corda, & renes, idest in abditas cogitationes, in appetitiones, & in omnes vetitæ libidinis motus, & in omnes vitæ actiones: Cogita quid sic inquirenti Deo, non poterit esse apertum, cùm animus volens & nolens fateri omnia cogetur.

4. Sophonias Propheta cap. 1. Nobis Deum exhibet scrutantem in lucernis, *scrutabor Ierusalem in lucernis*, quam diligentiam Salomon appellat Sap. 3. *episkopin*. Inspectionem, seu visitationẽ: Nam ubi habemus. *Et in tempore erit respectus illorum*: scilicet justorum legitur in Cræco, in tempore inspectionis ipsorum *episkopis auton.* pergit *Fulgebunt*: Id est adhibitâ lucernâ, quæ universum mundum illuminabit, nihil in illis apparebit, quod illos reddat infames, ac pudore afficiat; nihil quod potius non exhibeat gloriosos ac omninò fulgentes. At in impijs fœda omnia apparebunt obscœna, & detestabilia quæ omnibus horrorem; ipsis verò confusionem pariant, & contemptum.

5. Vocatur librorum apertio uti diximus ex Daniel. 7. *judicium sedit, & libri aperti sunt*. & Apocal. 20. *& libri aperti sunt, & judicati sunt mortui ex ijs, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum*: Cogita te nihil agere quod non scribas in conscientiâ quæ quoniam æterna est, indelebilem continet Scripturam: uti enim diximus ex Ambros. in Apologiâ David, habet culpa characteres suos, & apices quibus proditur. Et quoniam ipse scriba es, & solus in tuâ conscientiâ scribere potes, ideò nòn poteris inficiari: mirũ autẽ est quam molẽ unusquisq; paginarum impleat in vitâ suâ.

Tertium quod in illâ inquisitione erit intolerabile est, quod omnia etiam vetera suscitabit, quorum nullam amplius rationem habebamus, eorum memoriâ quasi deletâ, erga quæ nullo tenebamur conscientiæ morsu, & quæ credebamus à tempore extincta penitus

tus

tus fuiffe. Nunquam lego fine horrore quod Deus præcepit Saüli quoad Amalecitas, quos juffit omnes ab eo interfici gladioque confodi, nulli parcendo neque ætati, nec fexui, neque conditioni, nequidem animalibus rebufq; etiam fenfu carentibus, ob peccatum unum quadringentefimo antè anno commiffum. Verba Scripturæ aliquid ponderis habent. 1. Reg. cap. 15. *Recenfui quæcunque fecit Amalec Ifraëli, quomodò reftitit ei in viâ, cùm afcenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire univerfa eius. Non parcas ei, & non concupifcas ex rebus ipfius aliquid: Sed interfice à viro ufque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, bovem & ovem, camelum & afinum* Eheu! mifer peccator quid dicturus es, cùm perquifitionem illam videbis, ita curiofam, Deufque peccato omnia tua præteritâ è tenebris in lucem proferet: odium iftud fic inveteratum; peccatum iftud tuâ in adolefcentiâ patratũ, ac penè in infantiâ; peccatum hoc fic tibi ufitatum & familiare, & quod adeò parvi facis; reftitutionem hanc quam ita cautè diffimulafti, tandiuque prorogafti, cujus vitandæ tot prætextus cepifti, ut ab eius debito te eximeres; teftamentum hoc fuppreffum; chartulam hanc abditam fubductamque; teftimonium hoc probatum contra veritatem; famam hanc iniquè læfam; exiftimationem hanc à te everfam contra jus omne, ac veritatem, cui tamen nihil adhibuifti remedij & compenfationis; fcandalum iftud datum, neque unquam ablatum; milleq; alia peccata quorum confcientiâ nihil moveris.

4. Quod minima etiã inquiret. Exemplum in Davide, Moyfe, Saüle, Iofia, Ezechia, & alijs multis. *Scrutabor Ierufalem in lucernis*, unde S. Bernardus ferm. 31. in Cant. Quid in Babylone tutum, fi in Ierufalem manet fcrutinium: *Si juftus vix falvabitur*, ait Petr. 14. *impius & peccator ubi parebunt?* Quid facient tabulæ, quando trement columnæ? Itaq; S. Chryf. lib. de Compunct. cap. 4. ait Davidem femper habuiffe in animo inuftam Iudicij memoriam; & in omni actione, in delitijs, in honoribus, id femper animo verfaffe, uti indicant eius Pfalmi: Sciebat enim ait S. Chryfoft. non folum homicidij, & contumeliæ, & aliorum criminum, quibus Dei numen violatur, reddendam effe rationem: fed etiam *gelotos ke akairu logu ke eftrapelias, ke oti microteron.* Rifus, & intempeftivi fermonis, & levis fcurrilitatis, & rerum minimarum: ut fcias nihil tibi leve videri debere, cùm omnium ratio debeat reddi: & qui in carcere detinebitur non fic inde exiturum, donec reddat rationem ufque ad noviffimum quadrantem.

5. Quòd non tantum actiones externas examinabit, fed etiam internas cogitationes, & volitiones, atque appetitiones, & defideria ut apertè indicat Apoftolus, *Quia ipfe illuminabit abfcondita tenebrarum, & manifeftabit confilia cordium,* unde fubdit. *Et tunc laus erit unicuique, à Deo,* adde & vituperium: Itaque patebunt omnes rectæ & pravæ cogitationes, omnia defideria, omnes intentiones, ex quibus operâ externa prodierunt: Neque tantum iftorum fubftantiam, & entitatem fed circunftantias omnes aperiet, examinabit, ac propalabit: Ita enim loqitur S. Bafil. lib. de verâ

Virgin-

Virgin. Non confusè, aut summatim, aut indigestè peccata nostra cernentur, sed singula per partes, ut se habent, velut in picturâ noscentur: Exempli causâ quomodo ad patrandum quisque adulterium è lecto surrexerit, quibus passibus incedens usus sit, quo motu corporis, lentiore, aut contentiore: quem habitum dum progrederetur assumpsit, & quâ parte domus irrumpẽs, uxorem alienam violarit; quo item ordine huic mulier ad nefarium opus se substravit: Hæc, inquam, omnia velut in tabula per partes diligenter expressa cernentur: nec opus tantum externum, sed & internæ cogitationes. Ubi fiducia tua? miser peccator, ubi arcanũ tuum? quid prosunt tenebræ tuæ? quò evadunt artificia tua? quo afficieris pudore, cùm vias tuas repetet Deus, tua persequetur vestigia, & detestabilem nequitiæ tuæ telam filatim retexet? Clanculùm & noctis patrocinio eam orsus fueras, inscientibusque mortalibus: Sed magnus ille Deus, qui consilia tua intellgit, qui scit proposita scopũque mentis tuæ, cui aperta est improbitas tua, frontem tibi perfundet pudore ignaviæ tuæ, perfidiæ tuæ, inventorumque diabolicorum.

6. Non tantum de commissis, sed etiam de omissis interrogabit. Cùm enim duplicis generis data sint præcepta, positiva & negativa, & contra illa peccetur omissione, contra ista, commissione, de omissis etiam reddẽda erit ratio. Certè ad hunc scopulum omnes ferè adhærescunt, qui nihil omissiones æstimant: Et tamen quid ille servus fecerat, qui talentum Domini infoderat, cùm tam severè punitus est? Matth. 25. *Et inutilem servum eijcite in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium:* Quid ficus inventa sine fructu? cui dictum est, Matt. 21. *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & arefacta est continuò ficulnea.* Quam sæpe contingit, nihil ab aliquo commissum quod scelus sit, qui tamen ob solas omissiones damnabitur: & hoc præsertim in potentioribus cõtinget, cui enim plus est datum ab eo plura exigentur, & quidem meritò, nam non tantùm præcepta sunt negativa, sed etiam positiva, & hæc maximam vitæ nostræ partem continent, & plus à servo exigitur quod faciat, quã quid non agat, præsertim cùm præmium potiùs spectet id quod egeris, quàm quid non egeris: neque enim merces servo debetur quod nõ furatus fuerit, quod non percusserit conservum, sed quod hero suo ministraverit, & impenderit obsequia.

7. Quod non tantum de proprijs, sed etiam de alienis rationem inquirat. Atque hoc illos potissimum spectat, qui vel aliorum curam habent, vel qui alijs præsunt, tamen in universum dicitur quod *unicuique Deus mandavit de proximo suo;* & ut notat S. Chrysost. hæc vox, *Nunquid ego sum custos fratris mei?* innumera mala intulit in mundum. Sed præsertim de dato scandalo. Hæc autem peccata licèt minus esse nostra videantur, præsertim cùm in alio etiam vindicentur, nihilominus etiam de illis ratio, & pœna ab Authoribus exigitur: Ita in Osee Propheta punitur domus Jehu propter inductum Israëlem in Idololatriam, secundùm illud, *Adhuc modicum, & visitabo sanguinẽ Jeza-*

Jezabel super domum Jehu: Agedum licentioris vitæ homo, scandali artifex, peccator; Tùque insolens & dissoluta mulier; quid dicetis Deo cùm rationem vos reddere jubebit, tot animarum exemplo vestro perditarum? Fœmina hæc damnata ob commaculatum conjugis sui thorum; puella hæc seducta & dedecore operta; juvenis, hic vitæ solutioris, delinitus illecebris tuis, tuâque causâ cruciatus inferorum flamis, vindictam adversùs te inclamat. Quid agunt tabulæ eæ lascivæ in ædibus tuis? Quid clamitant turpes isti apud te, & ab te sparsi in vulgus libelli? Quid de alijs quibusque prout tibi lubuerit maledicendi facilitas, quid projecta ad quidlibet loquendum, statuendum, faciendumque licentia, in te à vindice Deo expostulant? Vide quid profeceris sermonibus impijs, turpibus, jocatoriis, mendacibus, perjurijs, aliisque istiusmodi tùm operibus, tùm verbis? Mitto cætera, quorum tibi conscius ipse es, falsam in circulis doctrinam, propositiones erroneas in materiâ fidei, in religione, in moribus: fraudes in commercio, in fallacibus chirographis, & alia eius alteriusve generis peccata: Daniel. 13. *Sic faciebãtis filiabus Israël, & illæ timentes loquebantur vobis. sed filia Judæ non sustinuit iniquitatem vestram:* Multa addi possunt contra Magistratus, & Principes qui multa perperàm agi sinunt, aut permittunt, aut dissimulant: contra Parentes qui id faciunt in liberis: Vide exemplum Heli: Item contra dominos qui non curant de domesticis, aut de subditis, &c. Ezechiel. 33. *Et tu fili hominis. speculatorem dedi te domui Israël: audiẽs ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me: Si me dicẽte ad impium: Impie, morte morieris, nõ fueris locutus, ut se custodiat impius à viâ suâ, ipse impius in iniquitate suâ morietur, sanguinem autem eius de manu tuâ requiram.*

8. Quod non tantum peccata, sed etiam justitias judicet, secundùm illud Psal. 74. *Ego justitias judicabo.* Et Psal. 9. *Sedisti super thronum qui judicas justitiam*, nõ tantum quia Deus justa judicat, hoc est justè, sed etiam quia nostras justitias discutit & examinat quoniam singula ponderat, gravitatem, malitiam, durationem, numerum; At non, ad mendax hominum, sed ad justum Dei pondus. Immanes pecuniæ summas furaris, & levissimam tantùm restituis. Largiris eleemosynas ex latrociniis tuis, Isa. 66. *Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum, &c. Qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat, &c.* Opera tua omnia vanitate perdis, putas te Deo satisfacere, faciens preces tuas, crebrò ad sacrã communionem accedens, frequentansque Sacramenta. Intereà verò plenus es simultatibus, inimicitiis, injustitiâ, Injuriis, contumeliis, contemptibus, vindictis. Quid notabile unquam pro Deo fecisti? quid, inquam, aggressus es pro ipsius gloria? tua te ducit passio, pertinacia tua, propria tua voluntas. Isaïæ 65. *Hæc omnia elegerunt in vijs suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est*, & cap. 58. *Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens, quæ justitiam fecerit, & judicium Dei sui non dereliquerit: rogant me judicia justitiæ: appropinquare Deo volunt. Quare jejunavimus, & non asspexisti: humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die jejunij vestri invenitur voluntas vestra, &c. Nonne tale est jejunium quod elegi, &c.*

gi, &c. Quàm multi se deceptos videbunt; quàm multis nihil proderunt orationes, nihil jejunia, nihil austeritates, nihil eleemosynæ: Ita eas actiones inquinat, aut prava intentio, aut vanitas, aut defectus circumstantiæ necessariæ ad virtutem, Isa. 64. *Quasi pannus menstruatæ, omnes justitiæ nostræ.*

9. Quod tibi nolenti non tantum peccata tua manifestabit, sed eorum etiam turpitudinem, & gravitatem: Quàm multi secum dissimulant, sibique parcunt, atque indulgent: quàm pauci se norunt, & quàm pauci se judicant, 1. Cor. 11. *Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur: dùm judicamur autem, à Domino corripimur*: unusquisque suas bonas auget actiones, minuit offensas, & ferè unusquisque sui ipsius pessimus est judex: sed tunc unusquisque cogetur seipsum vere nosse, & falsum de se judicium emendare.

10. Quod non tantùm tibi sed omnibus manifestabit. Ambros. in Apolog. David: Væ mihi quia latere cupio, & latere non possum: quomodo enim latebo qui inscripta in pectore meo, gero meorum judicia peccatorum: Porro in tali tui ipsius manifestatione.

Cogita 1. Quot in illâ erunt oculi: certè quotquot homines fuerunt, & Angeli: quot Beati, quot damnati: in quibus Deus tui speciem producet, unde omnia tua perinde illis objicientur, ac si ipsi ea perpetrari vidissent, eaque haberent in recenti memoriâ: objicientur enim cum suis circumstantijs, sicut de facto gesta fuerunt; neque solùm opera externa, sed etiam internæ cogitationes tuæ, & volitiones, & ut ait Apostolus, quæ abscondisti in tenebris, & cuncta consilia cordis tui: ita ut omnes simul omnem vitæ tuæ turpitudinem & dedecus uno penitus intuitu pervideant.


2. Quos præsertim oculos inter omnes timebis.

3. Quibus præcipuè de causis: & quã id tibi durum. Hoc enim summum est dedecus quod esse potest, cùm honorem & famam sis amissurus respectu omnium. Ad hæc non tantùm Deus factorum tuorum speciem omnibus imprimet; sed unicuique justam tui cognitionem & æstimatioem inuret: unde apud omnes, qualis es, justè æstimaberis, & unumquemque judicem feres. At quàm atrox tibi videbitur, ut qui innumerorum mortalium oculos fefellisti, illis omnibus appareas qualis sis? Certè quilibet in hac vita infamis, parùm est infamis: quàm enim pauci sciunt, non urbs tota, nec in urbe omnes, etiam quę sunt maximè publica & vulgaria: non in unâ provinciâ: non in uno regno: quàm multi homines non audiunt, quã multi nesciunt, aut scire negligunt: quã multi non cogitant: quàm multi non curant quàm multi excusant: quàm multi vel charitate, vel justitiâ defendunt, aut occultant, aut tuentur: sed ut ait Sapiens, Ecclesiastis 3. *Et tempus omnis rei tunc erit*, Et ut ait Apostolus, *Tunc laus erit unicuique à Deo*: Itaque apud omnes, & in omnium cognitione honorem amittes. Iterùm quàm hoc atrox, & intolerabile, ut tu qui tantopere dedecus times, ita sis infamis? equidem omnis sapiens, & sensu præditus honorem non tantum pecunijs, sed etiam vitæ prætulit Proverb. 22. *Melius est nomen bonum quàm divitiæ multę*: Illum pudorem ait

ait Basil. futurum maiorem, quam supplicium inferorum: Cogita quando pudore aliquando confitearis turpia: Sed si publicè confiteri oporteret, quid faceres? Et tamen, *est confusio*, ait Scriptura Ecclesiastici 4. *adducens gloriam, & gratiam*, quomodo feres illam quæ parit, vel quæ sequitur dedecus? Quàm melius est nunc aliquam confusionem perpeti, & illas maculas eluere, quæ si remanserint, tantum pudorem generabunt: Quid igitur fidis tuis tenebris, & hominum ignorationi? quasi verò omnia sciri aliquando non debeant, *nihil* enim *oportum est quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur*: Liceat tibi dicere, quod dux fortissimus Bellissarius dicebat legalis Cothorum, uti refert Procob. libro tertio de Bello Gothico: veniet aliquando tempus cum nusquam capita vestra, & ne quidem inter vepres occultare poteritis, neque ullus erit evadendi locus: præsertim in illis moribus, quibus vivimus, ubi tam multa scelera committuntur, & tamen in speciem multa bona, & honesta ostēduntur: Hîc tuæ sordes; hîc tua futura, tua perfidia, tua impietas, tua adulteria apparebunt, & quoniam peccatum carnis supra reliqua coniunctam habet infamiam, si cætera deessent, hoc vel solo nomine fugiendum esset: quis enim oratione possit explicare quis sit futurus pudor, quæ verecundia: Quotidie nos metus infamiæ à multis deterret, cur non ab illo fœdo crimine? Scio multos huius criminis gravitatem vel minuere vel excusare: hoc vel unū cogita, quidquid adulter tibi offerat vel polliceatur, te inde summam omnium infamiâm manere, quam nec tenebræ occultare possint, nec impudentia tollere.

Sed ut priora repetam, hac rerum omnium factâ manifestatione, non opus erit aliis allegationibus, vel testibus: ipsa quippe conscientia, & lumen internum, quo quisque videbit sua scelera accusabit ipsum, & simul contra eū testabitur, & reū peraget, ita ut neq; interi⁹ neq; exterius audeat negare, secundū illud Apost. Rom. 2. *Inter se invicē cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm judicabit Deus occulta hominum*: & hæc erit prima convictio. Deinde quia sicut unicuique sua peccata patebunt, etiam toti mundo manifesta erunt, perinde ac si coram omnium oculis patrata essent; ideò sicut in ijs, quæ judici & toti mundo notoria sunt, nullus est tergiversandi modus, ita neque hîc erit: Præsertim quoniam unusquisque clarè videbit, omnes cognoscere internam accusationem quâ propria conscientia quemque accusatura est, & condemnatura, quo modo reum convincendi, & omnem tergiversationem adimendi, nullus efficacior fingi potest; & hæc erit secunda convictio: Tertiā efficient omnes creaturæ rationales contra peccatorem assurgentes juxta illud Jobi cap. 10. *Instauras testes tuos contra me*: Quartam res etiam inanimatæ, quia uti dicitur Habacuc 2. *Lapis de pariete clamabit, & lignū quod inter juncturas ædificiorū est, respondebit*; quanto magis reliquæ creaturæ, uti cœlum, sol, astra, elementa, quibus omnibus peccator abusus est: Quid tu interim inter tot voces, tot testimonia, tot clamores, nisi quòd te reum confitearis? Jobi 9. *Verè scio quòd ita sit, & quòd*

non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille, &c. Si repente interroget, quis respondebit ei? Quid superesse itaque poterit, nisi ut sententiam proferat: sed de hac re sequenti die. Hoc tu interim provide in præsenti vitâ, ut sicut ait David, *disponas sermones tuos in judicio*, quòd rectè facies, si quod nunc licet, tu tecum instituas privatum judicium. Teipsum ergo interroga, conscientiam tuam evolve, considera statum animæ tuæ, circa omnia quæ notavimus futura capita interrogationis judicialis, circa peccata gravia, & levia, cogitationes, intentiones, omissiones, aliena peccata, tuas justitias, acquisita merita, factam satisfactionem. Quòd si nec tibi ipsi satisfacere potes, quanto minus Deo, omnia videnti, omnia severè examinanti? Jobi 9. *Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quippiam justum, non respondebo, sed Judicem meum deprecabor. Et cùm invocantẽ exaudierit me, non credo quòd audierit vocem meam. In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea, etiam sine causâ. Non concedit requiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus. Si fortitudo quæritur, robustissimus est: si æquitas judicij, nemo audet pro me testimonium dicere: Si justificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. Etiam si simplex fuero, hoc ipsũ ignorabit anima mea, & tędebit me vitæ meę.* quòd si hæc de se Jobus dicere potuit, quantò magis nos; & de nostris rebus, & nostro statu judicium ferre: ut unusquisq; nihil de se præsumat, unusquisque semper timeat Proveb. 28. *Beatus homo qui semper est pavidus: Qui verò mentis est duræ, corruet in malum:* Tu hîc semper time, ut in aliâ vitâ possis esse securus. Amen.



FERIA SECUNDA, VEL TERTIA

DOMINICÆ PRIMÆ IN QUADRAGESIMA

CONCIO SEPTIMA

DE JUDICIO FINALI.

De tertiâ Judicis actione, nempè Sententiâ.

Cùm venerit Filius hominis in Majestate suâ, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ: Matthæi 25.

QUIDQUID hactenus de Judicio a me dictũ est, videtur tãtùm spectasse judicij præparationem: quod dicendũ mihi superest, totam judicij substãtiam continet, nempe sententiam Judicis, quæ totius huius tanti apparatus clausula est; unde omnis creaturæ aut beatitudo, aut infelicitas dependet. Quod si sola intimatio judicij tantum homi-

hominibus timorem incutit, immò sola auditio, secũdũ illud Psal. 75. *De cœlo auditum fecisti judicium, terra tremuit & quievit.* Et Hebr. 10. *Terribilis autẽ quædam judicij, & ignis æmulatio:* in quem locum S. Anselm. etiã timor judicij malis resurgentibus est pœna inenarrabilis, & gravior quàm gehenna: si, inquam, talis est expectatio, & timor, quãtò magis præsentia, & consummatio? Certè si sola pictura judicij Bogarim primum Bulgarorum Regem convertit: si Dositheum juvenem in delitijs nutritum abstraxit à sæculo, cur non idem poterunt apud nos verba Christi, quibus judicium nobis expressit? sed quia nihil sperare possumus sine gratiâ, illam per Virginem exposcamus. *Ave Maria.*

NEMO planè est qui de sapiẽtiâ & justitiâ Salomonis nõ audierit, cuius in judiciis tanta fuit æquitas, ut dicatur in Scripturâ sedisse in solio Dñi: Nemo item qui non audierit qualẽ sibi thronũ fecerit, unde æquitatis oracula pronũtiaret: sic enim scribitur 3. Reg. cap. 10. *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandẽ;* quem locum exponens misticè Rupertus, interpretatur de extremo Iudicio: Quis (inquit est iste thronus tam grãdis, tam mirabilis, nisi altitudo majestatis, in illo die novissimo magni & tremẽdi judicij: grãdis thronus est, quia grande judicium expectamus: Est autẽ thronus ex ebore, quia judiciũ ex puritate constabit justitiæ: auro vestitur, quia nimirùm aurea divinitatis justitia revelabitur: sex ille habebat gradꝰ, quia sex sententiis judicium perficietur: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & non visitastis me: in carcere, & non venistis ad me:* Duæ manus, hinc atq; inde, duo sunt tenores, hinc justitiæ, inde misericordiæ: Duo leones juxta manus singulas, quia utrobique fortis, atque formidabilis erit judicij veritas: Etenim à sinistrâ omnis iniquus condemnabitur: & à dextrâ justus vix salvabitur: Duodecim leũculi super sex gradus stãtes, duodecim sunt Apostoli: ubi vides omnia in judicio esse grandia, magnifica, & formidabilia: sed præsertim duos illos magnos leones, geminã illam sententiã, quam exprimit gladius ille bis acutus, de quo dicitur in Apocalypsi: *Et de ore illius gladius bis acutus exibat:* Græcè *rompaia distomos*, quasi dicas, gladius duplicis oris, propter dissimilitudinem utriusque sententiæ, de quâ hodie uberiùs à nobis dicendum est.

Factâ itaque plenissimâ judicandorum discussione, post operum omnium, dictorum, & cogitatorum, & volitorũ manifestationem; omnibus rebus planè examinatis, subductâ ratione omnium meritorum, & demeritorum, reis convictis, & confitentibus, factâ rerum omnium comparatione, expensâ accuratè dati & accepti sumâ, ingenti totius naturæ silentio, & suspensâ omniũ hominum, & Angelorum, expectatione, in sumâ creaturarũ omniũ trepidatione: rebus omnibꝰ ad majestatẽ compositis, nihil aliud supererit quã ut Iudex in excelso solio constitutus sententiam ultimã proferat, quod sumâ authoritate faciet, athuc semel, ut ait Propheta, *cœlum & aridam commovens*, ultimã faciens in rebus creatis mutationem. Et primò quidem ad Electos, qui ad eius

dexterâ erunt in sublimi, se convertẽs, clarâ & distinctâ voce, audientibus & videntibus omnibus reprobis, summâ Electorum exultatione, incredibili dæmonum mœrore, intolerabili damnatorum pudore, summâ Angelorum approbatione, sic pronuntiabit. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi:* Hæc sententia sensibili voce proferetur, (aiunt Doctores) tùm ut à reprobis intelligatur, tùm quia iudicium inter homines, sensibili modo fieri convenit, qui solus naturæ humanæ conveniens est: Judex enim apparebit visibilis, thronus erit visibilis, & judicandi erunt visibiles, cur non etiam sententia erit sensibilis? Complectitur autem quidquid ad præmium, aut consolationem Iustorum desiderari potest, aut expeti:

primò enim quantum est in tantâ totius creaturæ trepidatione, & commotione, (nam ut ait textus, *Virtutes cœlorum commovebuntur*: (inibi esse securum, idque iuberi ab ipso Iudice, & verbis tam placidis, & sic amorem & suavitatem spirantibus?

Secundò, Quantus honos in illâ tam severi Iudicis, post tàm exactum, & rigidum examen, approbatione, & in eo theatro, ubi omnium gentium oculi, & aures, coronatione? Quid nõ mortales efficere, quid nõ pati; quid non dare deberẽt ob illũ solidũ, verũ, & adeò excelsum honorẽ? Noli mihi loqui ludos Olympicos, & in illis collectam Græciam: Noli triumphos Romanorum, & decretos à Senatu honores: Hæc omnia terreni sunt honores, vitæ miseræ & mortalis: Hîc, si unquam, vera gloria, vera laus, verus honor: Nam quæ laus similis commendationi divinæ? quæ major gloria, quàm ea manifestatio quæ nullum latet, ubi collecti sunt omnes quotquod ab orbe condito fuerunt & sunt, vel Angeli, vel homines quis honor similis, quàm qui ab ipso Deo præstatur; Rectè igitur sensit Apostolus, cùm dixit 1. Corinth. 4. *Nolite ante tempus judicare, quoadusq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo:*

3. Omnes Beatitudinis partes complectitur: Essentialem, atque præcipuã in conjunctione cum Deo, cùm ait, *Venite:* eos enim sic ad se vocat, ut eis se communicet, atque indissolubiliter conjungat: Itẽ, variam & omnis generis, per omnium bonorum quæ optari possunt possessionẽ: dùm vocat benedictos: Etenim in Scripturis ubertas, & abundantia, benedictionis nomine significatur: Quòd autem dicit *Patris mei,* non terrenã benedictionem significat; sed quę sit Deo digna: honorem autem, & gradum cùm subjicit, *possidete regnum,* hic est enim apex magnitudinis, & dignitatis: securitatẽ demùm exprimit, cùm ait, *possidete,* ut sciãt se verè futuros illius regni dominos: vox græca peculiarem habet significationem *Klyronomisate,* hæreditate, seu tanquam hæreditatem, possidete, nimirum ut filij Dei: *si filij & hæredes:* Rectè Chrys. in hæc verba: ô quãtæ glorię quantę beatitudinis hęc verba sũt: nõ dicit accipite, sed hæreditate; quasi propriâ, quasi paternâ, quasi vestrâ, quæ vobis à principio debebantur: Itẽ securitas, cùm ait, *paratũ vobis regnum:* hoc ostendens non esse regnũ quod invadunt, sed quod gratiâ ipso-

ipforum effet conditum, itaque in eo finem effe universi, & ad hoc effe conditos, hoc regnum ipfis effe debitum: Nam antequam nati fitis, (funt verba huius Sancti) quia fciebam vos huiufmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere: Idem quoque fignificat *à cõstitutione mundi*, ubi indicatur mundum effe conditum propter gloriam Sanctorum, ut ipfi in æternum beati fint in cœlo & participes bonornm divinorum: unde Apoftolus Paulus, *omnia propter vos.*

Duo posteà fubijcit, caufam allatam à Judice, & excufationem Juftorum, atque humiliationem: Quoad caufam, opera mifericordiæ in egentes enumerat figillatim, potiùs quàm alia opera, ut fcias.

1. Nullum opus bonum carere mercede: itaque fi pro tecto, pro vefte, pro pane, pro aquâ frigidâ, pro vifitatione, pro verbo confolationis datur tanta merces; quantò magis pro operibus & majoribus & melioribus, uti funt pietas, caftitas, mortificatio, martyrium, &c.

2. Neminem effe qui ad gloriam afpirare non poffit: nam omnes faltem aliquid horum præftare poffunt, unde ea figillatim nominat; præfertim cùm meminerit minimorum officiorum. Si enim infirmus egeat fanitate, non petit ut fanes, fed faltem ut confoleris: Si qui vinctus eft eget libertate, non petit ut folvas, fed ut vifites: alioqui voluntati tuæ committit, ut poffis majora præftare, & majorem laudem acquirere, fed fufficere oftendit minora, ad tantum mercedem, ut nemo excufare poffit fi non affequatur.

Quoad Juftorum excufationem, cùm dicent, *Domine quando te vidimus efurientem, &c.* His verbis fignificatur eorum admiratio, cùm videant tàm exigua opera tantâ mercede compenfari, ut fciant, fe gratiam pro gratiâ accipere: unde dicitur Apocal. 5. & 7. *Omnes in faciem fuam adorantes procumbent, agentque gratias,* quòd tantum bonum ipfius potiffimum meritis, & fanguine, ipfis obvenerit. Quis hîc exprimat, quo fenfu, quo gaudio, & quâ exultatione hæc audient Sancti, quâ gratiarum actione? An putas fi non effent immortales vivere poffent? *Euge ferve bone & fidelis, quia in pauca fuifti fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Certè *nemo fcit nifi qui accipit.* Tu quifquis fis, quid tũc feciffe velles, aut paffum effe, quid non defpexiffe?

Sed quanto putas dolore afficiendos qui relicti fuerint? Certè qui harum rerum commemoratione ad fublimia opera non accenditur: nefcio quibus tandem rebus tangi poffit: quæ enim major poteft effe merces, à quâ meliori manu poteft accipi, in quo majori theatro, & quâ gloriâ illuftriore?

His peractis convertet fe Dominus terribili vultu verfus finiftram ad impios in terrâ pofitos, & de juftorũ gloriâ per fummam invidiam tabefcentes, contra quos ultimam fententiam pronuntiabit. Hîc eft, ô infortunate peccator, extrema afflictio tua, finifque judicij: caufa eft ob quam factus eft omnis ille ingens apparatus, horribile illud eft ac intolerabile irati Dei verbũ: prodigiofum illud exemplum totius feveritatis: refonans illud & obftupefcẽdum tonitru, quod Deus brachio irâ incen-

incenso vibrabit in hostium suorum caput: gladius ille est acutus qui exibit de ore judicis, dicere velim, postrema sententia est, quam Deus supremâ jurisdictione pronuntiabit adversùs miseram animam tuam, divisione, doloris plenissimâ, quæ te separabit æternũ ab ipso, à tuo fine, à beatitudine tuâ, à societate sanctorum, à participatione bonorum omnium, te ad pœnam æternam damnando, te tradendo hostibus tuis, qui dæmones sunt, quorum in societate æternùm cremaberis. Terribilia sunt horrendaque illa verba, quæ nullum os mortale potest proferre, nisi nimis moliter, nimis demissè, nimis infirmè, & cum imminutione eorum amplitudinis, acerbitatis & majestatis. *Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius!* ô quę verba, & quam intolerabilia, Dei ad creaturam suam, Dei facti hominis, hominibus eiusdem cum ipso naturæ, & quos ita dilexerat, ut pro ijs mortuus fuerit! O quale tonitruum, ô quale fulmen, & quàm perhorrescendum! Quàm verè dixit Isaias cap. 30. *Labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis devorans.* Quæ enim tempestas & quod incendium tolerabilius non est illa voce, de qua David Psal. 67. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis*, & Iob. c. 40. *Dominus de turbine dixit, &c. Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili Jonas:* Heu, mi Deus! quis poterit impetum illum sustinere, cum ultrix justitia Dei se instar nubis dirumpens intorquebit ore brachioque irritato ita intolerandam sententiam perinde ac fulmen accensũ adversus creaturam adeò infirmam cuiusmodi est homo. *O custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi? contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris:* Quid dicam quæ illam sententiam comitatura sunt, quæ secutura? Sed nihil horribilius dici potest, quàm si exponamus quid eius verba contineant.

1. Itaque in illis continetur actualis creaturæ reprobatio ad actum redacta: Cùm enim propriè loquendo, reprobatio sit actus intellectus, sic à me explicatur per ultimam cogitationẽ postremamque existimationem quam Deus habet de peccatore, quæ duobus in capitibus consistit. Primum est, reputare illum omni bono indignum eiusq; incapacem, secundùm hæc Matthæi verba cap. 2. *Et inutilem servum, eijcite in tenebras exteriores.* Cogita Deum cognoscere omnia, suo in judicio non ferri odio, nec invidiâ, nec passione nec ignorantiâ, sed eo in loco, in eâque actione, ubi esse non potest nisi justissimus, post examinata atque expensa opera omnia, universa merita, demeritave, culpas omnes & satisfactiones, quod fuisti anteà, & quod posteà futurus es, quidquid habes tùm ab illo tùm à teipso, per gratiam suam, tuamque culpam, expensis subductisque omnibus, omnibusque definitis, suscipientem demum postremam quam de te habere potest cogitationem, judicare te omni bonorum genere indignum. Illum eundem, qui rationem habet decies mille hominum qui in hâcce vitâ vilissimi & abjectissimi fuere, qui eos non dedignatur, cùm in te aliquam æstimationis & prætij causam quærit, te omni bonorũ genere

genere quodcunque illud sit, indignum judicat, idque in æternum, atque hanc esse ultimam, immò unicam cogitationem quam in perpetuum de te habiturus est: Eheu senti de te quicquid volueris, omnes creaturæ te in pretio habeant, atque honorent, ora omnia hominum ad te collaudandum solvantur, sola hæc Dei cogitatio est improbatio cæterorum omnium, quæ non potest esse nisi verissima post ipsius judicium, nempè indignum esse te omni bonorũ genere, te nullius esse pretij, te nihili hominem esse, quodque augeri non potest, adeò id ad extremum usq; pervadit, te minimè capacem esse, atque omni bono indignum, minimè inquam capacem eius faciendi, indignumque recipiendi, sive consideremus Deum, ut authorem naturæ, vel ut principium boni supernaturalis. Itaque nulla tibi erit in intellectu veritas, nulla cognitio, nisi ad tormentum: nullus item in voluntate metus probus, sed summa perversitas: ne una quidem bona cogitatio in totâ æternitate, ne unum quidem bonum desiderium: neque in Deo ulla cogitatio pro te, quæ ad commodum tuum sit; ne minimus quidem respectus aut aspectus. Et ecce fundamẽtum æterni dedecoris, quod operturũ sit pudore animam damnatam totâ æternitate, *qui me contemnunt erunt ignobiles*; atque in eâ æstimatione reprobatio propriè consistit: Ierem. 6. *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.* Id est, tanquam omni bono indignos rejecit, atque reprobavit: unde illa vox. *Discedite à me:* Sic anima rnspectu Dei, omnia nomina amittet, & eodem statu erit in eius curâ, & æstimatione, ac non ens: *Voca nomen eius non populus meus:* Quare semper vocabitur nominibus negativis, secundùm illud Deut. 32. & Rom. 10. *adducam vos in non gentem, nõ populũ:* Item *qui non est*, secundũ illud Iobi 18. *habitent in tabernaculo illius, socij eius qui non est:* & Esther 11. *Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt*: Itaq; Deus prorsus nihili faciet peccatorem.

Secundum æstimationis illius caput & reprobationis, est eum nominare maledictum, hoc est odibilem, execrabilem, & dignum omni pœnâ. *Discedite à me maledicti:* Certè ut ait Cyrillus Alexand. Cui Deus maledixit, nescio quis ei benedicere poterit, cum Dei dicere sit efficax, & ab illo pendeat omnis benedictio: Verè cui Deus maledixerit, erit ille maledictus: Et tamen cui rei nõ benedixit Deus? animantibus, volucribus, piscibus maris, plantis, arboribus, & terræ: Et cum rebus omnibus benedixerit; uni inter omnia peccatori maledicit. *popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt:* Etenim quàm parùm refert, si tibi homines benedicant, cùm Deus maledixerit: Immò quia ultima ista est, & summa maledictio, erit non solùm à Deo, sed à rebus omnibus, neque tantũ erit respectu unius rei aut alterius, sed respectu omnium rerum; itaque nullus erit tantæ maledictionis aut modus aut mensura. Memento facti Moysis jã morituri, cũ totũ Israëlẽ in duas partes divisit, sex trib' quę populo benedicerẽt in monte Garisim, & sex trib' quæ maledicerẽt in mõte Hebal, ubi Levitę excelsâ voce duodecim maledictiones jaculati sunt toto populo respondente,

suspicionem non humanam mo lò, sed etiam angelicam: quales itaque pœnæ? Denique ob significationem summam odij: *discedite à me maledicti: Quia vos non populus meus*: sicut enim amor Dei omnium bonorum causa existit: ita odium Dei positivum, omnium malorum: Cogita itaque vermes illos mordaces, igneos fluvios, & sulphureos: tenebras exteriores, & inextricabiles, vincula, carcerem, stridorem dentium, fletum inconsolabilem, sitim inextinguibilē, & omnis generis cruciatus intolerandos: Cyprian. serm. de ascens. Continuus erit, & superfluus lacrymarum decursus; incendia corpus nudum allambent: in proprio adipe frixæ libidines ebullient, & inter sartagines flammeas misera corpora cremabuntur: & dic cū Prophetâ Isaïâ cap. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante, quis habitabit de vobis, cum ardoribus sempiternis?* Ex pœnis huius vitæ, aliarum facilis est conjectura: si istæ intolerabiles, quales aliæ?

3. Continetur earum pœnarum inevitabilitas, quoniam Dei sententia per se efficax est, nulloque alio modo Deus agit, quàm imperando: itaque nō magis impediri potest executio, quam pronuntiatio, quia seipsam per seipsam exequitur: & proindè peccatorem ac reum efficaciter ponit in eo supplicio, quo anima digna est. Propterea rectè dicitur Filius hominis habere gladium in ore suo utrâque parte acutum, quoniam sententiâ sua peccatorem à se dividit, cùm sic pronuntiat, *Discedite à me*: Item, *Quia vos non populus meus*: efficaciter eum privat seipso, cùmque addit *in ignem æternum*, efficaciter ponit in igne, eòque torquet, & in æternum torquebit: unde subditur, *& ibunt hi in supplicium æternum*: ex quo colligitur inevitabilitas pœnarum: Nam sicut quâ voce dixit, fiat cœlum, eâdem factum est cœlum; ita quâ voce impium condemnat, eâdē pœnis alligat, secundùm illud Iobi 9. *Deus cuius iræ resistere nemo potest*: & illud Sapientis, *indignatio Regis, nuncij mortis*: quæ igitur spes evadendi superesse potest?

4. In illis verbis continetur pœnarū immutabilitas, quoniam ea sententia continet ultimam animæ dispositionē, & ultimum statum. Quandiu in hac vitâ persistimus, nullus certus est status, sed semper in aliquâ mutatione: qui nunc est in gratiâ, cadere potest, de illo enim dicitur *in veritate non stetit*: qui cecidit iterùm stare potest: *Nunquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat?* unde Apostolus Paulus: *Nolite ante temptus iudicare*: sed *ubi ceciderit arbor, ibi manebit, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem*; & status qui sequitur judicium, immutabilis est; Hinc

5. Significatur suppliciorum æternitas atque immortalitas, secundùm illud, *Discedite à me maledicti in ignem æternmm*, ac ne putes solum ignem futurū æternum, non verò pœnam, rectè subditur uti advertit Sanctus Augustinus, *Et ibunt hi in supplicium æternum*: Ratio est, quia quod semel Deus absolutè dicit, id semper operatur; etenim verbum Dei manet in æternum; quare postquā de judicio disseruit, hæc verba attexuit: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*: sicut itaque, ut ait

Sanctus Methodius Martyr, ex eo quòd semel dixit Deus, *producat terra herbam virentem*, id singulis annis perseverat, eâ voce Dei efficaciter semper operante: ita ubi semel dixerit, *discedite à me maledicti in ignem æternum*, quoniam id nullâ parte restringit, æternum erit: porrò uti quidquid non est æternum illud quodcunque sit, exiguum est; ita quidquid æternum est, qualecunque sit, magnum est. Bernardus. Non transibit cum tempore, quod transit tempora.

Sed quis cogitare ac sentire possit, ut par est, de pœnarum æternitate? adhibe omnes numeros, omnes mensuras exhauri, omnes calculorũ rationes multiplica, omnia adijce spatia, cogitatis omnibus utere, universis arenæ marinæ granis, oceani guttis omnibus, unis post alias per multa annorum millia susceptis, sermones universos consume, cunctas collige cogitationes, ingenia omnia conjunge, nunquam ad æternitatis duratione attinges. Reliqua omnia finem aliquem habent, quamvis remotissimus sit, nullum habet æternitas. O Deus! quis cogitare potest, ut expedit æternitatem pœnarum? sine allevamento, sine successione, sine imminutione, sine mediocritate, sine spe, sine misericordiâ, sine ullo præterito. Æternitas in voce, inquit Augustinus, quatuor syllabis constat; In se, sine fine est. Quale durationis monstrum? est semper, & nunquam est; Nihil est in eâ præteritum, neque tamen esse cessat; totum in eâ præsens est, totum in eâ futurum. In nullo est tempore, & continet universę; cuiuscunque tandem durationis fuerit, semper integra superest; abite anni, fluite sæcula, ad æternitatem pertinetis omnia, sed eius minima pars non estis. De ea dicamus quod S. Augustinus de gloriâ dixit: sentiri potest, æstimari non potest: sed de illâ quis dicendi finis, cùm ipsa finem non habeat.

6. Causam continet, & exprobrationem. *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum, &c.* Vide quàm justè damnentur, nam ut ait S. Chrys. homil. 80. in Matth. Non dixit in carceribus eram, & non liberastis me, aut ægrotus fui, & non medicati estis, sed non visitastis me; nec venistis ad me: sed nec esurientis famem levare difficile, non enim sumptuosam unquam quæsivit mensam, sed quæ necessitati sufficeret, quodque majus est non in sublimis cujusdam sed in humilis habitu servi quæsivit: quorum singula ad condemnationem illorum sufficiunt; petitionis scilicet facilitas, & dandi potestas, panis enim petitur; petentis miseria, quia pauper, atque mendicus: retributionis expetenda magnitudo, regnum enim promittitur; terror pœnarum, gehenna enim incutitur; accipientis dignitas, Deus enim pauperum manibus accipit; honoris cumulus, quia tantum descendere dignatus est; jus tribuendi, summa enim justitia est, de suis cõcedere: Verùm ab his omnib[9] cupiditate habendi retracti sunt, nec pœnarũ intentationes timuere, cũ his qui pauperes non recipiunt, graviora quàm Sodomis sit minatus: & dixerit. *Quod uni ex minimis istis non fecistis mihi non fecistis.* Quod si horum operum omissio sic punitur, quanto magis majora scelera, quæ Christus singulis gravi & in-

& Intolerandâ oratione exprobabit? Quis eorum hic sensus exprimat confusionis, pudoris, doloris, invidiæ, & desperationis? .

Et quoniam Dei verbum per se est efficax, uno temporis momento, Beati in cœlum magno triumpho invehentur: In reprobos verò ignis quo mundus universus deflagravit, irruet, eosq; undequâque involuet, & statim maximo hiatu terra sub eorum pedibus usque ad inferos se aperiet, & tota illa hominum damnatorum & Dæmonum multitudo in imum barathrum simul cum igne involuente in modum turbinis præcipitabitur. Totum hoc fiet cum immenso fragore? & strepitu, tùm ignis corripientis, tùm terræ dissultantis, tùm hominum cadentium, & exclamãtium. Psal. 139. *Cadent super eos carbones, in ignem deijcies eos, in miserijs non subsistent:* & Psal. 10. *Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum:* atque inde initium verum habebit damnationis æternitas, quæ nullum unquam finem habitura est. Cętera persequi non est huius temporis neque discursus, quare hîc finem habeat oratio, nam quis finem æternitatis hîc inveniat?

Quis hic sit vester sensus, Auditores, ignoro: illud tamen scio res easdem, & eadem verba, non eodem modo ab omnibus accipi: Novi tamen hunc sermonem in diversis diversas mutationes effecisse. Quàm enim multi peccatores, ex harum propositione rerum à præteritâ vitâ conversi sunt? Dixit scilicet homo avarus & huic sæculo affixus apud se; quid hîc quæro, quid hîc divitias congrego, cùm illa in Iudicio, & in alterâ vitâ nihil profuturæ sint? Dixit impurus, & voluptuosus; Ita-ne verò ob fugacem, & dedecoris plenissimam voluptatem memet addico sempiternis tormentis? qua frõte judicem illum sustinebo? Licentioris vitæ homo sibi dixit; quid hic nugaris, quid ludis? quid te ipsum, & alios vanâ cogitatione decipis? quomodò illud aliquando feres, *Eijce derisorem:* Quàm multi hac cogitatione impulsi, huic sæculo abrenuntiarunt, cogitantes æternitatem? Quàm multi suo corpori, suæ pulchritudini non pepercerunt? Quàm multi divitias, honores, & dignitates, & nobilitatem, & famam, & hominum peritura Iudicia contempserunt, hoc unum cogitantes quod fiet in Iudicio? Tu verò qui hîc ades, quâ mente es, quo proposito, quo sẽsu, quo voto? Si nulla melior tuam mentem cogitatio percellit, has mecum perpende cõsiderationes.

1. Consideratio. Cùm hæc omnia, neque sint fabula, neque somnium, sed eandem habeant veritatem, quàm cæteri fidei nostræ articuli, (nam omnia æqualiter nobis proponuntur in Evãgelio) immó cùm nulla res enucleatiùs nobis exposita sit in Evangelio, quàm tota Iudicij extremi descriptio, idque apud S. Matth. duobus integris capitibus 24. & 25. idque secundùm omnes circumstantias, ita ut dempto solo die Iudicij, cætera omnia distinctè sint declarata, quis Iudex, quo apparatu, qui judicandi, quibus præsentibus, quo throno, quâ factâ interrogatione, quo loco erit unusquisque, quæ primo loco proferetur sentẽtia, quæ secundo loco, & quibus utraque verbis concipietur:

Porrò hæc omnia nobis ab ipso Judice revelata, qui quod erat facturus non potuit ignorare: Nec id populo tantũ & plebi ad terrorem, sed Apostolis eum secreto de hac re interrogantibus: Nec ab eo rem tantum simplici enuntiatione efferente, sed juramento etiam confirmante, ut se hominum moribus accommodaret, Matth. 24. *Amē dico vobis, quia non præteribit generatio hæc donec omnia hæc fiant, cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*: Cum, inquam, hæc ita sint, sequitur aut hæc certo nobis tenenda esse, aut fidem deserendam. Sed cùm certa sint, atque aliquando futura expectemus; Est-ne hominis Sapientis tantæ rei periculo, ob res nihili sese exponere? Vide quidquid est in mundo magnum, delectabile, gloriosum. An illud omne tantæ rei periculo dignum est? & tam certo, & infallibili? Multò magis an illa ludicra, & condemnenda quæ vulgò homines detinent? Itaque vide, si ulla sit in mundo insania, si ullus furor, si hoc non est furere, & insanire: Quotidie homines mors capit, & Iudicio Dei transmittit: nam *statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem judicium*: hoc videmus, hoc audimus, nec contremiscimus: Vide quid secum auferant de ijs quæ in hâc vitâ possederunt: certè cùm omnia relinquant hæredibus suis, vel creditoribus, argumentum est, nihil illos secum auferre: Vide quid interim in aliâ vitâ patiantur, saltem quid tandem expectare debeant, si de illorum maximâ parte sermo sit; hæc sunt quæ à me audivisti, & multa etiam longè graviora. Tu igitur idem pro te expecta, neque enim semper vivere poteris: nam *nemo est qui semper vivat, & qui huius rei habeat fiduciam*: Quid scis an te brevi ultima hora occupabit, quod cum factum fuerit, vide quid te in alterâ vitâ maneat: de qua re cogitas, si non de istâ, quæ tanti tua interest? quid curas, si non hoc curas? quid tandem times, si non hoc times? cui rei provides, si non isti, quæ omnia tua & huius vitæ & alterius cõplectitur? *utinam* homines *saperent, & intelligerent, ac novissima providerent*.

2. Consideratio. Cùm multa quæ in hac vitâ timemus, eadem in alterâ vitâ, & majora etiam vereamur, & majori certitudine, id statue apud te, & judicia, quid amborũ, debeas plus timere, & quid illorum facilius ferre possis. Hîc times aliorum Iudicium atque opinionem sinistram: Vide num in eo genere sit aliquid maius in futurâ, quod timere debeas. Hîc times dedecus, paupertatem, dolorem, servitutem: sed quã hæc omnia longè majora futura sunt in alterâ vitâ: Quod si præsentia vix ferre potes, cũ tot consolationibus, tum tot adjumentis externis, cum virtutũ auxilio: cũ tot gratiarũ præsidiis, quomodò feres æterna cùm hæc omnia deerũt solatia, & nulla aderunt adjumenta:

Neq; verò dilectissimi videar vobis durior, atque acerbior, qui tam dura, & metuenda prædicem: 1. Quidem quia hæc non sunt formidabilia, quoniam dicuntur, aut annuntiantur, sed quoniã reipsâ sunt, & certò futura sunt: 2. Quia non ideò futura sunt, quia à me dicuntur, sed illa ideo dico, quia vel jam sũt, vel quia reipsâ futura sunt: si enim tacuero, esse tamen non desinent, sed eò erunt

erunt graviora, quia nunquam prævisa, non prævisa, quia nunquam audita, non audita, quia nunquam dicta. Itaq; meum quidẽ propositum est, ut ista timeatis, ne aliquando sentiatis: nam timere magnoperè utile est: sed sẽtire, intolerandum: qui autem timere nolunt, volunt sentire, atque experiri. Sed, aiũt nonulli, hæc nimirum timorem animis incutiũt, nec ferri possunt. Quid ais nimium timorẽ incutere? quis earum rerũ nimius timor esse potest, quæ omnẽ sẽsum superant? Quid iterum, ais, ferri nõ posse, cùm nondum ob eum timorem, vitam mutaris, & mores? nam si satis timuisses, quomodò fieri potuisset, ut nihil esset in te mutatum? Prædicavit aliquando Ionas Propheta, *Adbuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*: Timuit populus, timuit Rex, quanta morum, & vitæ mutatio? Ipse Sardanapalus hominum delitiosissimus, & voluptatum cœnum, in cinere, & cilicio, & jejunio pœnitentiam egit: Immò & infãtes, & animãtes jejunare coëgit, & edicto suo omnes ad pœnitentiam compulit: hic sanè fuit legitimus, & rationabilis timor: Ego verò clamãdo, monendo, terrendo, nihil omninò proficio. Scio quidem omnem timorem pœnam habere, ut ait Joannes Apostolus, sed novi etiã nullam fieri sine dolore pœnitentiam. Itaque dilectissimi nolite istas cogitationes omittere, quoniam ut ait Isaïas cap. 26. secundùm LXX. Intempr *Propter timorẽ tuũ Domine in utero accepimus, & doluimus, & peperimus spiritum salutis tuæ, quem fecimus super terram*: Sed ferè qui nolunt timere, ideò faciunt, quia cùm nolint converti, ferre non possunt se quasi necessitate ad bonum compelli. Verùm audio Christum mihi dicentem, *compelle eos intrare*: Itaque S. Petrus Chrysol. serm. 10. in Psal. 28. Attrahite nolentes: nemo dicat, non vult, quia & Abraham ut offerret filium, colligavit, & Loth Angeli, ut subtraherent flammis, extractum manibus sustulerunt: Et Petrum, Dominus, ut iret ad martyrium, quò nolebat, auxilij sui virtute præcinxit, dicens, *præcinget te alius, & ducet quò tu non vis*: & Pater cœlestis non solum volentes suscipit, sed attrahit & nolentes, dicente filio, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: Ita Christus non solum jussit servis, ut invitarent ad nuptias, sed etiam ut compellerent intrare: Itaque Origenes homil. 20. in Numer. Sic ergo non solum invitamur à Domino, sed & trahimur, & cogimur ad salutem: Permittite itaque Auditores, ut vos vel blanditijs pelliciam ad salutem, vel violenter compellam, hoc mihi perinde est, modo vobis salutem acquiram. Tu quisquis es, audisti de utraque sententia me disserentem: vide ad quam pertinere velis, nam necesse est ut ad alterutrãm pertineas, ut aut ad dexteram, aut ad sinistram eas, ut te audias dici, aut benedictum, aut maledictum, ut te capiat, aut supplicium æternum, aut æterna vita, ad quam nos perducat Dominus noster Iesus Christus Amen.

TOMI PRIMI FINIS.



7-2-2